ELEMENTA METAPHYSICAE MATHEMATICUM IN MOREM...

Antonio 1713-1769 Genovesi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 F
23

Digitized by Google

ELEMENTA METAPHYSICAE

MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATA

A B

ANTONIO GENUENSI

In Regia Neapolitana Academia Ethices Profeſſore

SANCTISSIMO PATRI NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. M.

D.

Editio ſecunda Neapolitana multo auctior & correctior.

TOMUS TERTIUS.

NEAPOLI CIↃ.IↃ.CC.LI.

TYPIS BENEDICTI, ET IGNATII GESSARI.

SUPERIORUM AUCTORITATE.

Digitized by Google

12. 1. F. 23

Digitized by Google

ANTONIUS GENUENSIS
LECTORI PHILOSOPHO S.

ADNAVIMUS. Poſtquam ſcilicet nimboſus Orion

Perque undas ſuperante ſalo, perque invia ſaxa

Egit. Qui ego monſtra memorem, quibuſcum depugnandum fuit? Qui ſcopulos, qui praetervehendi? Sed quamquam plures in ea ſententia eſſe video, majora Oceano monſtra ali, quam Tellure; haec ego, quam illa, nunc reformido magis. Utinam hoſpitio ne prohibeamur arenae, neve, ut Trojanus olim Æneas *terris jactatus & alto*, clamare debeamus,

Quod genus hoc hominum? Quaeve hunc tam barbara morem

Permittit patria ....

Decreveram ego quidem tertiam hanc partem *monogranomam* edere, quo minus haberent nominis noſtri obtrectatores criminandi materiem. Sed juſto minorem voluminis molem renuebat librarius: itaque clamitando effecit, ut pervicerit propoſitum. *Crimen ex ſilentio: crimen ex voce!* Interea quum juſtum volumen explere vellem, iis etiam

Digitized by Google

illud referſi, quae minus erant accurata: deerat quoque pluribus lima, praeſertim iis, quae de veritate Religionis Chriſtianae in poſtremis propoſitionibus diſputata ſunt. Sed ne quum ederentur quidem totus in iis eſſe potui: adeo me undique curae aliae, minuatae illae quidem, ſed aſſiduae, diſtraxere. Dicam paucis: quum ego in caeteris libellis meis omnino mihi numquam ſatiſfecerim, tum vero in hoc etiam diſpliceo. Sed & valde ego timeo, ne quid, me imprudente, exciderit, quod minus delicatiores probent Theologi: id quod ſi eſt, nec cogitatum, nec dictum volo. Ex Chriſtiana ego regula philoſophari amo.

Mirabuntur autem fortaſſis quidam, me theologica pertractare: nam ita dudum vulgavere ii, qui mihi bellum ultro indixerunt, non peregrinum modo me in ea eſſe diſciplina, ſed audere quoque nimium, eſſeque in noſtris commentariis Theologicis, qui manuſcripti feruntur, non leviuſculos errores. Quibus ego haud multis reſpondebo. Nam principio ut mihi eam Diſciplinam adrogem, longe abſum: neque enim ignoro quam curta mihi eam rem quod attinet ſit ſuppellex, ac ampliorem ejus, quam quivis excogitare poſſit, animo imaginem gero, cui exprimendae intelligo quam pauci pares eſſe

poſſint,

poſſint, tantum abeſt, ut ego valeam. Se id efficere nequit, quin, ſi quid valeam, in Religione tuenda, qua nihil nec antiquius, nec carius habeo, impendam. Scribent alii doctis, quibus ego gloriam non invideo: ego tirones inſtituendos ſuſcepi, quibus timeo plurimum, ne, ut ſunt mores, impiis, qui haud dudum prodiere, libellis, indeque ſacrilegis longe vagantibus ſermonibus, de pietate in Deum primum quidquam minuant, in omnia mox crimina, quod eſt conſectarium, ingreſſuri petulantiſſime. Caeterum Theologi mihi ut eas ob reculas nomen tribuam, id ego cavebo ſemper. Accedit, quod horriſonum hoc mihi vocabulum irae theologicae fecerunt, ut ne ſi uſurpare quidem liceret, libenter ferrem. Nos litteras pacatiores colimus: ac utinam per profanos homines liceret, Religionem, quae doctorum hominum problema evaſiſſe videtur, vita magis, quam ſcriptione tueri. Sed eo ventum eſt vitiorum, ut accuſare ea facilius ſit, quam emendare. Quid vero de elementis noſtris Theologicis olim in vulgus ſparſerint obtrectatores noſtri, id nunc ego ad praeſentem cauſam non refero. Nam etſi poſſim totius illius machinationis cauſas in medium efferre, oſtendereque aperte, non ſolum quam inique, ſed quam

 in-

inſcite & abſurde tota illa accuſatio peracta ſit, quantaque fuerit in ea cauſa Judicum ſapientia & fortitudo, qui perditis hominibus tam maſcule reſtitere; malo ego vel cum nominis mei detractione conticeſcere, quam veteres ac obductas cicatrices recentare. Nec ego nunc memoro crimini tributa quae minus intelligerentur, aut quae non de Chriſtiana regula, ſed de privatis opinionibus cenſerentur: illud tantum ne peccaſſent, ut ne vocabula quoque inter haereſes retuliſſent. Ut ecce: baptiſmum vocant veteres *φυλακτήριον τῆς ἐπιςῆσης* (*a*), ego *Symbolum Chriſtianae fidei*, Symbolumque pro *teſſera* accipio, quemadmodum & plures apud veteres (*b*): interim id vocabulum accuſatoribus noſtris haereſis eſt. Sacramenta appello *inſtrumenta Religionis Chriſtianae*, ut S. Thomas *inſtrumenta Dei incarnati & paſſi* (*c*): haereſis eſt. Quo demonſtrem & vetus Teſtamentum traditione olim interpretatos, ſcribo, *quaſdam veteris teſtamenti prophetias, quae ſecundum litteram non videntur ad Chriſtum referri, Apoſtolos* CONFIDENTISSIME *in ſuis ad Judaeos concionibus de*

Chri-

(a) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* 23.
(b) *S. Petrus Chryſol. ſerm.* 62.
(c) *Lib.* IV. *contra Gentiles cap.* 50.

Digitized by Google

Chriſto USURPASSE, *quod profecto non feciſſent, niſi ex traditione conſtitiſſet & de Chriſto fuiſſe dictas*: binae eo in loco repertae haereſes, CONFIDENTISSIME, & USURPASSE, Alicubi *Canum* laudo *in aureo libro de locis*: extractum, *Calvinus in aureo libro de locis*, criminique data laus. Ubinam gentium is Calvini liber deliteſcit? Ego ne igitur Theologi nomen horrificum non habeam? ego ne apologiam ſcribere nequeam? quis non in convicta rebus cauſa? Interim obmuteſcam libentiſſime: reus audire malo, quam turbatae caritatis auctor. Cauſam coram Deo agam. S. Gregorii Nanzianzeni locus eſt egregius, quo me conſolor. Ponam totum, eaque me apologia deinceps tutabor. Ponam autem ſemel tantum; paullo enim longior eſt (*a*).

Atqui pleriſque ſecus videtur, *inquies*: *quid id vero mea intereſt*, *qui rei veritatem magis curo*, *immo ſolum curo? hoc enim vel me condemnaverit*, *vel abſolverit: hoc miſerum*, *vel beatum reddiderit*. *At quid aliis videatur*, *nihil ad nos*, *quemadmodum nec alienum ſomnium*. *Non ita aliis videtur*, *ais*. *Quid vero? an iis*, *qui vertigine correpti ſunt*, *terra fixa*, *& ſtabilis eſſe vi-*

(a) *S. Greg. Nanz. orat.* 27.

detur? an Ebriis ſobrii integra mente eſſe, ac non potius in caput incedere, ac ſurſum deorſumque moveri? an non quibuſdam interdum hominibus mel amarum eſt, nempe morbo laborantibus, maleque affectis? An non propterea res ita ſe habent, ut, qui hoc ſtatu ſunt, arbitrantur. Quo circa fac prius fidem ſanos eſſe, qui de nobis ita ſentiunt, ac tum nos admone, ut meliorem mentem induamus: aut condemna, niſi conſilio tuo pareamus, ſed in eadem ſententia perſtemus. Non ita multis videor, at Deo ita: immo non videor, ſed perſpicuus, atque manifeſtus ſum ei, qui omnia priuſquam oriantur, novit: qui corda noſtra ſigillatim fingit: qui omnia opera noſtra, omnes motus, & cogitationes, cum quibus res a nobis geruntur, intelligit: quem nihil eorum, quae ſunt, latet, aut latere poteſt: qui aliter res noſtras intuetur, atque mortales ſolent (Homo enim videt in faciem: Deus etiam intuetur cor. Audiſti ſcripturam haec dicentem, ac fidem adhibe.) Cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magiſque curandum eſt, quam omnium aliorum in unum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutior & ſagacior, alter imperitior & hebetior eſſet, de eodem negotio in conſilium adhibens, haud recta menta praeditus eſſe videreris, ſi relicto prudentis

con-

Digitized by Google

conſilio, judicium imperiti ſequereris (neque enim Roboam ex eo laudem eſt conſecutus, quod pro nihilo habita ſenum ſententia juvenum conſiliis paruit): quum autem Deus & homines inter ſe expenduntur, judicia hominum potiora duces, quam Dei? Nequaquam certe id facies, ſi me audias, recteque ſentias. At, inquis, tuarum contumeliarum nos pudet. Me vero veſtri, quos ob eam rem pudeſcat. Nam ſi haec juſte patimur, nobis potius ipſis, quam vobis noſtra cauſa, erubeſcendum eſt, non quia contemnimur, ſed quia contemptu, & ignominia dignos nos praebemus: ſi autem inique, crimen eorum eſt, qui contumeliam inferunt: ac proinde illorum potius, quam noſtri cauſa indignari & ſtomachari debetis, quoniam ii ſunt, quibuſcum male agitur. Quod ſi me, quum malus eſſem, optimum virum exiſtimares, quid mihi faciendum eſſet? impior ne ut eſſem, quo magis tibi placerem? haud quaquam ſane id mihi conſilii dediſſem. Eodem modo, nec ſi me recte & cum virtute incedentem offendere ac labi putes, a recta vivendi ratione propter te deſiſtam. Nec enim tibi magis, quam mihi ipſi vivo: atque in omnibus rebus conſiliarii loco rationem, Deique juſtificationes habeo: a quibus plerumque, etiam nullo accuſante, convincor; & rurſum condem-

nan-

nantibus multis abſolvor. Atque hoc unum tribunal nemo effugere poteſt, internum nempe atque in nobis ſitum, quandoquidem id ſolum ob oculos propoſitum habere debemus, ut rectum vitae iter teneamus. Quod autem ad hominum de nobis exiſtimationem attinet, ita animo comparati ſumus, ut ſi quidem contingat, non illibenter accepturi ſimus (ut humani etiam aliquid dicam); ſin autem in contrarium cadat, valere jubebimus, nec quicquam de rei veritate propter hominum opinionem detrahemus. Quiſquis enim rei cujuſpiam gratia virtuti ſtudet, is profecto neutiquam firmas in virtute radices egit. Simul enim atque res ea effluxerit, recti quoque ſtudium deponet: quemadmodum qui quaeſtus cauſa navigat, niſi lucrum praeſto ſit, navigare deſiſtet. Atqui bonum ipſum propter ſe colit & amplectitur, quoniam rem fixam & ſtabilem amat, certam quoque & conſtantem erga illud animi alacritatem habet: adeo ut divinum aliquid ſentiens, his quoque Dei verbis uti poſſit, Ego idem ſun, & non mutor. *Quamobrem nec ab animo ſuo migrabit, nec immutabitur atque a ſe deſciſcet, nec cum temporibus ac rebus collabetur, alias alios mores induens, ac ſubinde colores aſſumens, non ſecus ac polypi, petrarum, ad quas acceſſerit, colores referunt: verum idem*

ſem-

ſemper ſuique ſimilis permanebit, fixus in rebus minime fixis, immotus in incertis & fluctuantibus, non aliter, opinor, ac rupes quaedam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur, ſed etiam incurſantes undas circa ſe frangit atque abſumit. Verum de his hactenus: nec enim mihi vacat cum linguis pugnare: atque etiam fortaſſe plura diximus, quam conveniret. Sic ille. Tu ama, & vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM, ET PROP.

PRooemium de natura, utilitate, & generibus Theologiae. pag. 1. & ſeqq.

DEFINITIONES.

DEF. I. *Deus.* 24.
II. *Omniſcientia.* 25.
III. *Omnipotentia.* 26.
IV. *Providentia.* 27.
V. *Religio.* ibid.
VI. *Superſtitio.* ibid.
VII. *Prophetia.* 31.
VIII. *Miraculum.* ibid.

THEOREMATA.

CAP. I.

De Natura Dei.

PROP. I. *Exiſtit mens aliqua aeterna.* 32.
II. *Mens haec aeterna eſt incorporea & vera ſubſtantia.* 33.
III. *Et infinite perfecta.* ibid.
IV. *Mundus non eſt aeternus.* 34.
V. *Mundus eſt opus Mentis aeternae.* 35.
Veterum argumenta pro aeternitate Mundi. Ariſtotelis. 12. 37.
Refelluntur. 40.
Procli viginti argumenta enarrantur, & refelluntur. 44.
Duodecim argumenta Averrois. 96.
Refutantur. 100.
Alia duodecim argumenta. 104.

Di-

Digitized by Google

Diluuntur. 108.
V. *Exiſtit Deus.* 112.
VI. *Deus eſt unicus.* 113.
Scholion generale. 115.
Appendix, in qua de Dei natura uberius diſſeritur. 122.
Conſenſus Gentium Deum eſſe demonſtrat. ibid.
Dei exiſtentia argumentis phyſicis demonſtratur. 135.
Refellitur Pantheiſmus. 148.

C A P. II.

De illis Dei attributis, quae illi unienti conveniunt. 156.
VII. *Deus eſt immutabilis.* ibid.
VIII. *Deus eſt ſimpliciſſimus.* 158.
IX. *Deus eſt immenſus.* ibid.

C A P. III.

De proprietatibus Dei ſpiritualibus ac primum phyſicis. 162.
X. *Deus infinitam habet ſcientiam ſimplicis intelligentiae.* ibid.
XI. *Deus infinitam habet ſcientiam viſionis.* ibid.
Quinque divinae ſcientiae proprietates. 166.
XII. *Nihil extra ſe Deus efficit niſi libere.* 169.
XIII. *Deus eſt potentiſſimus.* 170.
XIV. *Deus non poteſt moraliter efficere, quod ſuis attributis adverſatur.* 172.
XV, *Deus eſt providentiſſimus.* 173.

C A P. IV.

De attributis Dei moralibus.
XVI. *Deus non eſt obnoxius affectibus animalibus.* 177.
XVII. *Deo tribui nequeunt affectus rationales cum dolore conjuncti.* 178.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. *Rite ei tribuuntur affectus rationales cum voluptate conjuncti.* 179.
XIX. *Quae virtutes morales tribuantur Deo.* ibid.
XX. *Deus non poteſt velle miſeriam creaturarum rationalium quin mereantur.* 180.
XXI. *Deus vult creaturarum rationalium beatitudinem.* ibid.
XXII. *Malum metaphyſicum neceſſario rebus adhaeret.* 181.
XXIII. *Creaturae rationales ut poſſint recta ſuum finem perſequi indigent lege morali.* ibid.
XXIV. *Deus eſt bonus & beneficus.* 182.
XXV. *Mali metaphyſici origo.* 183.
XXVI. *Et mali moralis.* ibid.
XXVII. *Quid mala phyſica.* 184.

APPENDIX.

In qua de Dei beneficentia & de origine malorum diſſeritur copioſius & accuratius. 186.

CAP. V.

De officiis creaturae rationalis erga Deum, & de veritate Religionis Chriſtianae. 211.
XXVIII. *Deo debetur Religio.* ibid.
Quae falſae Religiones. 215.
Primum Ethnica. 216. & ſeqq.
Deinde Mahummedana. 224.
XXIX. *Religio naturalis vera eſt, ſed nec integra nec ſufficiens.* 230.
XXX. *Revelatio eſt humano generi neceſſaria.* 234.
XXXI. *Libri novi Teſtamenti genuini ſunt.* 253.
XXXII. *Libri novi Teſtamenti veraces ſunt.* 265.
XXXIII. *Vera miracula ſunt a Deo tantum.* 273.
XXXIV. *Libri novi Teſtamenti ſunt divini.* ibid.
XXXV. *Deiſtarum objectiones adverſus hiſtoriam novi Teſtamenti refelluntur.* 289.

XXXVI.

Digitized by Google

CAPITUM ET PROP.

XXXVI. *Refelluntur Deiſtarum objectiones adverſus dogmata novi Teſtamenti.* 301.
XXXVII. *Veteris Teſtamenti libri ſunt genuini.* 325.
XXXVIII. *Vis prophetica eſt ſolius Dei.* 332.
XL. *Ex novo Teſtamento demonſtratur divinitas veteris Teſtamenti.* 346.
XLI. *Idem demonſtratur a prophetiis.* 347.
Idem argumentum tractatur copioſius. 352.
XLII. *Reſpondetur Deiſtarum objectionibus.* 370.
XLIII. *Religio Chriſtiana vera eſt divina.* 391.

ER.

E R R A T A.

Pag. 131. in nota vulgari. l. vulgati.
176. v. 26. murmuratione. l. murmurationes.
203. v. 30. haec. l. hae.
110. v. 28. eae. l. ea.
225. in nota. l. Gagnier.
265. v. 35. duobus. l. duabus.
302. v. 27. alterutrum eſſe verum.
l. alterutrum eſſe falſum.
336. quaereretur. 4. l. quaeretur.
Ibid. v. 17. haberent, haberet.
Ibid. v. 27. Spenlei. Spenceri.
392. 4. optimae. l. opimae.

ELE.

ELEMENTORUM
METAPHYSICAE
MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATORUM
PARS III.

Principia Theoſophiae naturalia.

PROEMIUM.

I. NUlla eſt totius Philoſophiae pars hac, de qua agimus, nec pulchrior ac jucundior, nec magis neceſſaria, magiſque ad rem noſtram pertinens. Principio, quid pulchrius, quam Patrem & Opificem Mundi contemplari, a quo ſumus id totum, quod ſumus, a quo conſervamur, cujus beneficiis perpetuo cumulamur, cujuſque tantum poſſeſſione beati eſſe poſſumus? Deinde quum a Deo & ut ſimus, & ut conſervemur, pendeamus: eique idcirco amorem, ſervitutem, & cultum perfectiſſimum debeamus; iſque cultus nec mancus eſſe debeat, nec ſuperfluus, ſed ſupremae Dei naturae, ejuſque attributis conſentaneus; inde fit, ut neceſſaria ſit homini Dei, divinorumque attributorum cognitio, niſi in ea re, qua nihil carius nec antiquius habere debet, cultu ſcilicet & pietate erga ſuum auctorem, perpetuo aberrare velit. Praeterea officia noſtra lege naturali, velut prima & immutabili regula, reguntur: ad legem vero naturae conſtituendam & intelligendam neceſſaria eſt Theologia naturalis. Nam nec ſine ſupremo mundi imperante eſſe ulla in natura poteſt lex hominibus omnibus communis; nec, ſi Deum ignoremus, hujuſmodi legis

capita ac vim ſcire poſſumus. Tandem, ut caetera mittam, plurimum juvat in vita pacate tranſigenda cognitio ſupremae Dei naturae, providentiae, beneficentiae, bonitatis, juſtitiae, potentiae, &c. Haec enim cognitio & in adverſis ſpem in nobis ingenerat melioris vitae, atque alacres efficit: & in proſperis ſanctum quemdam timorem nobis incutit, quo a nimio praeſentis vitae amore abſtrahamur. Contra, qui Deum ignorant, aut contemplari negligunt, & in adverſis miſerrimi ſunt, quippe qui nullum vident portum, ad quem confugiant: & in proſperis perditiſſimi, atque item miſerrimi; quandoquidem in iis bonis totam ſuam felicitatem collocant, a quibus habere nequeunt (*a*).

II. Sed ſunt fortaſſis, qui totam hanc diſciplinam inutilem & falſam reputent, clamentque imponi populo a Theologis. Quum enim conſtet, inquiunt, inter omnes, qui de Deo philoſophantur, ignotam nobis Dei eſſe naturam, recenſeaturque inter Dei proprietates praecipuas *incomprehenſibilitas*, verboſa quidem eſſe poterit Theologia, vera non poterit, nec proinde utilis. Ac quod natura Dei ſit incomprehenſibilis mentibus humanis, inde patet, quod ſit illa infinita; mentes vero humanae breviſſimae, ut inde de Deo cogitare incipiant homines, ubi nihil in natura certi & explorati amplius vident. Accedit quod veteres Theologi aperte eam incomprehenſibilitatem praedicant. Quum Plato dixiſſet, *Deum invenire difficile, evulgare impoſſibile*, Gregorius Nanzian. orat.34. ita corrigit, ut pro eo, quod Plato invenire ait *eſſe difficile*, *ille multo impoſſibile eſſe dicit invenire*, *quam eloqui*. Plura ſunt ſimilia Patrum dicta, quorum quaedam protulit Petavius to. 1. Dogm. Theol. lib. VII. cap. 1. B. Thom. eumque Schola omnis ſecuta tradunt, Deum non poſſe intelligi, niſi via *remotionis*, ideſt removendo ab ea natura quicquid perfectiſſimum non ſit. Huic argumento addunt, totam Theologiam contentioſam eſſe, diſcordias

(a) *Perelegantiſſime totam hanc rem explicuit ac demonſtravit Eminentiſſimus Poliniacus in lib. 2. Antilucretii.*

dias atroces progignere, quae non ſine dolore in tota hiſtoria Eccleſiaſtica leguntur: occupari praeterea in quaeſtionibus magna ex parte aut otioſis, aut inutilibus aut ejus generis, quae nullo modo mente humana finiri queant; pleriſque etiam, quae non leves ſcrupulos injiciunt. Ex quibus conficere ſibi videntur, non modo inutilem eſſe Theologiam, verumetiam noxiam.

III. Ei argumentationi binis verbis reſponderi poteſt. Dei exiſtentiam, & quaſdam ejus proprietates, eas præcipue, quae vitae noſtrae interſunt, ideſt primam univerſi cauſam aeternam, ſapientiſſimam, potentiſſimam, optimam, manifeſtis naturae argumentis intelligi, ii negare poſſunt, qui prorſus bardi ſunt, & ſtupidi. Et quamquam perfectam, & adaequatam Dei notionem mortalium nemo complecti animo poteſt, aut perfecte Divinam naturam explicare, quod veterum illa ſcita docent, quibus Deus incomprehenſibilis ſtatuitur; id tamen nihil officit veritati, & utilitati hujus diſciplinae. Quemadmodum non inde confeceris ſcientias phyſicas falſas eſſe & inutiles, quod perfectam corporum notionem, eorumque, quae in corpore inſunt, non habemus. Quinimmo nulla ferme apud homines hujuſmodi diſciplina eſt, cujus objectum illi adaequate noſcant, aut profiteantur: nec propterea omnes inutiles, & verboſas potius, quam veras dicemus, niſi perridiculi eſſe velimus. Nam quod S. Gregorius Nanzianzenus, aliique Patres pronunciant, id dicunt de perfecta comprehenſione divinae Naturae, & quidem ut retunderent ſuperbiam, & temeritatem cum primis Graecorum Philoſophorum, tum etiam Gnoſticorum quorumdam, quales erant Anomaei, quos idcirco S. Chryſoſtomus copioſe redarguit in Homeliis adverſus Anomaeos. Quandoquidem ergo conſtat de primo hujus diſciplinae objecto, ſtolidi ſint oportet, qui ea ſcientia Populis imponi clamant. Quod addunt, diſcordias hanc ſcientiam atroces alere, & in nugis plerumque, aut periculoſis quaeſtionibus ſerendis occupari Theologos; id non diſciplinae vitium eſt, ſed Pro-

feſſorum. Itaque non magis eam ob rem accuſare Theologiam poſſis, quam Medicinam, aut Oratoriam, quod plerumque occidant Medici; Oratores vero ſeditiones aut excitent, aut alant. Sed hujuſmodi argumenta protrita jam in Scholis evaſere & puerilia.

IV. Eſt autem Theoſophia ſcientia Dei divinarumque rerum, atque earum omnium quae ad Deum quoquo modo pertinent. Solet apud Theologos noſtros dividi in *Naturalem*, & *Revelatam*. Prior ex Naturae ideis, poſterior ex ideis revelatis, de Deo diviniſque rebus ratiocinatur. Ac quamquam jamdudum priorem Metaphyſici, poſteriorem Theologi ſibi adrogaverunt, ut provincias inter ſe partitos dicere poſſis; tamen utrumque hoc Theologiae genus conjungendum eſt ei, qui omnibus numeris abſolutus Theologus eſſe cupit, ut ſcilicet idem & quae ratio patefacit, & quae docet revelatio in promptu habeat, & in numerato. Auguſtinus certe utrumque ſequi ſe ſolitum ſcribit: *ego*, inquit, *ita ſum affectus, ut quid ſit verum, non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem* (a). Idem prorſus praeſcribit Theologo S. Thomas in 1. contra Gentes libro. Veteribus ferme omnibus Chriſtianae Religionis Theologis certa eadem erat & fixa ſententia. Rationem humanam λόγον eſſe, & participationem aeternae Dei rationis, & radium intellectus Dei, ſcribunt ſaepe Juſtinus Martyr, Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Auguſtinus, aliique. Origenes in primo contra Celſum docet bis a Deo leges hominibus promulgatas, primum *via rationis*, deinde via Prophetiae, atque id, ait, ſignificare Scripturam, dum narrat, bis a Deo in Sinai ſcriptas. Ac paulo poſt ait mirum non eſſe, ſi & Graeci quidam philoſophi Dei unitatem, & prima verae moralis philoſophiae capita perviderint, quum eorum omnium ſemina in cordibus hominum ſint inſcripta,

(a) *Lib.* III. *contra Academicos cap.* 20.

pta, indeque fieri ut omnibus poſſint eſſe communia. S. Gregorius Nanzianzenus Orat. 2. de Theologia poſtquam accurate & docte ex ipſis rebus factis Dei providentiam oſtendiſſet, *ad hunc*, pergit, *modum ratio illa, divinitus omnibus inſita, & prima in pectoribus noſtris condita lex, cunctiſque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quae oculis cernuntur, ad Deum ſubvexit*. Idem Orat. 23. quae eſt in laudem Heronis philoſophi Alexandrini, aperte, ut ille ſolet, ſcribit, *oportere hominem aut Philoſophum eſſe, aut Philoſophiam laudare, ne brutae ſocordiae damnetur, qui rationis particeps creatus eſt*. Additque illud, excolendam rationem, quia *per rationem ad Verbum imus* διὰ λόγου πρὸς λόγον σπεύδοντες. Auctor perantiquus commentariis in Eſaiam cap. 8. inter opera S. Baſilii tom. 1. *ſunt autem*, inquit, *modi duo, quibus poſſumus adduci ut cognoſcamus Deum, ſuſcipiamuſque curam noſtri ipſorum; ſi aut cogitationibus naturalibus per viſibilia adſcendamus ad Conditorem, aut per legis nobis traditae doctrinam*. Mitto alios. Quod quum alias utiliſſimum ſemper fuit tum noſtro praeſertim ſaeculo neceſſarium, in quo Deiſtae abuſu rationis naturalis divinitus traditae doctrinae imperitiſſime ſimul & impudentiſſime inſultant. Quibus enim armis Theologus profanum hoc hominum genus adorietur, ſi ſit in ea re, qua illi abutuntur, minus inſtructus? Perridiculus enim eſt Matheſeos ignarus, qui Mathematicos confutare velit; quo exemplo utitur alicubi Hieronymus.

V. Sed illud hoc in loco animadvertendum eſt, eſſe non leve inter revelatam, & naturalem Theologiam diſcrimen. Anguſtior & imperfectior eſt illa: haec amplior & perfectior. Scilicet lumen naturae exiguum eſt, & magna ex parte humanae naturae tenebris oblitum: lumen vero revelatum & longius latiuſque patet, & purius eſt, atque ſincerius. Hinc Apoſtolus ad Corinth. ſcribit: *loquimur ſapientiam* Dei *in myſterio, quam praefinivit Deus ante ſaecula ad gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſaeculi agnovit*.

Epiſt. 1. cap. 11. 3. Nam quamquam in Epiſtola ad Romanos fatetur, ope rationis naturalis Philoſophos Deum agnoviſſe; non aliud certe intelligit, niſi exiſtentiam & primas quaſdam ac praecipuas proprietates ſupremae alicujus Univerſi cauſae intelligentiſſimae, & potentiſſimae. Itaque addit *illos in cogitationibus ſuis evanuiſſe*, *nec coluiſſe ut Deum*, quod nempe & in pleriſque dubii fuerint & confuſi, & notionem illam Divinitatis ac quae notionem illam ſpectant, vel erroribus foedaverint, vel aliis factarum rerum notionibus corruperint. Quam rem par eſt ut perpendant, qui rationem naturalem, in Adae potiſſimum filiis, ſtulte ſupra revelationem extollunt. Quod quid eſt aliud, niſi humanam rationem ſupremae Dei rationi & ſcientiae praeferre? Hoc ipſum vero nihil aliud eſt, quam dum rationem tuearis humanam contra omnem rationem pugnare (*a*).

VI.

(a) *Cognitionem Dei divinarumque rerum*, *quam Natura nobis ſuppeditat*, *imperfectam eſſe*, *mancam*, *confuſam*, *inde demonſtrat S. Thomas in contra Gentes cap.* 3., *quod nihil eſt omnino*, *quod Deo & creaturis* univoce *conveniat: itaque alter ex alteris nulla analogia*, *ſed vix conjectura aliqua intelligi poteſt*. *Ac vero analogia locum habere nequit*, *niſi in iis rebus quae ad idem genus pertinent*; *eſt enim analogia proportionis cujusdam argumentum*. *Conſtat autem ſub nullo communi genere naturam Dei infinitam ac res creatas contineri*, *id quod Scholae acutiores Theologi intellexere*. *Ita fit ut Deum velut* cauſam *Univerſi* efficientem *intelligamus omnes & facillime*, *non item ut* cauſam exemplarem. *Qua ex re conſequitur*, *ejus* ideas *ac* voluntates *nos vix aliqua ex parte attingere ex noſtri & Univerſi contemplatione*; *ac propterea in his rebus Dei ipſius perveſtigare debere revelationem*. *Spectat huc S. Hilarii illud*, non relictus eſt hominum eloquiis de Dei rebus alius praeterquam Dei ſermo: omnia reliqua & arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura (*lib.* VII. *de Trinitate n.* 38.)

Digitized by Google

VI. Atque haec talia ſunt ut Ethnici ipſi ſapientes cognoverint, quae Deum ſpectant, aut a Deo ipſo, aut ab iis, qui a Deo ſunt orti, diſci debere, quemadmodum loquitur Plato in Timeo, quem locum magnifice laudant vetuſti ferme omnes Chriſtianae religionis Apologiſtae, in primis Origenes, & Clemens Alexandrinus. Praeclarum illud Euripidis in Helena p. 1164.: *Neque compertum habeo, quid certum ſit in rebus humanis: Deorum verba vera eſſe reperi*, Philoſophi ipſi Gentiles humanae mentis brevitatem & rationis imbecillitatem ad unum omnes agnoverunt, quorum loca congeſſit Huetius, ſeu quiſquis ſit (*a*), in Opuſculo Gallice edito *de imbecillitate mentis humanae*.

VII. Sed inde praeterea Theologiae naturalis imperfectio dignoſcitur, quod nemo Philoſophorum fuerit, qui dum ſolam naturae rationem ſectaretur, non aliqua turbaverit circa naturam Dei, & Spirituum, circa originem Mundi & Providentiam, circa officia erga Deum, & homines. Materiam omnes Graeci Philoſophi, ne divino quidem Platone excepto, Deo coaevam poſuere: omnem Providentiam, fortaſſis etiam divinitatem omnem, tum omnia jura naturae ſuſtulerunt Democritici, & Epicurei: Pantheiſmum docuerunt Pythagorici, & Eleatenſes: Fato Deum ſubjecere Stoici: Ariſtoteles & Fatum Spinoziſticum docuit in Phyſicis, & in animorum natura nutavit. Itaque non ſine ratione veteres Eccleſiae Patres in primis Epiphanius haereſi 67. quaeruntur, bonam partem haereſeon ex Philoſophia, ſeu potius philoſophiae abuſu natam. Gregorius Nanzianzenus orat. 26. lamentatur, *Pyrrhonis inſtantias, Chryſippi Syllogiſmos, Ariſtotelis pravum artificium, & facundiae Platonis praeſtigias male in noſtram Eccleſiam irrepſiſſe*,

(a) *Adjudicavit eum librum Huetio Antonius Muratorius in eo libello, quo Huetiani libri doctrinam refellit. Sed vereor ut perſuaſerit omnibus.*

tamquam AEgyptia quaedam flagella. Tertullianus Philoſophos appellat *Patriarchias Haereticorum*, quod & repetit inde Hieronymus. Legi meretur elegantiſſimus Moſshemii libellus de turbata per juniores Platonicos Eccleſia, qui 2. to. ſyſtem. intell.. Cudworthi adjectus eſt.

VIII. Neque hoc de vetuſtis tantum dictum volo, ſed de ipſis quoque recentiorum Philoſophorum ſectis. Profecto nimia admiratio Carteſianiſmi non leves produxit in chriſtiana Republica errores: inde enim natus eſt Bekkerrianiſmus, & Spinoziſmus, quod adnotatum ſaepe eſt a viris doctis. Ex renovato Epicureiſmo phyſico emerſit Hobbeſianiſmus. Ex Chymiſtarum ſecta Fanatiſmus. Ex Newtoniana Pantheiſmum confirmare quidam adniſi ſunt. Quod dico non ut Theologus haec ignoret, quae ei hoc praeſertim, ut dixi, tempore, ſunt neceſſaria, ſed ut ne in cujuſquam verba juret, neve a ratione ultra quam par eſt ſe abripi ſinat. *Philoſophiae* (inquit eleganter Clemens Alexandrinus (a)) *ut nucis non omnia comedenda*.

IX. Illud etiam accedit maximum diſcrimen, quod Theologia naturalis nec omni ex parte integram moralem nos docet, nec demonſtrat vera media, quibus cum Deo, a quo primi hominis peccato humanum genus deſcivit, reconciliemur, ut vitam aeternam habere poſſimus. Hinc Apoſt. ad Corinth. 1. cap. 1. 19. ſcribit: *ſcriptum eſt, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*. Idem Apoſt. in epiſt. ad Roman. diſceptans cum Hebraeis aperte docet, ſine fide in Chriſtum, & ſine doctrina chriſtiana neminem ſalutem habere poſſe ex ſolis operibus legis: tantum abeſt, ut ex ſola naturali Religione habere queat. Petrus item Apoſtolus ſolemniter illud edicit: *Non eſſe aliud nomen ſub coelo hominibus datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri, praeter Jeſum Chriſtum*. Et vero ſi principia

(a) *Lib.* IV. *Stromatων*,

cipia Philoſophiae moralis vel praeclariſſimorum Graeciae Philoſophorum attente examinaverimus, manca illa in pluribus, & in pluribus abſurda reperiemus, quod alibi oſtendemus.

X. Egregie & ſaepe hac de re diſputant Patres. Unius Lactantii verba ponemus, quae ſunt elegantiſſima. *Doctrinam Dei* (inquit) *ſequimur, qui ſcire ſolus poteſt, & revelare ſecreta, cujus doctrinae Philoſophi expertes exiſtimaverunt naturam rerum conjectura poſſe comprehendi, quod nequaquam fieri poteſt, quia Mens hominis tenebroſo corporis domicilio circumſepta, longe a Dei perfectione ſubmota eſt . . . . Unde nobis aliquo lumine opus eſt ad depellendas tenebras, quibus offuſa eſt hominis cogitatio . . . . Lumen autem mentis humanae Deus eſt, quem qui cognoverit, & in pectus admiſerit, illuminato corde, myſterium veritatis agnoſcet: remoto autem Deo coeleſtique doctrina, omnia erroribus plena ſunt*. Haec Lactantius. Legi poteſt & Clemens Alexandrinus exhortatione ad Gentes, & quae ſuper eadem re praeclare commentatur Huetius in lib. 1. Alnetan: Quid? quod ipſe Benedictus Spinoza teterrimum recentiorum Deiſtarum caput in Tract. Theol. Polit. cap. 16. ingenue ſcripſit, *Viam ad ſalutem nobis a revelatione tantum, non etiam a Philoſophia demonſtrari?* nempe tanta eſt vis veritatis, ut refractarios quandoque, & contumaces ipſos ad ingenuam confeſſionem adigat. Quam ob rem delirant Deiſtae, qui nos ad ſolam Theologiam naturalem revocare conantur; qui ſi attenderent animo, nullo negotio intelligerent, ex infinitis, ut dixi, Philoſophorum diſcordiis, quam imperfecta illa ſit, &, niſi regatur divina revelatione, turbulenta.

XI. Ceterum non ita haec dicta velim, quaſi aut futurus Theologus omnem prius rationem excutere debeat, nulluſque naturalis rationis ſit in Theologia uſus; aut nihil omnino de Deo rebuſque divinis philoſophia nos docere poſſit. Alioquin & ſtupidi tantum ac crudi homines Theologi ſummi eſſe poſſent; & ſupervacaneam nos operam ſuſcepiſſemus in tertia hac Metaphy-

ſicae-

ſicae noſtrae parte ; qui ex naturalibus notionibus de Deo diſſerere aggredimur . Itaque quod & ratione Theologus utatur inde perſpicuum eſt , quod nulla diſciplina apud homines ſine rationis uſu conſtare poſſit; tantum abeſt ut Theologia , quae ſuprema ſapientia eſt, quod poſt Ariſtotelem Scholae Theologi omnes concordiſſime docuerunt . Tantundem igitur eſt rationis uſum omnem a Theologia diſterminare , atque illam e fundamentis convellere . *Quid intereſt*, inquit Canus lib.IX. cap. 4. *ratione animi ſublata , non dico inter ruſticum , & Theologum , ſed inter Theologum , & pecudem ; aut ſaxum etiam , aut truncum , aut quidvis generis ejuſdem ?* Is idem graviſſimus Theologus eodem in loco cap. 3. ſalſe eos irridet Theologos , qui ad nomen rationis , quoties Theologica pertractantur , exhorreſcunt . *Erunt igitur ii* , inquit , *ſi ita res procedit , optimi praeſtantiſſimique Theologi , qui plurima loca memoria tenuerint , & , quod juriſperitis objicitur , qui Elenchi fuerit librorum & indices , rerum interea , earumque cauſarum , uſuum, finium , item ſtructurae ac ordinis egregie ignari . Id quod in Germania regnante Luthero accidit , ut ſutores , qui novum Teſtamentum memoria mandarant , magni , & praeclari Theologi haberentur ; atque adeo mulierculae , quoniam Evangelia , & Paulinas Epiſtolas memoriter recitare poterant , omnium Academiarum Theologos ad diſputandum provocarent , auderentque viris concurrere non virgines , ſed mulieres corruptiſſimae . Abeant igitur , & quoniam cum hominibus homines nec ratiocinari , nec philoſophari volunt, ei , qui ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines non re , ſed nomine) ſe , ſuamque Theologiam inſinuent .*

XII. Ceterum quum uſus rationis in Teologia triplex eſſe poſſit : primus ut ex rerum naturalium notionibus de Deo diviniſque rebus , quatenus breviſſimus mentis humanae captus protendi poteſt , diſſeramus , quod Metaphyſicae , ideſt naturali Theologiae diſciplinarum metatores tribuerunt : alter ut artem ratiocinandi & naturae notiones adhibeamus ad revelatio-

tionem conſtabiliendam, & defendendam: tertius ut eadem ratiocinandi arte utamur in Scripturis divinis interpretandis, indeque Theologiae ſyſtema deducendum, & contexendum; omnes Theologo eſſe neceſſarios pronuncio. Principio in ea Theologiae parte, quae naturalis dicitur, quantulacumque ea ſit, ex naturalibus rerum notionibus de Deo, ejuſque attributis, de rerum creatione, & gubernatione, de naturae legibus, de mente humana, de hominum officiis, quouſque iri poteſt, ratiocinari debet Theologus. Quin haec omnia revelata ipſa Theologia velut in anteceſſum nota ſupponit. Nam revelatio non homini data eſt, ut lumen rationis, quo homines ſumus, extingueret, aut ſuffocaret, ſed ut augeret, purgaret, regeret. Hinc S. Thomas ſaepe vere ac graviter pronunciat, *fidem ſupponere rationem*, *quemadmodum gratia naturam ſupponit*. Tertullianus in lib. de Reſurrect. Carnis, *præmiſit*, inquit, *Deus naturam magiſtram*, *ſubmiſſurus & prophetiam*, *quo facilius credas prophetiae diſcipulus naturae*. Quo in loco animadvertendum eſt, vehementer eos falli, qui doctrinam revelatam naturali rationi eſſe contrariam opinantur, quod quum ſcripſiſſet Robertus Olchot veteris Scholae Theologus, in omnium Theologorum reprehenſionem incurrit (*a*). Enim vero *principiorum naturaliter notorum* (inquit egregie S. Thomas) *cognitio nobis divinitus eſt indita*, *quum Deus ipſe ſit Auctor naturae noſtrae*, *eaque principia Divina Sapientia continentur*, ut propterea non poſſint iis revelata eſſe contraria, quin ſibi ipſe Deus adverſetur (*b*). Sed intelligendum eſt, principia rationis naturalis e rebus naturae in nobis informari; ut proinde ſuos habeant terminos, quos qui praetergreditur, totum ille rectae rationis uſum pervertit. Quocirca ſunt illa quidem prima Dei divinarumque rerum intelligendarum ſemina, minime tamen

(a) *Franciſcus Ferranienſis ad lib.* 1. *contra Gen. cap.* 8.
(b) *S. Thomas lib.* 1. *contra Gen. cap.* 7.

men adaequata, quaeque omnem Dei naturam, ejuſque conſilia, rerum praeterea cum Deo relationes omnes patefacere poſſint.

XIII. Deinde quum nemo inducitur ad divinam revelationem acceptandam ſine *motivis* quibuſdam, quae Theologi *motiva credibilitatis* appellare conſueverunt; haec quoque motiva ratio primum hominibus ſuppeditavit, id quod magna conſenſione Theologi omnes docuere. Nam qui privatum neſcio quem ſpiritum induxerunt, quo in divina revelatione inſtrueremur, nae ii inſanivere ſolemniter, grandemque portam perridiculis fanaticorum erroribus aperuerunt. Quid enim eſt tam incredibile, quod hac ratione velut divinitus revelatum non prædicare poſſimus? Quamobrem quum Auguſtinus ſcripſiſſet, *Fidem eſſe cogitare cum aſſenſione*, perquiſivere in id ſubtiliter Theologi. S. Thomas iſtuc *cogitare* accipit *pro actu intellectus deliberantis*, *qui actus habet hoc quidem cum ſcientia communis*, *quod ſit firma adhaeſio* (*a*). Hic vero actus intellectus, qui dicitur *credere*, pergit idem Theologus (*b*), *licet non habeat inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur*; *habet ſaltem inquiſitionem quamdam eorum*, *per quae inducitur homo ad credendum*, *puta quia ſunt dicta a Deo*, *& miraculis confirmata*. Nempe ſunt iſta adhaeſionis illius motiva. Quum dixiſſet Paulus in 1. ad Corinth. cap. 2. v. 4. Sermonem ſuum demonſtrationem habere in *Spiritu & virtute*, id ita intellexit Origenes in 1. contra Celſum, ut Religionis Chriſtianae veritas e duobus praeſertim fontibus petenda ſit, *ſpiritu*, ideſt prophetiis, & *virtute*, ideſt miraculis, eſſeque ait hanc demonſtrationem ei peculiarem, quae ſcilicet a *factis* eſt, indeque totam fidei Chriſtianae rationem petendam, in quo veteres Chriſtianae rei Apologiſtae fer-

(a) 2. 2. *qu.* 2. *art.* 1.
(b) *Ibid. ad* 1.

Digitized by Google

ferme omnes egregie verſati ſunt, verſarique hodie debent ii omnes, quos pro loco, in quo ſunt poſiti, Chriſti doctrinam adverſus graſſans in dies profanorum genus tueri oportet.

XII. Nec alia ratione haec coeteri Theologi explicant, quorum ego loca hic praetermitto ne longior juſto nimius ſim. Durandi tantum a S. Porciano intactum locum, plane egregium, etſi longiuſculum, praetermittere ego nequeo. Is ſic ſuper ea re diſſerit (a). *Ratio non totaliter dimittitur a credente, imo non eſt poſſibile aliter credere: ſaltem meritorie* (b). *Quum enim credere ſit quoddam aſſentire; aſſentire autem nullus poteſt, niſi ei quod apparet verum; igitur oportet quod illud quod creditur appareat rationi verum vel in ſe, vel ratione medii, per quod aſſentitur; & ſi non in ſe, ſed tantum ratione medii, illud medium apparebit verum vel in ſe, vel per aliud medium; & ſi non eſt proceſſus in infinitum oportet igitur quod devenitur ad primum, quod apparet rationi eſſe verum in ſe & ſecundum ſe: & tale ſecundum ſe concordat rationi; igitur fides non excludit rationem, ſed ſupponit praeviam, licet non rationem demonſtrativam;* [Unde

(a) *In 3. diſt. 24. qu. 3. num. 8.*

(b) *Quae ego omnia non probo: nam diſtinguere debemus inter eam fidem, quae* meritoria *eſt, quae eſſe nequit niſi a Dei gratia; & eam, quam* hiſtoricam *appellare licet, quam argumentis factum aliquod probantibus denegare non poſſumus, ſi ſint illa ab omni exceptione immunia. Quo modo ex. g.* daemones credunt *illi quidem* & contremiſcunt, *iis commoti argumentis, quibus quo major eorum ratio eſt, minus reſiſtere poſſunt. Eſt haec hiſtorica fides. Sed non haec demum eſt* meritoria, *ſed* illa quae *eſt* efficax per charitatem, *quae merum Dei donum eſt. Ad priorem ergo factorum fidem faciendam argumenta, adeoque rationis uſum, ſine qua nullum eſſe poteſt argumentum, neceſſaria eſſe ajo: poſteriorem gratiae eſſe intelligo.*

Digitized by Google

Unde ipſemet Salvator doctrinam fidei quam praedicabat, reduxit ad quaedam apparentia in ſe, ſcilicet ad miracula, ut ex apparentibus & viſis ratio eſſentiret dictis non apparentibus: unde ipſe dixit Johan. 10. *Poſtquam dixerat*, ego, & Pater unum ſumus, *quod eſt non apparens in ſe*, ſi enim non facio opera Patris mei, nolite credere, ſi autem facio, & ſi mihi non vultis crere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt & ego in Patre. *Et idem fuit de doctrina Apoſtolorum, de qua dicitur Matth. ult. quod praedicaverunt Deo coeperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

XIV. Supereſt nunc ut illud perveſtigemus, quoúſque rationi, & Dialecticae in Dei revelatione interpretanda, & ex ea latentes concluſiones deducendas, indulgere poſſit Theologus: ſeu quatenus ex Divina Scriptura philoſophari liceat, & quo uſque probanda ſit, vel improbanda Scholaſticorum methodus. Quae quamquam videri poſſint aliquibus aliena ab hoc loco, non ſunt tamen. Nam qui in *naturali Theologia* tirones inſtruere conor, quo ad Revelatam aptiores ſint, rationis in re Chriſtiana genuinum uſum demonſtrare officii eſſe mei duco, ne illi ratione abutentes, & a revelata juxta atque a naturali excidant; eoque id libentius efficio, quo rerum hujuſmodi imperiti quidam, aut nomini meo infeſti, ea ſuper hac re vulgavere, quae a principiis, quibus ego illa pluries ediſſerui, toto, ut dicitur, coelo aberrant.

XV. Scriptura data eſt homini, ideoque rationis uſum ſupponit, quem formet, ſubſtineat, & regat, ut ſuperius diximus. Ergo debent Eccleſiae Paſtores intelligere, aut ſi primo intuitu non intelligant, accurate perveſtigare verborum divinorum ſenſus, eorum extenſionem, uſum, conſequentias, ideſt *cor Dei ſtudere in verbis Dei*, ut loquitur Gregorius Magnus. Atque hoc eſt *Philoſophari hominem ex Scriptura*. Hoc tantum abeſt, ut in Theologia Chriſtiana vetetur, ut potius non ſit aliud Chriſtiana Theologia. Legatur Origenes in 6. contra Celſum, qui id ut probet, Scripturae loca duo profert, al-

terum

Digitized by Google

terum Proverb. 10. 17. alterum Eccleſiaſt. 21. 18. Nos ſequentibus auctoritatibus id demonſtramus. Paulus 1. ad Corinth. 15. 20. *Ne ſitis pueri intelligentia, ſed malitia parvuli eſtote, intelligentia autem perfecti*. Et in eadem Epiſt. 10. 15. *ut prudentibus loquar, vos ipſi judicate, quod dico*. Id ipſum comprobatur ex iis Scripturarum locis, in quibus non tantum Apoſtoli, ſed Chriſtus ipſe adverſus Judaeos argumentantur ex Scriptura, aut in quibus ad ſcrutinium ſcripturarum eos remittunt. Hinc cultum noſtrum vocat *rationalem* Paulus ad Rom. Comprobatur praeterea ex iis, qui quod ratione, prout oportet non utuntur, reprehenduntur. Deuteron. 32. 28. & 29. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia! utinam & intelligerent, & noviſſima providerent*. Marc. 8. 17. & 18. *Nondum cognoſcitis, & intelligitis? aut caecatum habetis cor veſtrum? Oculos habentes non videtis?* Praeterea inter maxima mala, quae Deus homini minitatur, eſt ut habentes verbum Dei ad ſalutem, neſciant illud intelligere. Iſaiae 6. 8. *Excaeca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum*. Quam prophetiam impletam eſſe in Hebraeis docet Matth. 13. 13. & Mar. 4. 11. 12. His omnibus accedit quod Patres ferme omnes hoc ſcrutinium perpetuo moneant, quorum loca vide apud Petavium in prolegomenis Dogmatum.

XVI. At hoc ſcrutinium Eccleſiae ideſt Paſtorum quidem proprium eſt, jureque iis divino praeceptum, Theologis vero caeteris jure Paſtorum commiſſum; nec ad alios pertingit. Et quidem Paſtorum eſt, quia *Populus ab iis legem Domini requirit*, ut Malachias loquitur: ei vero officio parere nequeunt niſi ſint in ſtudiis Scripturarum, & Eccleſiaſticorum monumentorum omnium verſati Praeterea cura Epiſcoporum ſpiritualis eſt; paſcere debent populos cibo verae doctrinae: ergo *ſubſtantia ſacerdotii ſui ſunt divinae Scripturae*, ut Auctor librorum Dionyſii Areopagitae ſcribit veriſſime.

In-

Intelligebant id veteres Epiſcopi, quorum idcirco tot commentarios, tractatus, homilias, expoſitiones, quaeſtiones in Scripturas habemus. Intellexere Patres Synodi VII. Oecumenicae, qui can. 11. ſtatuunt, *ut nemo deinceps ad Epiſcopatum promoveatur, niſi qui SCRUTABILITER, & non tranſitorie, legere ſciat ſacros Canones, Evangelium, divini Apoſtoli librum, & omnem divinam Scripturam, ut ſecundum Dei mandata converſari poſſit, & docere populum ſibi commiſſum*. Intellexere Patres Concilii Tridentini, in quo quum ea quaeſtio propoſita eſſet, utrum deberet Concilium examen inſtituere Dogmatum, quae Lutherani negabant, eſſentque plures, qui inficiabuntur, eam ob rationem, quod eſſent alias ab Eccleſia examinata & definita, id omnino fieri oportere decrevere, quod Pallavicinus copioſe retulit. Ceterum quum Paſtores adulto Chriſtianiſſimo tot curis pares non ſint, creati ſunt Cathechiſtae, Concionatores, & Theologi, qui haec ſtudia majori otio excolerent. His ſemel ad hanc curam vocatis incumbit noviter eam peragere. Legere Scripturas oportet, ſubſidia omnia comparare, quibus ejus ſententias illuſtrent, atque in vitam chriſtianam derivent. Inſtruere in Academiis juventutem; errores refellere; tantum non litigare inutiliter. Jam omnium hoc ſtudium & ſcrutinium eſſe nego: nam in Eccleſia non omnes ſunt Paſtores, ſed major pars oves. Illorum ergo cura eſt paſcere: horum officium audire. Qui haec communia omnibus faciunt, ii oeconomiam a Chriſto inſtitutam, ab Apoſtolis praedicatam, a tota veteri Eccleſia confirmatam, foediſſime perturbant. Porrò quum Epiſcopi, tum ceteri Theologi iis regulis hoc ſcrutinium regere debent, quas Trulliani PP. Can. 19. percepere. *Qui Eccleſiis*, inquit, *praeſunt omnem Clerum, & populum doceant pietatis, & rectae Religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non traſgredientes jam poſitos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad Scripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam*

ali-

aliter interpretentur, quam quomodo Eccleſiae luminaria, & Doctores expoſuerunt.

XV. Jam ne ambiguitate decipiamur, obſervandum eſt, triplex ſtatui poſſe Scripturae ſcrutinium. Primum quo illa ad normam rationis naturalis exigitur. Secundum quo inveſtigatur, ſit ne in Scriptura id de quo contenditur. Tertium quid ſequatur ex Scripturae pronunciatis; quidve ſit illis oppoſitum. Ac primum quidem ſcrutinium, vel intelligitur ita ut in ſingulis doctrinis revelatis oſtendatur nihil eſſe quod principiis rectae rationis adverſetur; vel ita ut recta ratio ſit ſuprema norma credendorum, & non credendorum ex Scriptura, quod contendit Auctor Anonymus libri *Philoſophia Scripturae interpres*, & in quod videtur inclinare Collinum in *libertate cogitandi*. Primo modo ſcrutinium hoc acceptum duplici ex cauſa eſt Theologo neceſſarium. Primum ut ſcrupulos rationis compeſcat, fidemque ſecuriorem faciat, quod docent Origenes praef. contra Celſum, S. Baſilius in ſermone de fide, vetuſtiqui Patres ferme omnes. Enim vero nequit eſſe mens quieta, quae aliud ſibi videtur intelligere, aliud debere credere, quouſque doceatur, dogmata revelata rationis quidem humanae captum ſuperare, *rectae rationi* non eſſe adverſa. Nam ut libet voluntatem per fidem Deo ſubmittas, ſi tamen apparens quaedam ratio obmurmurat contra, animo a ſcrupulis pacatus eſſe non potes. Quocirca utiliſſimum eſt ad ſcrupulos quorumdam compeſcendos, aut eradicandos, oſtendere, nihil eſſe in chriſtianis dogmatibus, quod e diametro cum recta ratione pugnet, multa licet ſuperiora, ad quae ratio nullo modo pertingit, quaeque credere ſit neceſſe, quando illa eſſe revelata conſtat; in quo ipſam rectam rationem conſentientem habemus, quae docet Deum eſſe ſupremam rationem, adeoque ei parendum in omnibus etiam ſine ulla alia ratione. Deinde, ut refellantur ii, qui Theologiam Chriſtianam eſſe principiis *rectae rationis* adverſam, ignari quid iſtuc *recta ratio* ſibi velit, docent, quorum & olim fuit magna copia Gentilium,

& Arabum, & nunc eſt Deiſtarum. Itaque quum veteres Apologiſtae Chriſtianae Religionis; tum B. Thomas, aliique Scholaſtici, & nuper Theologi ceteri, hanc in primis ſibi provinciam traditam crediderunt, ut demonſtrarent argumenta Gentilium, Arabum, & Deiſtarum fallaces eſſe argumentationes, nihilque eſſe in Theologia noſtra rectae rationi contrarium; multa licet ſuperiora; qua in re excelluit B. Thomas in utraque Summa. Et quamquam non tam ſtuduit conciliare dogmata fidei cum principiis rectae rationis, quam cum principiis Philoſophiae Ariſtotelicae, & Arabicae; in quo eſſet reprehendendus, niſi eo tempore publice creditum fuiſſet, *rectam rationem*, & Philoſophiam Ariſtotelicam unam eamdemque rem eſſe: tamen & methodum atque viam, quam ceteri ſequerentur, demonſtravit, & vim Arabicarum argutationum acutiſſime pervidit & perfregit omnem.

XVII. At quod Auctor *Philoſophiae Scripturae interpretis* vult, tolerari non poteſt neque in Chriſtiano, neque in non Chriſtiano homine. Nam Chriſtianus intelligit Scripturam eſſe ipſam Dei rationem per prophetiam homini communicatam; adeoque furioſi eſſe hominis ponere rationem humanam imbecillem, & breviſſimam, humanis ideis loge depravatam, pro norma ſummae rationis Dei; quippe ratio ipſa dictat, normam ſecuriorem eſſe debere normato. Accedit quod ſi ratio non tantum *inſtrumentum* eſt quo intelligantur quae ſunt credenda, quod nos docemus, ſed *norma* credendorum, itaut antequam ad Scripturam accedamus, illa nos doceat omnem veritatem Religioni neceſſariam, ut Auctor iſte delirat; profecto divina revelatio inutilis erit, quando per rationem habere omnia poſſimus. Tandem contrarium eſt Scripturae, quae Philoſophiam comparatam ad Dei revelationem vocat inanem fallaciam, (ad Coloſs. 2.) & prudentiam, quam Deus reprobavit (1. ad Corinth. 1.) In non Chriſtiano; quia huic demonſtrandum eſt, ſolam rationem naturalem non eſſe ſatis ad hominem e vitae humanae coeno ſublevandum, adeoque neceſſariam eſſe divi-

nam

Digitized by Google

nam inſtitutionem : ex quo ſequitur, ut demonſtrata ſemel Divinitate Scripturarum, earumque neceſſitate, non poſſit haberi ratio humana pro illarum norma. Videant nunc Anonymi fautores quales Theologi eſſe velint, ut ſciamus quo pacto debeamus cum illis diſputare.

XVIII. Alterum ſcrutinium & eſt Eccleſiae prout continet Paſtores: & Theologorum, velut Doctorum a Paſtoribus conſtitutorum: utrique enim apud nos conceditur. Sed Eccleſiae proprium eſt, & authenticum, Theologorum ex oeconomia velut in partem curae ab Epiſcopis adſcitorum. Et quidem Eccleſia diligenter examinat, ſint ne in Scriptura, & traditionibus Apoſtolicis ea dogmata, quae proponit credenda, atque in eo examine omnes rationis, & critices fontes verſat; quippe, ut Theologi dicunt, *Spiritus Dei aſſiſtit Eccleſiae prudenter agenti, non vero inconſulto, & temere*. Itaque in Conciliis omnibus OEcumenicis palam in medio proponebantur Codices ſacri, atque in ſingulis quaeſtionibus PP. attentiſſime Scripturas, & Traditiones perſcrutabantur. Atque ubi Epiſcopi ſibi ſolis fidere noluerunt, adhibuere Theologos, qui in *Congregationibus Synodalibus*, res pro, & contra expenderent, ut ita facilius veritas innoteſceret. Patet hoc ex hiſtoria Conciliorum perpetua. Inde & veteres PP. omnes, & poſteriores omnes Theologi hanc ſibi provinciam demandatam crediderunt, ut Scripturas diligenter verſarent, & exponerent. Epiſcopi quidem divino, ut diximus, ad id praecepto impulſi, ac jure ſuo: Doctores ab Epiſcopis adſciti, ac miſſi. Hinc natae ſunt homiliae, commentarii, tractatus, libri polemici, ſyſtemata theologica. Calumniatur ergo Collinus, dum ſcribit prohiberi apud nos hujuſmodi ſcrutinium, nihilque aliud eſſe Romanam Religionem, niſi fidem ſine ratione; in quo illum ſolemniter mentiri, ac ſine ullo pudore, Catholicorum libri ſatis demonſtrant. Quid enim aliud ſunt tot acta Conciliorum, tot Commentarii in Biblia, tot Theologorum ſyſtemata? Sed iſti non ſibi fieri ſatis putant, niſi ea inducta in Religionem libertate,

 qua

Digitized by Google

qua illam ſinguli dilacerent, ac funditus ſubvertant, qua Paſtorum, ac Ovium, Doctorum, & Diſcipulorum diſcrimen omne auferatur, ut ea tandem ſit vera Religio, non quae a Deo demiſſa eſt, ſed quae mulierculae delirae, ſutori, lanio, item ebro, furenti, mentecapto, ſceleſtiſſimiſque quibuſque placuerit, ut tum tandem belle cum Deo, ac hominibus, ſi Diis placet, agatur. Quid autem eſt aliud humanitatem omnem exuere? Quid gigantum in morem cum Diis bellare? Sed pudet me cum furioſis diſſerere. Illud addo, & hoc etiam ſcrutinium ab Epiſcopis, & Theologis magna cum cautione adhibendum eſſe: nam, ut Eſichii verbis utar in Levit. lib. 11. cap. 6. *ut qui calefacit, non propius ad ignem accedit: ita qui de Deo diſputat.* Appoſite quoque Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Hebraeos, *quum ubique religioſa circumſpectaque mente opus eſt, tum maxime quum de Deo loquimur, vel audimus*; cui illud Salviani conſentit in lib. 1. de gubernat. Dei, *Cum grandi metu, ac diſciplina etiam pro Religione dicere debemus*.

XIX. Quod ſpectat ad ultimum, in quo proprie Theologia Scholaſtica poſita eſt, varie ea quaeſtio in Eccleſia agitata fuit. Plerique veteres invehuntur contra uſum Dialecticae in Theologia. Tertull. *de praeſcript.* late hunc locum exequitur cap. 7. *Inſerunt*, inquit, *Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit ſtruendi, & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, moleſtam ſibi ipſi etiam, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. . . . Quid ergo Athenis, & Hieroſolymis, quid Academiae, & Eccleſiae, quid Haereticis, & Chriſtianis? Noſtra igitur inſtitutio de Porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt*. Ambroſius quoque lib. 1. de Fide cap. 3. de Arianis loquens: *Omnem*, ait, *vim venenorum ſuorum in Dialectica diſputatione conſtituunt; quae Philoſophorum ſententia definitur, non aſtruendi vim habens, ſed deſtruendi,*

endi,

endi, *ſed non in Dialectica placuit Deo ſalvum facere populum ſuum: Regnum enim Dei in ſimplicitate fidei eſt*, *non in contentione ſermonis*. Videtur idipſum docere S. Baſilius in eo ſermone *de fide*, quem ſupra laudavimus. Plura alia videri poſſunt apud Petavium loc. cit. cap. 3.

XX. Haec atque acriora multo in Theologiam Scholaſticam jaciunt juniores Haeretici. Lutherus in lib. adverſus Jacobum Latomum aſſerit Theologiam Scholaſticorum eſſe nihil aliud quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Coloſs. I. 11. Apoſt. praecavendam praecipit. Et in lib. de abroganda Miſſa privata, furore percitus pronunciat, *Academias eſſe Antichriſti lupanaria*. Digna impuro homine vox! Jam noſtrorum eruditorum quidam, in primis Melchior Canus, non raro in Scholaſticae Theologiae abuſum iraſcuntur, quum quod ſaepius ex Ariſtotele diſſerunt, quam ex Scriptura, tum quod quaeſtiones plerumque inanes, ſpinoſas, & periculoſas ferunt. *Intelligo autem*, inquit ille lib. VIII. cap. X. *fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios*, *qui univerſas quaeſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolverint*, *& vanis invalidiſque ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis detrahentes ediderint in Theologia commentaria vix digna lucubratione anicularum*. *Et quum in iis ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint*, *Conciliorum mentio nulla*, *nihil ex antiquis ſanctis oleant*, *nihil ne ex gravi Philoſophia quidem*, *ſed fere e puerilibus diſciplinis*: *Scholaſtici tamen*, *ſi ſuperis placet*, *Theologi vocantur*. *Nec Scholaſtici ſunt*, *nedum Theologi*, *qui ſophiſtarum fecem in ſcholam inſerentes*, *& ad vomitum viros doctos incitant*, *& delicatiores ad contemptum*. Et lib. IX. cap. I. *Hoc vero ſaeculo*, inquit, *fuiſſe etiam in Academiis multos*, *qui omnem ferme Theologiae diſputationem ſophiſticis*, *ineptiſque rationibus tanſegerint*, *utinam ipſi non fuiſſemus experti*. *Egit autem Diabolus*, *quod*, *ſine lacrymis non queo dicere*, *ut quo tempore adverſus ingruentes ex Germania haereſes oportebat Scholae Theologos optimis eſſe armis inſtructos*, *eo* nul-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

nulla prorſus haberent, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irriſi ſunt a pleriſque, ac merito irriſi, quoniam verae Theologiae ſolidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, eaſque ipſas utinam ſequerentur. Sed & lib. VIII. cap. 1. alterum Scholaſticorum quorumdam vitium reprehendit: *Intelligo etiam*, inquit, *in Schola fuiſſe nonnullos quaſi ad diſcordiam natos, qui tum optime diſſeruiſſe ſe putant, quum contra Doctores dixerint, ut non tam verum inveniſſe velle videantur, quam adverſarios convincere, concertationibuſque & rixis totas chartas implere*: Sed aliud eſt vitia reprehendere, aliud Scholas omnes, quod furioſi eſt hominis, abolere. Illa enim in moribus ſunt poſita, quos emendare poſſis: ſine hac nullius diſciplinae inſtitutio eſſe poteſt. Appoſite Hieronymus epiſtola illa celebri ad Paulinum: *Agricolae, caementarii, fabri metallorum, lignorumque caeſores, lanarii quoque, & fullones, & caeteri . . . . abſque Doctore eſſe non poſſunt, quod cupiunt*. Ut ergo materiem, ſeu quaeſtiones quaſdam quandoque in Scholaſticis jure culpemus, & id quoque quod nimium Ariſtotelem, & Arabes extulere; Artem tamen commendamus, ac probamus, in qua Scholae Theologi praecelluere. Emendetur ergo materies: ad principia ſua revocetur Theologia: ars retineatur; tantum vitia, quae illi adhaeſere tergantur.

XXI. Itaque res ita componi poteſt. Argumentari in Theologia Chriſtiana ex Scripturis, & Traditione, quae ſunt propria Theologiae noſtrae principia, nec improbari poteſt, & eſt neceſſarium. Nam qua alia ratione generales Scripturarum ſententias caſibus particularibus adaptare, quae in illa ſunt occulta in lucem deducere, doctrinarum revelatarum harmoniam demonſtrare, falſa dogmata internoſcere, ſuperſtitionem a Religione ſecernere, argutias haereticorum refellere poſſumus, niſi argumentatione? Qui hoc facit, non qui garrit ex Arabica Philoſophia, is eſt Scholaſticus Theologus. *Quem vero intelligimus*, ait idem Canus, *Scholaſticum Theologum? aut hoc verbum in quo homine ponimus*

mus? opinor in eo, qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, ac docte, ex literis, inſtitutiſque ſacris, ratiocinatur. In Scriptura nempe, & Traditione continentur principia chriſtianae Religionis; conſequentia autem, aut repugnantia, quae noſſe debet Theologus, argumentatione eliciuntur. Non igitur negligenda argumentatio; ſed vitia argumentationis reſecanda. Ad rem idem Canus cap. 20. *Poteſt eſſe quidem abſurdius; quam ſola diſciplinae principia habere definita; concluſiones vero, quae certo ac evidenti ſyllogiſmo ex illis conficiuntur, aut ignorare velle, aut in ambiguo relinqui? Quod ſi in Geometria; Phyſica; Aſtrologiave quiſquam aſſereret, vere, & jure ſtultiſſimus haberetur*. Lege & Petavium cap. v. Prolegom. Et vero qua alia ratione ſyſtemata Theologica a Theologis novarum Sectarum ſcripta ſunt (*a*)? puderet Lutherum, ſi viveret, ac remiſiſſet primaevus ille furor; non blaſphemiarum tantum, ſed frequentium ineptiarum; quibus ille libros ſuos velut gemmis diſtinxit; quae jure ac merito Melanctoni ipſi fidiſſimo Achati & admiratori faſtidium; quandoque etiam ſtomachum, fecere. Sed vitia Dialecticae; aut potius Dialecticorum, & aliorum, qui humanas diſciplinas pertractant; ea vero in Theologiam invehere; & nobiliſſimam ſcientiam profanum in morem foedate potius, quam ornare, id, inquam, cavendum ſedulo Theologo. Neque aliud veteres illi Patres, qui Dialecticam & Philoſophiam accuſant intellexere. Caeteroquin illi ipſi, & ratiocinantur, & Philoſophorum regulis utuntur, etiam iis in locis, in quibus Philoſophos reprehendunt, & veram philoſophiam commendant, id quod iis eſt exploratum, qui in eorum ſcriptis vel mediocriter ſunt verſati. Sed videor modum exceſſiſſe, ac eorum qui haec lecturi ſunt, veniam peto.

(a) *Vide Joh. Frid. Stapſeri praeſ. in Iſtit. Theol. Polemicae editae Tiguri an.* 1743. 1747.

Digitized by Google

DEFINITIONES

Def. 1. DEus eſt Ens æternum, omniſcium, liberum, ab omni materiae compage ſegregatum, in ſe perfectiſsimum, ſibi ad beatitudinem ſufficientiſsimum, Univerſi cauſæ, ejuſque optimus gubernator.

Sch. Deum eſſe id, quo melius excogitari nequit, ſaepe definit Auguſtinus (*a*). Eandem Dei notionem ſtatuit S. Anſelmus in Menologio. Eandem poſuit & Carteſius in meditat. tertia, ac inde Deum exiſtere ita confecit, quod nec eſſe poſsit notio Entis infinite perfecti, niſi ab Ente ipſo infinite perfecto, nec notio iſtaec Ens infinite perfectum exhibere poſsit, niſi exiſtentiam complectatur, quae perfectionum, ut ille ratiocinatur, praecipua eſt. Socrates in Phedone Deum vocat, quod idem & ſibi aequabile ſemper eſt, ipſum pulchrum, ipſum Ens, & omne, τὸ, ἴσον, τὸ καλὸν; τὸ ἕκαστον. Speuſippus Platonicus Philoſophus in definitionibus Platonicis Deum definit *vivens immortale, ad beatitudinem ſibi ſufficiens, eſſentiam ſempiternam, naturae ipſius boni cauſam*. Noſtrae perſimilem Stoici brevem Naturae divinae deſcriptionem dederunt, quam retulit Laertius (*b*). Spinoza ipſe (tanta eſt veritatis vis!) Deum habet *Ens abſolute infinitum, hoc eſt ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam & infinitam eſſentiam exprimit* (*c*) Itaque ne Athei quidem a communi hac hominum perſuaſione in Dei natura deſcribenda abſcedere audent. Eadem vero perſuaſio, paulo licet involutior, inter omnes gentes repe-

(a) *Vide lib.* 1. *de doct. Chriſt. cap.* 6. *&* 7. *libros Soliloquiorum*.

(b) *Lib.* 7. *ſect.* 147. *Vid. & Cic. de Nat. Deor. lib.* II.

(c) *Ethic. part.* 1. *def.* 6.

reperitur, quarum ut nulla eſt, quae non aliquam ſupremae hujus Mundi cauſae notionem habet, ita nulla, quae eam non concipiat velut infinite perfectam. Quocirca ex communi gentium omnium perſuaſione noſtra haec definitio proficiſcitur; ut ſi res definitione iſta comprehenſa revera exiſtere demonſtretur, quod paulo poſt efficiemus, conſtabit Deum exiſtere.

II. Omniſcientia eſt omnium earum rerum, quae aut ſunt, aut futurae ſunt, aut poſsibiles, perfectiſsima comprehenſio.

Sch. Solet apud Theologos divina ſcientia ita diſtingui, ut altera ſit *ſimplicis intelligentiae*, altera *viſionis*. Ea ſcientia, qua Deus intelligit omnia poſsibilia, velut poſsibilia, *ſimplex intelligentia* appellatur. Ea vero, qua Deus videt futura, *ſcientia viſionis*, & *praeſcientia* dicitur. Quum autem rerum *futuritio*, ut loquuntur, a Divina voluntate, & libertate pendeat, inde factum eſt, ut ſcientia viſionis diceretur etiam *libera*. Porro ſunt futura in duplici claſſe poſita: ſunt enim alia *abſoluta*, alia *libera*. Hinc recentiores quidam Theologi tertiam addiderunt Deo ſcientiam, quae futurorum liberorum ſit. Quumque futura libera mixta videantur ex *poſſibili* & *futuro*, tertiam hanc ſcientiam *mediam* appellavere. Interim animadvertendum eſt, totam hanc ſcientiae Divinae partitionem non ſpectare Naturam Dei, in qua nihil eſſe poteſt multiplex & varium, ſed pertinere tantum ad claſſes objectorum ſcientia illa comprehenſorum. Praeclare S. Thomas, *ea quae ſunt diviſim*, inquit, *& multipliciter in creaturis, in Deo ſunt ſimpliciter & unite, ut ſupra dictum eſt. . . Homo autem ſecundum diverſa cognita habet & diverſas cognitiones . . . . ſed haec omnia Deus una & ſimplici cognitione cognoſcit* (a). Ac ſunt haec in ſimplici Dei natura perſpicua. Illud non aeque clare patet, ſed diſquiſitione accurata inveſtigandum eſt, recte ne Divinae

(a) *I. part. q.* 14. *Art.* 1. *ad* 2.

vinae ſcientiae objecta in tres claſſes conferantur, ut alia ſint *mere poſſibilia*, alia *futura abſoluta*, alia *futura libera & conditionata*. Primum ſi quidquid intelligentia ſua complectitur Deus futurum aliquando eſt, nulla ei *mere poſſibilium objectorum* claſſis ineſſe poteſt. Tum ſi futura omnia aeternis Dei decretis conſtituta ſunt, ei futura omnia abſoluta ſunt; quae ſi non ſunt, ne decretis quidem Dei comprehenduntur omnia futura, ac erit in natura rerum quidquam *puri caſus*. Difficilia ſunt haec & ſublimia: itaque effecere, ut non ſine ratione tertiam illam Dei ſcientiam oppugnaverint plures. Sed ea de re in loco diſſeretur.

III. Omnipotentia eſt potentia ea omnia ſolo nutu faciendi, quae non ſunt intrinſecus impoſsibilia.

Schol. Solet Dei potentia diſtingui in *abſolutam* & *ordinatam*, ſeu *phyſicam*, & *moralem*, ut alii vocant. Potentia abſoluta & phyſica eſt tota Dei vis activa, quacumque patet. Ab hac potentia nihil poteſt eximi, niſi tantum *impoſſibilia intrinſeca*, quippe quae non ſunt capacia exiſtentiae. Potentia ordinata & moralis eſt eadem Dei vis activa quatenus limitatur ex ſuis attributis aut phyſicis aut moralibus: itaque minor eſt potentia phyſica. *Quod attribuitur potentiae* (inquit S. Thomas) (a) *ſecundum ſe conſideratae, dicitur Deus poſſe ſecundum potentiam abſolutam; & hujuſmodi eſt omne illud, in quo poteſt ſalvari ratio entis, ut ſupra dictum eſt. Quod vero attribuitur potentiae divinae ſecundum quod exequitur imperium VOLUNTATIS JUSTAE hoc dicitur Deus poſſe facere de potentia ordinata*. Haec itaque potentia ad ea tantum protenditur, quae ſunt conſona ſapientiae divinae regulis, bonitati, juſtitiae ſanctitati: quae his contraria ſunt, ea a potentia hac morali eximuntur. Quamobrem ſunt plura, quae intrinſecus ſunt poſſibilia, quaeque ſub ambitu potentiae phyſicae continentur, ideſt quae non excedunt vim Dei

(a) *I. part. q. 25. art. 5. ad 1.*

Digitized by Google

Dei actívam, ſed interim effici a Deo nequeunt; utpote quae regulis ſapientiae Divinae, aliiſque Dei attributis moralibus adverſantur. Quae Dei potentiam phyſicam excedunt, ideſt quae exiſtentiae non ſunt capacia, ſunt *impoſſibilia phyſica & intrinſeca*: quae vero potentiam moralem *moralia Dei impoſſibilia* dici poſſunt. Priora efficere Deus non poteſt, quia eſſe illa non poſſunt: poſteriora non poteſt, quia non vult: non vult autem, quia non poteſt velle, quae cum ſua natura pugnant. Τό γὰρ, inquit Athenagoras *de reſurrectione*, ἀβύλητον, ἤως ἄδικον ἀυτω ἐςιν, ἢ ἀνάζιον, *Quod Deus non vult, ideo non vult; vel quod injuſtum ſit, vel quod indignum.*

IV. Providentia eſt earum rerum, quae ſunt, aut futurae ſunt, praeſcientia, diſpoſitio, & gubernatio, ideſt *ratio ordinis partium in toto, & ordinis rerum in finem* (a).

Schol. Duo ſunt in Providentia neceſſaria. Primum futurorum praeſcientia: ſecundum actio, qua ſingula futura quum ad fines ſuos peculiares, unde totum arcte, & ſapienter coagmentatum exiſtat, tum ad communem quemdam & ultimum agantur. Sine alterutro Providentia nec conſiſtere, nec intelligi poteſt. Deus ergo erit providus, ſi & quae ſunt, arte & regula facta ſunt, & ita ſingula ſuis locis ac temporibus aptata, & cum ſingulis colligata, ut inde mirus partium atque totius concentus exiſtat; & cuncta eum finem, ad quem aliquem ſint facta neceſſe eſt, non ſpectent tantum; ſed perpetuo ſequantur, ac tandem conſequantur. Id quod ſic ſe habere in hac rerum univerſitate, inferius ſumus demonſtraturi.

V. Religio eſt perfectus amoris, obſequii, & omnimodae ſervitutis cultus ei exhibitus, cui talis cultus debetur.

VI. Superſtitio eſt cultus, aut ex erroneis circa rem

(a) *S. Thom. 1. part. q.* 22. *Art.* 1.

Digitized by Google

rem cultam opinionibus manans: aut ei exhibitus, cui non debetur: aut exhibitus modis & ritibus abſurdis, minimeque rei cultae conſentaneis.

Schol. Opinatur Cicero (*a*) Religionem dictam eſſe a *relegendo*, quod ſit lecta Dei cognitio lectuſque cultus. Probat eandem originationem Auguſtinus (*b*). At Lactantius a *religando* dictam putat, qua nempe vinculo pietatis Deo obſtringamur & religemus (*c*). Si rem ſpectemus, utrumque eſt verum. Nam Religio & lectus cultus eſſe debet, non qualiſcumque nimirum, ſed Naturae divinae conſentaneus: & Religione quaſi vinculo quodam amoris, obſequii, timoris, Deo adſtringimur. Videntur veteres Latini *pietatem* a *religione* diſtinxiſſe: nam pietatem vocant internos amoris, venerationis, obſequii, timoris, ſpei, actus: religionem vero exteriorem pietatis conſentaneis ſignis teſtificationem.

Duae igitur ſunt Religionis quaſi partes, pura Dei cognitio, & proprius ac ſincerus cultus. *Pietas eſt*, inquit Euſebius, *quando quis ad unum & ſolum Deum, quem verum eſſe confitetur, & qui revera eſt, reſpicit, & ſecundum eum vitam inſtituit* (*d*). Itaque non poteſt veram Religionem habere, qui in alterutra parte peccat. Scitiſſime Lactantius: *non poteſt*, inquit, *nec religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a Religione ſecerni; quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiae, & honorari, quod eſt Religionis* (*e*). Ac vero quod pura Dei cognitio, ideſt Entis perfectiſſimi, & ſapientiſſimi, a quo rerum haec univerſitas facta eſt & gubernatur, prima ſit & maxima Religionis pars, inde patet, quod ea cognitione ſublata, aut erroribus foedata, cultus amoris, & ſervitutis aut eſſe nequeat, aut

(a) *Lib.* II. *de Nat. Deor. cap.* 28.
(b) *Lib.* X. *Civit. Dei cap.* 4.
(c) *Lib.* III. *Inſtit. divinar. cap.* II.
(d) *Lib.* I. *Praepar. Evang. cap.* I.
(e) *Lib.* IV. *Inſtitut. divinar.*

Digitized by Google

aut non eſſe rectus. Egregie Cicero, *niſi conſtet Deum eſſe, ejuſque vi atque numine omnia facta eſſe & ſervari, quae poteſt eſſe pietas, quae ſanctitas, quae Religio? Haec enim omnia pure & caſte tribuenda Deorum Numini ita ſunt, ſi animadvertantur ab iis, & ſi eſt aliquid a Diis immortalibus humano generi tributum* (a) Praeclarum eſt & illud Simplicii in Epictetum, *religionis erga Deos immortales praecipuum illud ſcito eſſe, rectas de eis habere opiniones, ut ſentias & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa*. Hinc divina illa Pauli vox, *accedentem ad Deum oportet credere & quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt* (b). Quocirca non recte ii humano generi conſulunt, qui in cultu tantum externo exornando toti ſunt, parum aut nihil ſoliciti in ea Dei ſcientia homines inſtituere, ex qua cultus ille manare debet, cuique eſſe conſentaneus, ut ſit rectus.

Altera Religionis pars practica eſt, profluitque neceſſario ex priore. Etenim ſi conſtet, ut conſtat perſpicue, Deum eſſe, ejuſque Numine omnia facta eſſe, & conſervari, manifeſtum eſt, ei deberi ab hominibus ſummum obſequium, & ſummum amorem, & ſummam ſervitutem, quum ſit & perfectiſſimus, & optimus, omniumque abſolutus Dominus atque Imperator. Eleganter hac de re diſputat Philippus Mornaeus (c). *Minimus*, inquit, *inter homines colliget & illico inferet, parenti obſequium, benefico Domino fidem, gubernatori invocationem deberi. Haec neceſſario ſe conſequuntur, Deus, ſubditus, ſervitium. Donator, acceptor, gratiarum actio. Creditor, debitor, obligatio.*

Sed ut clarius Religionis natura intelligatur, errores, qui religioni adverſantur, paucis definiemus. Plutarchus in celebri tractatione de ſuperſtitione acute obſervavit,

(a) *Lib. 1. de Nat. Deor. cap. 1,*
(b) *Ad Hebr. cap. 11. v. 6*
(c) *De Verit. Relig. Chriſtianae cap. 20.*

vavit, duos eſſe primarios errores, qui religioni adverſantur, Atheiſmum nempe, & ſuperſtitionem, quorum prior directe omnem religionem ſubvertit, eam tamquam hominum commentum traducens; poſterior vero indirecte, dum falſam religionem pro vera obtrudit. Atheiſmus autem vel *materialiſmus* eſt, quum omnes omnino ſubſtantiae incorporeae negantur, qualis eſt Epicureiſmus: vel *Pantheiſmus*, quum Deus & univerſum confunduntur, qualis eſt Spinoziſmus. Superſtitio item duplex eſt, aut falſus verae divinitatis, aut falſarum divinitatum ut verarum cultus.

Sed & dividi poteſt iterum Atheiſmus in *negativum* & *poſitivum*. Negativus eſt ſtatus ignorationis ſupremae divinitatis, quo in ſtatu eſſe poſſunt homines vel cum crimine, quales adulti, poſt adeptum uſum rationis; in iis enim ignorantia ſupremi Numinis invincibilis eſſe non poteſt: vel ſine crimine, veluti infantes, quorum non dum adulta ratio eſt, quique idcirco de Deo nondum cogitare queunt. Atheiſmus vero poſitivus item duplex eſt *theoreticus* & *practicus*: ille eſt aperta profeſſio nullum eſſe Deum, aut non eſſe niſi rerum univerſitatem, cujuſmodi Athei fuiſſe apud veteres dicuntur Critias Socratis diſcipulus, Theodorus, Protagoras, & quidam alii; poſtremis hiſce temporibus Spinoza, Tolandus, & quidam alii. Practicus Atheiſmus, quum quis non negat quidem eſſe Deum, ſed ita tamen vitam inſtituit ſuam, omnique ſcelere foedat, quaſi nullus eſſet Deus ſupremus rerum inſpector, & vindex; cujus Atheorum generis infinita propemodum eſt hominum colluvies.

Ad memoratos errores referuntur etiam Scepticiſmus univerſalis, Naturaliſmus, Politichiſmus, Hypocritiſmus, & Indifferentiſmus. Scepticiſmus univerſalis eſt, in quo nihil ſciri, nihil comprendi poſſe docetur, atque non ſolum reliqua dubia ſunt & incerta, ſed Dei quoque exiſtentia & natura. Non negant Sceptici Deum, ſed nec ponunt, nihil adfirmare in utramque partem comparati. Videri poteſt Sextus Empiricus in hypoti-

poſi-

poſibus Pyrrhonianis lib. III. Naturaliſmus ſecundum Bodinum triplex eſt, Pelagianiſmus, Deiſmus, & Pantheiſmus. Pelagianiſmus dicitur naturaliſmus, quod nimium Pelagiani naturae viribus indulſerint: is tamen error ad Atheiſmum nullo modo pertinet. Deiſmus eſt, in quo ſola ratio naturalis auditur, ſolaque naturalis religio retinetur, rejecta omni revelatione, qui error Atheiſmo viam ſternit. Ad Deiſmum accedunt Sociniani. Ea nunc ſecta mirum in modum in Europa graſſatur. Pantheiſmus tandem tertia claſſis eſt naturaliſmi, iſque verus Atheiſmus.

Politichiſmus, qui dicitur etiam Macchiavelliſmus, & Hobbeſianiſmus, quod eum Nicolaus Macchiavellus Florentinus, & Thomas Hobbeſius Anglus promovere conati ſunt, in eo poſitus eſt, quod doceat religionem non aliam ob rationem curandam eſſe, niſi quia Reipublicae eſſe poteſt utilis, adeoque ea utendum, quatenus Reipublicae intereſt. Indifferentiſmus generalis is eſt, in quo docetur, homines in qualibet religione ſalvari poſſe, non in Chriſtiana modo, aut in qualibet Chriſtianae ſecta, ſed etiam in Turcica, aut Gentili. Hyppocritiſmus tandem eſt ficta externa religionis imago ſine animo religioſo, qualem profitentur nebulones quidam, qui pelle ovium induti, intus ſunt lupi rapaces, ut Chriſtus Salvator noſter Phariſaeis improperat Matth. VII. 14. qui idcirco Phariſaeiſmus adpellari ſolet. Omnes recenſiti errores verae Religioni, quam uni vero Deo debemus in ſpiritu & veritate, adverſantur, ut demoſtraturi ſumus.

VI. Prophetia eſt earum rerum praedictio, quae nondum evenerunt, quum praedicuntur, quaeque neq; ex cauſis naturalibus, nec ex praeſente rerum ſtatu conjici poſſunt.

Coroll. Verae prophetiae character, idemque certiſſimus, eſt, quum hujuſmodi res praedictae ita eveniunt, ut praedictae fuerunt.

XII. Miraculum eſt effectum quodcumque, & contra conſuetas naturae leges mechanicas, & ſupra vires cauſarum naturalium. Itaque duo ſunt characteres ve-

ri-

Digitized by Google

ri miraculi. Primus ut ſit effectum contra conſuetas naturae leges mechanicas. Secundus, ut ſit ſupra vires cauſarum naturalium. Nec enim vero ad verum miraculum ſatis fuerit quidquam contra conſuetas naturae leges fieri, niſi etiam ita fiat, ut vires earum cauſarum, per quas fieri cernitur, ſuperet. Nam quaedam ſunt naturalia, ac e naturae mechanicis legibus fluentia, quae tamen arte ac viribus humanis in contrarium flecti poſſunt, quae quando vires humanas non ſuperant, miracula non ſunt dicenda.

Schol. Miracula ad duas claſſes referri ſolent, ut alia ſint quod ad *ſubſtantiam* & *modum*, alia quod ad *modum* tantum. Quod ad ſubſtantiam & modum ſunt, quum nullo pacto viribus naturae fieri poſſunt, velut reſuſcitatio mortuorum, multiplicatio panum, ſimilia. Quod ad modum vero quam ſimilia fiunt in natura naturae viribus, ſed non eodem modo. *Ex. gr.* febrim curare quod ad ſubſtantiam naturae vires non ſuperat: ſed curare uno verbo, ac in inſtante, id vero eſt, quod nemo efficere queat. Itaque miraculum dicitur quod ad modum.

THEOREMATA

CAPUT I.

De Exiſtentia & Natura Dei.

Prop. I. EXiſtit mens aliqua aeterna.

D. Mentem, ideſt ſubſtantiam cogitantem, exiſtere, ex intima patet conſcientia. Quum autem repugnet ſeries cauſarum infinita a parte ante (ex prop. 13. p. p.); & ex nihilo nihil fiat (ibid. prop. 3.) neque ex non cogitante cogitans, ideſt ſine ratione ſufficiente eſſentiae (ibid. prop. 7. ſequitur, eſſe debere rem aliquam cogitantem aeternam, ideſt mentem aeternam.

Sch.

Digitized by Google

Schol. Quemadmodum ex eo, quod exiſtit ens aliquod, concludimus exiſtere ens aliquod aeternum, quandoquidem ex nihilo nihil fit, & repugnat ſeries cauſarum infinita a parte ante; ita ex eo, quod exiſtat mens aliqua, concludimus exiſtere mentem aliquam aeternam. Pone enim non exiſtere mentem aliquam aeternam, mens quae profecto exiſtit, aut ex nihilo eſt: aut ab infinita ſerie mentium manat, quarum nulla ſit prima: aut ex re non cogitante res cogitans progignitur: quae ſunt tria impoſſibilia.

Poteſt aliquis opponere, ita quoque concludi poſſe exiſtere corpora aeterna, aut motum aeternum. Falſo: quippe non poſitis corporibus aeternis, aut motu aeterno, reperitur ratio ſufficiens exiſtentiae corporum, aut motus, poſita ſcilicet mente aeterna potentiſſima & libera. At ſi negemus mentem eſſe ullam aeternam, nulla erit ratio ſufficiens exiſtentiae mentis, ut demonſtratum eſt. Pluribus haec explicat Cudvvorthus in ſyſtemate intellectuali.

Prop. II. Mens haec aeterna eſt incorporea, & vera ſubſtantia.

D. Mens quaelibet eſt incorporea, & vera ſubſtantia, ſcilicet per ſe ſubſiſtens, nec ab alia re intrinſecus pendens (ex prop. 12. II. p.): ergo & mens aeterna incorporea eſt, & ſubſtantia. Deinde corpora, & corporum materia ſunt creata, ut conſtat ex 1. part. nihil ergo corporeum aeternum. Exiſtit vero mens aliqua aeterna; ergo incorporea; incorporeum vero ſimplex, & per ſe ſubſiſtens; ergo mens aeterna incorporea per ſe ſubſiſtit, ſeu vera eſt ſubſtantia. Tandem ſi mens aeterna corporea eſt, in infinitum eſt partibilis: quumque cogitatio ſit menti eſſentialis, erit cogitatio, ſeu vis cogitandi in infinitum partibilis, quod eſſe nequit.

Prop. III. Mens haec aeterna eſt infinite perfecta, ideſt omnes habet poſſibiles perfectiones.

D. Quodcumque eſt aeternum eſt neceſſarium exiſtentiae & eſſentiae, quum habeat in ſe ipſo aeternam & neceſſariam ſuae exiſtentiae & eſſentiae rationem

Digitized by Google

ſufficientem : quodcumque autem tale eſt nullas habere poteſt cauſas limitationis naturae, aut attributorum; ergo quodcumque eſt aeternum eſt infinite perfectum.

D. II. Quoniam nec materia, nec mundus ſunt aeterna (1. p. prop. 98.), & repugnat ſeries cauſarum ex parte anteriori infinita (ibid. prop. 13.); ſequitur eſſe debere aeternam cauſam, in qua ſit ratio ſufficiens Univerſi. Praeterea quoniam dato uno ente poſſibilia ſunt infinita ſimilia; nec eſſe poſſunt poſſibilia, niſi ſit aeterna eorum poſſibilitatis ratio ſufficiens; ſequitur eſſe debere rem aliquam aeternam, in qua ſit ratio ſufficiens omnium poſſibilium, ideſt infinities infinitorum. Nequit autem ea res hujuſmodi rationem ſufficientem continere, niſi ſit infinite perfecta; exſiſtit ergo res aliqua aeterna & infinite perfecta. Porro in numero entium, adeoque & poſſibilium, entia ſunt intelligentia; res ergo illa aeterna & infinite perfecta intelligens eſt, ideſt mens. Ergo mens aeterna eſt infinite perfecta.

Coroll. Ex his ſequitur, mentem aeternam eſſe omniſciam, omnipotentem, ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimam &c.

Prop. IV. Mundus non eſt aeternus.

D. Nullae mundi partes ſunt, non majores modo, ſed minimae ipſae corporum ſubſtantiae, quae ita modificatae ſint, ut nequeant non pluribus aliis modificari; nulla ergo pars mundi nec magna, nec parva eſt *neceſſarium eſſentiae*; ergo ne *exiſtentiae* quidem (prop. 17. p.p.): totus ergo mundus *contingens* eſt; non ergo neceſſitate exiſtit naturae ſuae: & proinde non eſt aeternus.

Schol. Quod eſt aeternum eſt *neceſſe eſſe*: id vero, quod tale eſt, ita exſiſtit, ut pugnet non exiſtere. Nulla autem mundi pars ita exſiſtit, ut pugnet non exſiſtere. Nam ut nulla eſt, quae ita modificata eſt ut ſit *impoſſibile intrinſecus* alium in modum modificari; ita nulla eſt, quae ita exſiſtit, ut pugnet non exiſtere. Praeterea ut hominis ſtructura mechanica talis non eſt, ut ipſa ſe conſervare ſemper poſſit, ut idcirco perſpicuum ſit homines

mines *eſſe entia contingentia*, ideſt ab externa cauſa pendere: eodem modo totam univerſi ſtructuram pendere ab externa cauſa conficio. Nihil enim in iis, quae univerſum ſpectant video ſic eſſe conſtructum, ut neceſſario ſit id quod eſt, non Globorum magnitudines, non formae, non vires, non diſtantiae, quorum nihil eſt, quod infinitis aliis modis eſſe nequeat. Tota ergo haec machinatio cauſam habet externam, eamque minime mechanicam. Nihil ego video eſſe apertius, ut me pudeat idiotarum iſtorum, qui ſibi aeternitatis veſtigia in mundo cernere videntur. Quid quod, ſi ex Tellure noſtra conjecturam facere liceat, ne magnae quidem antiquitatis? nihil enim in ea eſt, non dico quod aeternitatem, ſed quod antiquiſſimam ac ultra quam veteres traditiones docent, aetatem indicare poſſit. Horum argumentorum primum quidem peracute tractavit Clarkius prop: III., alterum copioſe & docte Jaquelodius, & Wotwardus.

Prop. V. Mundus eſt opus mentis aeternae.

D. Mundus non eſt aeternus (prop. 4), neque mundorum ſeries Democritica praeſentem mundum adduxit (p. part. prop. 13.); neque emanatione eſsentiali ab aeterna mente & ſubſtantia profluxit (Ibid. prop. 29.) ergo creatus eſt ex nihilo. Quum autem id exigat vim infinitam (1. p. prop.); a qua cauſa creari potuit, niſi ab infinite perfecta, intelligentiſſima, potentiſſima? Quum autem haec ſit mens aeterna (ex prop. 3.); ſequitur mundum eſſe opus mentis aeternae.

Schol. Ac mundum eſse opus artis & conſilii, is ignorare poteſt, qui ſenſibus omnibus ſit mutilatus: ſunt enim tanta ac talia quum in rota mundi machinatione, tum in ſingularum partium ſtructura perfectae ſapientiae veſtigia, ut, quod praeclare Cicero animadvertit, inter homines ii artifices excellentiſſimi & peritiſſimi habeantur, qui opera ſua ita ex natura exprimunt, ut in ea imitanda propius accedere videantur. Stultum vero eſt eos artifices habere ſapientiſſimos,

Digitized by Google

qui plenius naturam effingant, ac imitentur, naturam vero ipſam ſine ratione & arte factam arbitrari. Sed quoniam hoc argumentum & inferius a nobis explicandum eſt, & pertractatum eſt copioſe a viris doctiſſimis, hoc in loco ad rem digitum intendiſse ſufficiet.

Sed ſunt hoc in loco refellendi ii qui mundum nunquam genitum, ac fuiſse a tota aeternitate ita ut nunc eſt, ſaltem neceſſitate naturae & ab aeterno a Deo genitum, ſtultiſſime arbitrantur. Quod duobus modis efficietur. Nam principio, mundum & nulla habere entis neceſſitate naturae ſuae exſiſtentis attributa, & contra habere omnia entis contingentis, quum eſt per ſe perſpicuum, tum in prima parte ſaepe, & prop. IV. hic eſt a nobis demonſtratum. Nempe quod eſt aeternum & neceſſarium, id tale eſt, ut & impoſſibile ſit cogitare non eſſe, & nulla ſui parte variabile & mutabile eſſe poſſit. Nunc autem nihil clarius intelligo, ac ſine ulla rerum pugna, mundum ita eſſe, ut nihil prohibeat non eſſe; & partes omnes ita poſitas, ut ſapientiſſimae quidem conſtitutae ſint, ita tamen, ut non neceſſario ſic ſtent; & tandem plurima in Tellure eſſe, quae novitatis manifeſtum ſunt argumentum. Quod ſi Tellus originem ſui habet aliquam, (id quod qui negat in hiſtoria ejus naturali imperitus ſit oportet), totum habet ſyſtema ſolare, cujus nulla pars auferri poteſt, quin totum perturbetur. Hoc ipſum de ceteris Syſtematibus Stellarum concludo, quae omnia inter ſe harmoniam habere graviſſimae rationes ſuadent.

Deinde ubi ſatis non ſit rem ita ſe habere demonſtraſse, ſcrupulos, quos injicere profani moliuntur, amovebimus. Egit id accuratiſſime Benedictus Pererius in XV. libro de communibus Principiis. Veterum enim philoſophorum argumenta, quibus probare conantur ab aeterno ac neceſsario mundum a Deo eſse factum, omnia magna ingenuitate, ac veterum ſcholarum in morem, protulit, cribravitque. Quum nihil novi recentes adduxerint aeternitatis mundi Patroni, ut ſunt iſti dicacitate magis, quam re philoſophi, nihil nos Pererio addendum cenſemus. Locus

cus quidem longior eſt, ſi elementa ſpectes, brevior etiam, ſi res. Itaque proferemus totum, eoque libentius, quo iis occuramus, qui in re literaria peregrini jam dudum inſcite clamant, eſſe in ſcriptis noſtris ementito nomine profanorum argumenta non pauca malo conſilio ſparſa. Quod iis tanto facilius ignoſcimus, quanto non ulla rerum cognitione, ſed malo conviciandi genio effutiunt magis, quam dicunt. Scio futuros, qui Peripateticae ſcholae aut enigmatibus, aut ineptis & inficetis dogmatibus, quibus plerumque utitur Pererius, offendantur. Sed ignoſcere poſſunt aetati & rectae. Pererius ergo hunc in modum rem aggreditur.

Exponuntur & refelluntur argumenta duodecim, quibus Ariſtoteles utitur ad aeternitatem mundi & motus comprobandam, ex variis locis ejus deprompta.

1. P*Rimum argumentum ſumtum eſt ex* 1. *lib. Phy. tex.* 82. *Materia prima eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; alioquin enim cum neceſſarium ſit aliquod ſubjectum omni generationi praeexiſtere, & omni corruptioni ſupereſſe, aut daretur alia materia prior, quam prima, aut eadem, quae prima eſt, antequam generaretur, exiſteret, & poſt interitum ſuperſtes eſſet; oportet igitur materiam primam aeternam eſſe. Non poteſt autem ſine forma materia unquam exiſtere; quare procreatio formarum ſempiterna eſt. Ex quo fit ut motum, & mundum ſempiternum eſſe neceſſe ſit.*

2. *Secundum argumentum, ex lib.* 8. *Phyſ. tex.* 4. *Ipſum mobile prius eſt motu, cujus eſt ſubjectum. Quare ſi aliquando motus coepit eſſe, ſubjectum illius primi motus generatum fuit, aut ſempiternum; ſed cum generatio ſine motu fieri nequeat, alius motus prior praeceſſiſſet primum motum; ſin autem mobile ſempiternum fuit, motu tamen carens, credendum profecto eſt, aliquod impedimentum fuiſſe, vel in ipſo mobili, vel in movente, pro-*

pter quod in tota illa aeternitate motus eſſe non potuerit, illo autem ſublato, deinde motus eſſe coeperit; at talis impedimenti remotio ſine motu fieri non potuit: quare ante primum motum fuiſſet motus, quod eſt abſurdum. Numquam igitur motus coepit eſſe.

3. *Tertium argumentum ex eodem libro tex.* 10. *Tempus ſempiternum eſt. Nam ſi coepit eſſe, verum erit dicere, aliquando tempus non fuiſſe, & non eſſe temporis prius fuiſſe, quam eſſe illius: ac prius, & aliquando, ſunt differentiae ipſius temporis; ergo ante generationem temporis, fuiſſet tempus. Quid ſi tempus ſempiternum eſſe neceſſarium eſt, motum item oportet aeternum eſſe. Ut enim in* 4. *Phyſic. oſtenſum fuit, tempus vel eſt motus, vel non eſt ſine motu.*

4. *Quartum argumentum, ex eodem libro tex.* 11. *Abſque ipſo* nunc *nullum tempus eſse poteſt: omne autem* nunc, *cum ſit praeſens, eſt intermedium, nempe finis praeteriti, & principium futuri: nullum igitur tempus aut eſse aut cogitari poteſt, ante quod aliud tempus non fuerit, & poſt quod aliud tempus futurum non ſit; ob quam etiam cauſsam, motum, ſine quo tempus eſse nequit, principio & fine carere neceſse eſt.*

5. *Quintum argumentum, ex eodem libro tex.* 15. *Nihil inordinatum eſt eorum, quae ſecundum naturam fiunt. Natura enim cauſsa eſt ordinis in omnibus: ordo autem omnis in quadam proportione conſiſlit: infinito autem quaſi tempore Deum quieviſse, poſtea vero aliquando mundum feciſse, hujus autem nullam eſse differentiam, quare nunc potius, quam prius, neque rurſus aliquem ordinem habere, non amplius Naturae eſt opus. Nam quod ſecundum Naturam fit, ſimpliciter ac ſemper ita fit, ut ignem naturaliter ferri ſurſum: aut ſi aliquando non ita fit, ſubeſt naturalis cauſsa & probabilis ratio poteſt reddi, cur non ita fiat, ut in monſtris evenit. Non igitur Deus ab aliquo initio mundum condidit.*

6. *Sextum argumentum, ex eodem libro tex.* 53. *& ex lib.* 2. *de Gener. text.* 56. *Idem manens idem, ſemper eſt natum facere idem: cum igitur Deus ſemper idem*

ſit,

ſit, & immutabilis, ac ſemper eodem modo permanens, vel ſemper mundum fecit, & faciet; vel nunquam fecit, nec unquam faciet; aliquando enim non facere, varietatem quandam arguit in opifice ineſſe.

7. *Septimum argumentum, ex eodem libro tex. 76. Motus circularis non habet actu terminos, a quorum altero dicatur incipere, ad alterum vero terminari, ſed ſemper eſt in principio, medio, & fine; vel potius nunquam eſt in principio, medio, & fine; ex quo fit, ut motum circularem principio, & fine carere neceſſe ſit.*

8. *Octavum argumentum, ex 1. de Coelo tex. 20. Coelum eſt ingenerabile & incorruptibile; nam quicquid gignitur, ex contrario, & ſubjecto gigni oportet: contrariorum autem corporum contrarii ſunt motus. Porro motui circulari nullus alius motus contrarius eſſe poteſt; quo fit, ut coelum contrario careat; ac proinde ortus & interitus expers ſit: Non igitur mundus eſſe coepit.*

9. *Nonum argumentum, ex eodem lib. tex. 22. Omnes gentes faciunt coelum locum, ſedem, atque domicilium Deorum; quod ſi locus congruens eſſe debet iis quae in ipſo ſunt; oportet coelum ſempiternum eſſe, quemadmodum Dii aeterni ſunt. Praeterea, ex omni temporum memoria, quod quidem monumentis proditum ſit, nulla unquam aut in univerſo ipſo coelo, aut in aliqua parte ejus facta mutatio dicitur, quae ipſum corruptioni ſubjectum eſſe ſignificet: Quinetiam ipſum nomen coeli ab antiquis impoſitum, hoc, quod diximus, non obſcure indicat: aethera enim nominare voluerunt, quod ipſum aeterno, atque irrequieto ambitu circumagi viderent.*

10. *Decimum argumentum, ex 12. lib. Met. tex. 30. Opifex Mundi ejuſmodi eſt, ut ſubſtantia ejus ſit actus omni carens potentia; at ſi non ſemper operaretur, ſed aliquando quidem agere, aliquando autem ab actione vacaret, interdum eſſet opifex potentia, interdum actu: quare non eſſet omnino expers potentiae. Ab aeterno igitur Mundum condidit.*

11. *Undecimum argumentum ex eodem lib. tex. 48. Optima ac perfectiſſima diſpoſitio intelligentiarum eſt*

movere orbes , & quae ſub ipſis ſunt ; ſic enim ſuam bonitatem & perfectionem aliis rebus communicant , quod eſt maximè proprium boni , & perfecti : hac etiam ratione evadunt cauſſae aliarum omnium rerum in genere cauſſae efficientis , & finis . Quare ſi mundus non eſt aeternus , Intelligentiae ab aeternitate ocioſae , ac imperfectae fuiſſent .

12. *Duodecimum argumentum , ex* 8. *libro Phyſ. tex.* 48. & 56. *Deum & natura ſemper faciunt ex poſſibilibus , quod melius eſt ; melius autem eſt mundum eſſe , ac ſemper eſſe , quam non ſemper eſſe ; eſt autem hoc poſſibile : qui enim de novo factus eſt , potuit antefieri , & ab aeterno fieri ; niſi forte potentia Dei varietur ſuſcipiens magis & minus . Porro , ſicut melius eſt eſſe , quam non eſſe , ita melius proculdubio eſt ſemper eſſe , quam non ſemper eſſe ; mundum igitur ſemper fuiſſe , & ſemper fore melius eſt , quam non ſemper fuiſſe : Ergo Deus ab æterno mundum fecit*

Reſpondetur ad argumenta Ariſtotelis.

13 I*N Prima , ſecunda , & octava ratione , ponitur ac ſumitur , quaſi certum & indubitatum , creationem eſſe omnino impoſſibilem , hoc eſt nullam rem ex nihilo fieri poſſe ; omnemque productionem cujuslibet rei , vel eſſe motum , vel cum motu neceſſario conjunctam . Quod fundamentum quam ſit vitioſum & fragile , perſpicuum eſt ex iis , quae docuimus quinto libro hujus operis , ubi de creatione diſſeruimus & multis argumentis probavimus , creationem non eſſe impoſſibilem . Quare ſupradictas tres rationes Ariſtotelis , quae tali fundamento nituntur atque fulciuntur , infirmas eſſe neceſſe eſt . Nam & primam materiam , & primum mobile & omnes coelos de novo productos eſſe dicimus , non per motum phyſicum & ex aliquo ſubjecto , ut Ariſtoteles argumentatur , ſed per creationem ex nihilo .*

14. *Ad* 3. *Illa vocabula (prius) & (aliquando)*

hic

Digitized by Google

hic non deſignant ullas differentias temporis veri & realis; ſed vel imaginarii, vel tantum ſignificant motum non ſemper fuiſſe: non ſecus ac illa (extra) vel (ſupra) mundum nihil eſſe, quo modo loquendi utitur Ariſt. 1. lib. de Coelo tex. 90. non ſignificant differentias loci, cum extra & ſupra primum coelum nulla ſit differentia veri loci. Ad 4. Ejuſdem ſententiae eſt, negare motum & tempus aeternum eſſe, ac omne nunc eſſe medium inter praeteritum & futurum: qui enim diceret aliquam lineam, cujus extrema non cernuntur, finitam eſſe, negaret utique omne punctum illius lineae medium eſſe, ideſt principium, & finem lineae. Quare ſumitur in argumento id quod eſt in quaeſtione. Ad 5. Ratio concluderet, ſi Deus ex neceſſitate mundum feciſſet; oporteret enim, aut mundum aeternum eſſe, ſicut eſt Deus, vel Deum non ſemper fuiſſe idoneum ad efficiendum mundum. Cum autem nulla neceſſitate adductus Deus, ſed libere quae extra ipſum ſunt producat, quemadmodum in iis quae fiunt a libero arbitrio non eadem ratio quaerenda eſt, atque in rebus naturalibus quae fiunt ex neceſſitate quadam naturae, atque eodem ferè modo: ſic etiam in Dei operibus non eſt idem requirendum, quod in aliis rebus; nec ea ſunt exigenda ad normam agentium naturalium, nec ad leges naturae aſtringenda. Neque vero ſi voluntatis Divinae nulla ratio certa, & manifeſta aſſignari poteſt, cur tunc & non ante fecerit, ideo quod dicimus negandum eſt: quam enim multa ſunt, quae non propterea negamus, quod eorum cauſſae nos lateant? Ad 6. Ab agente per intellectum cujuſmodi eſt Deus, prodit effectus, non ſecundum eſſe illius, alioquin omnia haberent eſſe Divinum, nec poſſet diſtinctio rerum corporearum, & incorporearum ab ipſo immediatè proficiſci: ſed tantum ſecundum præſcriptionem atque definitionem intellectus, & determinationem voluntatis Dei. Unde licet Deus aeternus ſit, tamen quoniam ab aeterno voluit mundum facere, non quidem aeternum, ſed novum, ideo non aeternus, ſed novus extitit. Fuit igitur in Deo aeterna voluntas, ut eſſet mundus novus. Quare, nec in eſſe, nec in intellectu, nec in voluntate arti-

tifi-

tificis, ob novam molitionem mundi, mutatio ulla contigit. Ad 7. Principium & finis motus circularis, non penes mobile tantum attendi debet, alioquin nullius corporis rotundi motus, ut pilae vel globi, aut initium, aut finem habere poſſet; ſed penes motorem, qui ab aeterno decreverat ut aliquando motus coeli inciperet: ſuit autem motus circularis cum coelo productus a Deo: vel effectus eſt ab intelligentia, quae cum primum orbis caeleſtis eſt a Deo conditus, vim ſuam ad eum movendum applicuit. Ergo licet motus circularis non habeat in parte circuli tertium aliquod initium unde incoeperit; habet tamen ex parte moventis intelligentiae (pendet autem ex movente duratio motus) quae non ſemper movit; ſed ab aliquo principio coepit movere. Ad 9. Ut verum ſit, coelum ab omnibus putari locum Dei, non tamen ex eo efficitur, ut ſempiternum ſit, quemadmodum Ariſtoteli placuit: non enim coelum ſedes, ac domicilium Dei eſſe dicitur, quaſi Deus illo indigeat ad conſervationem, vel habitationem; ſed quia in eo ſupra caeteras res creatas vim, magnificentiam, atque gloriam ſuam clariſſime oſtendit. Vide enim, quàm multos ipſe ex antiquis philoſophis commemoret, & in 2. tex. libri 8. Phyſ. & in ultima parte primi libri de Coelo, qui longe aliter ſenſerunt, quam Ariſt. non facientes mundum aeternum ſicut ipſe facit. Quod autem, nec in coelo, nec in aliqua parte ejus ulla unquam mutatio viſa fuerit, id quidem arguit coelum eſſe incorruptibile, & ingenerabile motu phyſico, non autem non eſſe productum a Deo per creationem. Ad 10. Eſſe opificem, vel creatorem, eſt reſpectus quidam Dei ad creaturas; in creaturis quidem realiter exiſtens; in Deo autem non niſi ſecundum rationem, & terminativè. Quare aliquid de novo facere, nullam novitatem, aut varietatem ponit in Creatore, ſed tantum in creaturis; ideo enim dicitur de novo creatur ab ipſo, propter novitatem creaturae, non ipſius creatoris. Sed hoc infra exponetur accuratiùs. Ad 11. Otioſum & imperfectum eſt, quod non obtinet finem ſuùm, aut caret diſpoſitione neceſſaria ad conſequendam perfectionem ſuam. Dei autem, qui per ſe & abſolutè eſt bea-

tus,

Digitized by Google

tus, ac ſibi ſufficiens, finem aut perfectam aliquam diſpoſitionem ponere in relatione aliqua ad creaturas, quarum ipſe eſt auctor, abſurdum eſt. Sicut igitur Deus ex ſe habet eſſe, & non in ordine vel ex relatione ad creaturas: ita ex ſe habet omnem ſuam perfectionem. Itaque, licet nulla eſſet res creata, nihilo minus tamen Deus aeque atque nunc eſt, beatus & perfectus eſſet. Ad 12. *Non poteſt mundus aeternus eſſe, aut certè melius eſt eum non fuiſſe aeternum: non quidem, quia opifex non fuerit ſemper aequè potens, & idoneus ad efficiendum mundum; ſed quia vel repugnat creaturae, ut Creatori ſuo coaeterna ſit; vel quia poſita aeternitate mundi, permulta videntur inde abſurda ſequi, ut infra monſtrabimus; vel quia cum mundus ad demonſtrandam Dei gloriam conditus ſit (omnia enim, ut eſt in ſacris literis, propter ſemetipſum operatus eſt Dominus) ejus infinita potentia, libertas voluntatis, providentia omnium rerum, denique perfecta independentia a rebus creatis, clariùs elucet in nova effectione mundi, quam in ejus aeternitate.*

Verum de argumentis Ariſtotelis haec ſint dicta: deinceps ad expoſitionem & confutationem eorum argumentorum, quibus aeternitatem mundi Proclus pugnaciter praefracteque defendit, veniamus. Haec autem argumenta ex eo opere, quod Philoponus eadem de re contra Proclum ſcripſit (nam Procli pro aeternitate mundi ſcripta, interciderunt) depromemus. Et quae Philoponus refellens Proclum, cognitu digna prodidit, ea nos in hanc noſtram diſputationem, ſuo quodque loco, inſeremus (a).

Vi-

(a) Mihi & Ariſtotelis argumenta pueriles captiunculae videntur, & Pererii confutatio tota e veteribus Scholae praejudiciis pendens, ut cenſeam paucis retractanda omnia. Ac prima quatuor argumenta ex Peripateticae tantum ſectae & peculiaribus decretis, non ex rationis aeternae & naturae ſcitis concluduntur; itaque cogere neminem poſſunt, niſi qui Ariſtotelis ſacra-

Viginti argumenta Procli pro aeternitate mundi, & ſolutiones eorum.

Primum argumentum Procli.

15. Si mundus ortum habet, cur non ante factus fuit, quam nos aſſerimus eſſe conditum? praeſertim cum Deo tribuamus infinitam facultatem, & affirmemus mundum multo ante potuiſſe condi.

Re-

---

cramento teneatur. Quis ea dabit *materiam ingenerabilem eſſe & incorruptilem: Generationem ſine motu fieri non poſſe: tempus*, quale Ariſtoteles concipit, in motu poſitum, & motu emenſum, *eſſe ſempiternum*, quibus quatuor illa inaedificata ſunt argumenta? Quibus de rebus quoniam a nobis plura ſaepe dicta ſunt in prima parte, nihil hic longius diſſerere attinet. Monuiſſe tantum hoc in loco ſufficit, decreta illa Peripateticae Scholae nec ipſa per ſe eſſe perſpicua, nec eſſe ἀποδεικτικῶς demonſtrata: adeoque eſse inſtar civilium legum, quae unam quidem gentem, non omnes praeſertim liberas obligare poſſint.

Jam quintum & ſextum argumentum vim quidem ſuam haberent integram, ſi Deus neceſſitate naturae ſuae, quod Ariſtoteles cenſuit, extra ſe ageret. At quoniam hoc cum natura perfectiſſima pugnat, id quod ſaepe a nobis demonſtratum eſt: eum tantum movere poſsunt, qui arrogantiſſime ſibi perſuadeat, nullas alias Deo ſubeſse agendi rationes, niſi quas ipſi intelligere queamus. Animadvertamus autem hoc in loco, quintum argumentum ex Leibnitiano *rationis ſufficientis* principio vim ſuam accipere, nam inde ſaepe veteres argumentatos legimus.

Septimum vero argumentum illud eſt, quod univerſum originem habuiſse aliquam perſpicue demonſtrat, tantum

Digitized by Google

Reſponſum ad Primum Procli argumentum.

16. *Sicut, quia infinitum, aut in magnitudine, aut in numero, actu in natura conſtare non poteſt, (ut plurimis, firmiſſimiſque rationibus demonſtravit Ariſt. tum in 3. lib. Phyſ. tum in 1. libro de Coelo) ſed neceſſe eſt*

rerum

---

tum abeſt ut Ariſtotelicae cauſae faveat. Nam naturalis motus, quod & docent philoſoſophi omnes, & eſt per ſe manifeſtum, rectilineus eſſe debet. Motus curvilineus ex conflictu duarum virium, *gravitationis*, & *projectionis*, naſcitur: itaque natura ſua naturali impetu rectilineo poſterior eſt. Quare habuiſſe mundum originem aliquam nihil aeque clare oſtendit. At octavum argumentum, quo ſaepe mundi aeternitatem tuetur Ariſtoteles, ne valde quidem antiquum eſſe probat. Nihil enim exploratius eſſe poteſt, ſi & analogiae leges ſequamur, & phaenomena Stellarum obſervemus, quam eaſdem generationes, corruptiones, mutationes in Coelo obtinere debere, quae in ſyſtemate noſtro Planetario locum habent. Nam & ſunt Stellae fixae totidem Soles, ac materia, aeque ut Sol, mutabili conſtant; & earum, ſi qui ſunt, Planetae, itidem ut noſtri. Naturae viciſſitudinibus obnoxii ſunt. Quid quod novae Stellae exoriuntur interdum, vetereſque evaneſcunt? Nam & Hipparcus novam primus in Coelo Stellam obſervâſſe fertur: & anno 1572. novam itidem in Caſſiopea Cornelius Jemma, quam iterum conſpicati ſunt Tichonis diſcipuli an. 1574. & *Stellam miram* in collo Balenae an. 1596. David Fabricius: aliam in collo Cycni an. 1600. Guilielmus Janſon: aliam in Serpentario an. 1650. diſcipuli Kepleri: aliam Hevelius 1670. Itaque qui dubitat totam rerum naturam, quacumque univerſum patet, continuis mutationibus eſſe ſubjectam, nec hoc ordine, quam perennem intuemur, contineri,

niſi

Digitized by Google

rerum omnium & molem, & numerum finitum eſſe, ridiculum eſt quaerere, cur non plura, & majora in mundo procreata ſint a Deo; quandoquidem ſine dubio poterat id facere; etenim cum illa quantacunque, & quotcunque forent, oporteret eſſe finita, ſemper eadem maneret dubitatio, cur non plura, & majora facta fuiſſent. Eadem ratione dicendum eſt de mundo; cum enim res mundi, ſicuti nec magnitudine, atque numero; ſic nec duratione infinitae creari potuerint (ut mox docebimus) ſed neceſſe eſt omnia aliquando primum coepiſſe; ridiculum eſt quaerere, cur non ante mundus factus fuerit: ſemper enim eadem haereret quaeſtio. Adde quod tunc, & non ante factum eſſe mundum, pendet ex voluntate ſola opificis, cui tunc libuit facere, & non antea: ea enim agentia, quae voluntarie, ac liberè operantur, plerunque ita agunt, tantum quia ſic volunt, ut pictor pingit nunc & non poſt, tan-

niſi potentiſſima & ſapientiſſima Dei manu, is ne latum quidem unguem in phyſicis profecit.

In quatuor tandem poſtremis argumentis nihil ego immorabor: ſunt enim aut inepta, aut iiſdem ſectae praejudiciis, quibus ſuperiora aliquot, ſuperinſtructa. Nam quis non ſubrideat, quum audit, neceſſe eſt Coelum eſſe aeternum, ut conſentaneam naturae ſuae ſedem aeternae Dei natura habeat? Id enim vero obtinet in ſubſtantiis *formaliter extenſis*, qualis Dei natura non eſt. Quid, inquit aliquis, nihil ne ſpatii ante conditum mundum erat? punctone geometrico Dei natura coarctabatur? Ego his quaeſtionibus reſpondendum non eſſe cenſeo, quae totae ſunt e phantaſia noſtra depromtae. Locum enim Deo aeternum dare aliquem volumus, quod nihil niſi in loco eſſe conſuetudine corporum excogitare valeamus. Naturam Dei effingere & delineare magis amamus, quam intelligere; nec nos unquam ingenii noſtri ſtupiditatis & craſſitudinis pudet.

Digitized by Google

tantum, & non plùs, interdum non aliam ob cauſam, niſi quia ita vult. Quocirca in his verum eſt illud, quod vulgo jactari ſolet, ſit pro ratione voluntas. Et licet Deus nihil agat ſine ſumma ratione, mundumque tunc, & non ante vel poſt factum eſſe, non caſu acciderit; rationem tandem hujus rei quaerere, ac perſcrutari velle, ſtultum eſt; cum plurimorum rerum, etiam viliſſimarum, quas ante oculos habemus, & ſenſibus uſurpamus, cauſſas penitus ignoramus. Satis igitur ſit, Mundum vel non potuiſſe, vel non decuiſſe fieri ab aeterno: cur autem non ante, aut poteſt ſit factus, quam eſt factus, cum id ex libera Dei voluntate pendeat, & occulto nobis ejus conſilio, praeſtat pie ignorare, quam curioſe ac ſuperbe perſcrutari.

Secundum argumentum Procli.

17. DE natura boni eſt, ſeipſum cum aliis communicare, ſuamque bonitatem aliis rebus, quantum fieri poteſt, impertiri, & id maximè convenit ſummo bono, qui Deus eſt. At ſi mundus non ſit ab aeterno, per aeternum (ut ita dicam) tempus Deus nihil egit & ſuam bonitatem non communicavit. Quaero, aut potuit ab aeterno mundum creare, aut non; ſi potuit, voluit etiam: quare fecit: quid enim ei obſtare potuit? ſi noluit, ergo non eſt ſumme bonus, & invidia tangitur: id quod impium eſt cogitare, ne dum loqui, aut ſentire. Sin autem voluit, ſed non potuit, ergo eſt finita vi, & circumſcripta facultate praeditus, & inaequabilis, & non ſimpliciſſimus, quando in eo non eſt eadem ac par voluntas & virtus, atque potentia.

Ad ſecundum argumentum Procli.

18. *CUm dicimus mundum ab aeterno non fuiſſe factum, nec de bonitate, nec de potentia opificis quicquam detrahimus: ſed aſſerimus aeternitatem adverſari, ac repugnare conditioni ejus, quod fit. Si enim mundus*

Digitized by Google

dus a Deo factus eſt, ab eo ſuum eſſe, ac durationem accepit; at ſi coaeternus ipſi fuit, non potuit accipere. Nam quod ſemper eſt, quomodo ad ipſum eſſe produci poteſt? omnis enim productio aliquid novum neceſſario ſignificat, loquor de productione creaturae, quae fit ad extra. Praeterea, ſi mundus ſuperatur ab opifice in eſſentia, in viribus, in actione atque perfectione, ſuperabitur etiam in eſſe, ac duratione; quare mundus erit poſterior ipſo, & non coaeternus ei. Nullam enim, neque naturae, neque artis procreationem cernimus, in qua cauſa non antecedat effectum. Praeterea, ſi mundus eſt ab aeterno, ſequentur haec abſurda; infinitum eſſe tranſactum: erunt enim uſque ad hunc diem infiniti anni tranſacti: & dari majus infinito: nam numerus annorum tranſactus infinitus, augetur per additionem annorum, qui ſequuntur: & multiplicari infinita: nam ſi ſpecies cum mundo ſunt aeternae, ſecundum unamquamque ſpeciem erunt tranſacta infinita individua, imo erunt praeterita infinities infinita: nam uſque huc praeterierunt infinitae horae, & infinitae dies, ſimiliter hebdomadae, menſes, anni, luſtra, ſaecula, & alia hujuſmodi infinita. Infinitum autem, neque a finito, neque ab infinito pertranſiri poſſe demonſtrat Ariſtoteles 6. lib. Phyſic. Praeterea, eſſent actu infinitae animae rationales, & in unoquoque homine una: Nec valet dicere, infinitum in actu non repugnare iis, quae materia, ſituque carent. Nam Ariſt. in 3. Phyſ. 41. de omni numero univerſe loquens aſſerit eum infinitum eſſe nullo modo poſſe. Neque etiam valet dicere, Mundum ſecundum partes aeternas, ut Angelos, & Orbes coeleſtes ab aeterno exiſtere potuiſſe, non autem ſecundum partes corruptibiles, & quae per ſucceſſionem multiplicantur; hoc enim eſt dicere mundum non niſi imperfectum, ac mutilum exiſtere potuiſſe. Neque rationi conſentaneum eſt dicere, entia nobiliora, & perfectiora ab aeterno fieri potuiſſe, ignobiliora vero, atque imperfectiora non potuiſſe. ſi enim quod majus eſt potuit fieri, ergo etiam, quod minus eſt; & ſi corpora coeleſtia fuiſſent ab aeterno, aeterno tempore fuiſſent privata ſuo motu naturali; quorſum

ſum

ſum enim ab aeterno moverentur, ſi nihil potuit ab aeterno per motum produci? & ſic ab aeterno Intelligentiae motrices fuiſſent otioſae, & ſane hoc non dicitur convenienter congruenterque ſententiae Ariſtotelis, qui & motum coeli, & ſpecies omnes, & generationem aeternam eſſe pluribus in locis manifeſtè aſſerit. Praeterea, hinc neceſſariò fieret, ut infinitum, qua infinitum eſt, cognitum eſſet. Intelligentiae enim, cum aeternae fuerint, infinitum, quod jam tranſactum eſt, cognoſcerent: nam ſi cogitationem horum inferiorum ipſis adiment, attamen converſionem coeleſtis globi, quam quaeque conficit, neceſſario cognoſcit: converſiones autem ejuſcemodi quemadmodum & dies innumerabiles jam extiterunt. Quocirca infinitum perceptum ab ipſis fuiſſet. Niſi quis (quod tamen abſurdiſſimum eſt) fingeret ablivionem praeteritarum rerum in eas cadere. Quod ſi infinita cognoſcunt, unaquaeque erit infinitae virtutis, ac eſſentiae; nam plura ſimul perfectè cognoſcere, eſt majoris perfectionis; ergo ſimul infinita, erit perfectionis infinitae: erunt igitur non unum infinitum actu, verum complura.

Si quis autem putet, Mundum, & ſi non eſt aeternus, potuiſſe tamen fieri ab aeterno, poſſet aliter ad hoc argumentum ita reſponderi. Licet Deus potuerit creare mundum aeternum, id tamen facere noluiſſe, quoniam ita melius erat; vel quia ex nova molitione mundi, manifeſtius, certiuſque cognoſcitur perfectio, & gloria Dei (cujus cauſa mundus eſt conditus) quam ex aeternitate ejus: vel alias ob cauſas, quae nos mortales humanae inſcitiae caligine circumfuſos, ceu alia pleraque, latent (a).

(*a*) Imbecillia mihi videntur omnia, quae huic Procli argumento reponit Pererius. Nimis eſt Peripateticus. Quid ſi Proclus ea Ariſtotelis dogmata ignorare ſe fateatur? Quid ſi ab iis diſſentiat? Neque enim ea omnia, quae Pererius *abſurda* vocat, ex aeternis rationibus fluunt, ſed ex peculiaribus Peripateticae Scho-
lae

Digitized by Google

Tertium argumentum Procli.

19. ALiqui effectus ſunt ſimul cum ſuis cauſis efficientibus, neque priores, neque poſteriores ipſis: exempli gratia, corpora opaca, quae ſunt in lumine, ſunt ſimul cum ea umbra, cujus cauſa ſunt: Sol etiam efficit lumen, cum quo tamen ſimul eſt, ne-

---

lae decretis. Ac vero infinita eſſe aliis infinitis majora tam eſt perſpicuum, quam infinitam ſuperficiem eſſe linea infinita majorem. Itaque ſuper ea re magnus eſt Mathematicorum conſenſus. Quod ſi infinitum infinito majus excogitare cum ratione non pugnat, ne eſſe quidem pugnabit. Sed & infinitum *actu* exiſtere tam non pugnans recentibus eſt philoſophis, quam non mundanam extenſionem eſſe undequaque infinitam, & ſingulas materiae partes minores alias continere numero & exiguitate infinitas. Ad argumentum Procli quod attinet, adeo illud Auguſtino viſum fuit difficile, ut de Civit. lib. 12. c. 17. fateatur ſe non videre, qui poſſit intelligi, Deum per aeternitatem ceſſaviſſe, poſtea fuiſſe operatum. Et lib. XII. cap. 15. ſe in ea re affirmare aliquid pertimeſcere ait. Inde eſt, ut veteres quidam Theologi crediderint Deum diu ante corporeum mundum creatum per plures aeternitates, ut loquitur Hieronymus, Angelos creaviſſe. Ego vero in Procli argumento duo eſſe ſophiſmata video. Quaerit enim, potuit Deus ab aeterno mundum efficere? demus. Quaerit iterum, voluit? Id ſi neges, invidum fuiſſe Deum concludit: ſi affirmes, concludit factum. Bina ſophiſmata. Nam & velle potuit ab aeterno, quod efficeret in tempore, quod quamvis non admodum clare intelligo, pugnare tamen non video: & ſi noluiſſet, quum nihil dum exiſteret, cui rei invidere malus potuit bonitatem? Itaque tota argumentatio nullam habet vim, niſi in verborum & notionum involucro.

Digitized by Google

neque antecedens ipſum, neque ſubſequens: Ergo mundus, etſi a Deo ſit conditus; nihilominus tamen poteſt eſſe coaeternus ei. Neque pugnant haec inter ſe, ut effectus ſit tempore ſimul cum ſua cauſa efficiente.

Ad tertium argumentum Procli.

20. *EXemplum umbrae vitioſum eſt duabus de cauſis: primum quidem, quoniam umbra non eſt per ſe res aliqua, ſed tantum mera negatio, ſeu privatio luminis; at Mundus eſt res quaedam habens conſiſtentiam. Sed dicet quiſpiam, umbram non eſſe meram negationem luminis; alioquin eſſet tenebrae: atqui in umbra colores cernimus, qui ſine lumine videri nequeunt; eſt itaque umbra lumen quoddam imperfectum. Verum hoc ſolvitur ad hunc modum. Umbra lumen quidem habet, at non a corpore cujus eſt, ſed ab illuminante; quod tamen lumen illud ſit imperfectum & majori perfectione carens (id quod privationem quandam eſſe conſtat) cauſa eſt ipſum corpus opacum: impedit enim obſtatque, ne illa pars aeris poſſit perfecte illuſtrari a Sole. Recte igitur in principio dictum fuit, umbram, quatenus efficitur a corpore opaco, ſolum eſſe privationem luminis: nam umbra ut eſt lumen, eſt ab illuminante; ut eſt ſuboſcurum & imperfectum lumen, eſt ex corpore opaco. Deinde, alio quoque vitio exemplum umbrae laborat: neque enim omnino verum eſt, corpus quod eſt in lumine, umbram neceſſario emittere. Nam ſi Sol in eo puncto ſit, quod corpori reſpondet ad verticem, quemadmodum apud eos accidere ſolet, qui incolunt loca ſubjecta AEquatori, vel quae uſque ad Tropicos extenduntur, palam eſt ſine umbra eſſe ibi corpora ſubjecta, ea certe, quae, cum terra ita continuata ſunt, ut nihil aeris interjectum ſit. Umbra igitur, tum quia non neceſſario producitur a corpore quod eſt in lumine, non poteſt eſſe imago, & exemplum idoneum ejus, quod in praeſentia inquirimus.*

Alterum exemplum nihilo plus valet ad propoſitum

concludendum , quam priu . Etenim lumen Solis eſt duplex : Unum , quod in ipſius Solis globo haeret , quod Solis ut aſtrum quoddam eſt , eſſentiam proculdubio conſtituit ; ab eo enim Sol obtinet , & ut ſit Sol , & ut Sol nominetur : quocirca effectus ejus eſſe nullo modo poteſt . Mundus igitur , qui effectus a Deo eſſe , & ad naturam ejus nulla ratione pertinere ponitur , non rectè comparatur cum tali lumine . Alterum lumen eſt , quod a Sole diffunditur per aera ipſum colluſtrans ; hoc autem ſubinde gigni , atque interire , conſtat ex eo , quod ipſum excipiunt tenebrae , & Sole nubibus obducto , interciditur . Tale autem lumen dependet a Sole , habens eſſe ſuum in fieri , perinde atque motus , & tempus . Unde , cum primum corpus , quod illuminat , disjungitur , ſtatim quod erat in aere lumen ita deficit , ut amplius non ſit . Exiſtimamus igitur ſemper in aere novum lumen gigni . Nam non aliter per continuationem quandam a corpore lucido lumen in aera defluit , quam aqua de fonte ſcaturire ſolet : vel certe moto Sole non idem lumen manet in aere , ſed aliud atque aliud gignitur ; non enim lumen eſt corpus , quod moto Sole ipſum quoque ex uno loco in alium locum ſecundum Solis motum moveri queat , ſed eſt accidens in ſubjecto ſic inhaerens , ex eoque ſic pendens , ut ſine interitu ſui ab eo non poſſit abjungi . Neque vero lumen , quod eſt in aere tantummodo interit ; verumetiam illud , quod coeleſtibus globis impertitur a Sole . Cui rei fidem faciunt eclipſes Lunae , cujus lumen in defectionibus quidem totum confertim deficit , ſenſim autem in reliquo toto tempore . Caetera autem aſtra idem lumen perpetuo retinere videntur , propterea quod ob continuationem orbium nihil incurrere poteſt , quod ea obſcurare queat . Tale autem lumen obnoxium eſſe interitui , etiam ipſe Proclus affirmat in eo libro , quem ſcripſit de lumine . Quare lumen , quod eſt a Sole profectum , non erit ſimul perpetuo cum ipſo Sole . Non igitur refert ſimilitudinem Mundi , qui ponitur una eſſe ab æternitate cum ipſo opifice . Ex hiſce igitur , quae diximus , perſpicuum factum eſt , neutrum Procli exemplum ad oſtendendum Mundum coaeter-

num

Digitized by Google

num opifici eſſe potuiſſe, accommodatum eſſe (a).

Poſſet etiam argumento Procli aliter occurri. Etenim ſi ponatur umbra & lumen eſſe ſuis cauſis efficientibus coaeterna, nihil videtur ſequi manifeſté abſurdum & impoſſibile. At opinioni quae ponit mundum Deo coaeternum, neceſſario & apertè conſequentia ſunt quamplurima graviſſimaque incommoda; quae ſupra in confutatione ſecundi argumenti indicata ſunt, & infra ſubtilius exponentur. Qui autem opinantur Mundum potuiſſe fieri ab aeterno, reſponderent, Proclum quidem ſuo illo argumento probare Mundum potuiſſe fieri coaeternum Deo, quod ipſi non negant: non tamen fuiſſe factum aeternum; id quod nunc in quaeſtione verſatur.

Quartum argumentum Procli.

21. EST aeterna Idea Mundi, ad quam Deus reſpiciens, Mundum fabricatus eſt: Ideae autem eſſentia in eo conſiſtit, quod eſt exemplar eſſe alterius, quod eſt imago ejus. Exemplar autem & imago, cum ſint ex numero eorum, quae cum alio conferuntur, ſimul ſunt, neque unum ſine altero conſtare poteſt. Ex his neceſſario conſequens eſt, ut quandoquidem Idea & exemplar Mundi aeternum eſt, Mundus itidem, qui eſt imago ejus, ſit aeternus.

(*a*) Eſt & in hac reſponſione purus putusque Peripateticus. Ignoſcenda homini meliora non edocto vetus illa luminis theoria. Ego potius noluiſſem tamdiu in Procli exemplis immoratum. Quid eſt enim in his exemplis praeter vim diſſitae analogiae, qua demonſtratur, nihil pugnare cum ratione, fieri mundum potuiſſe ex tota aeternitate? Id autem, quod Auctor noſter paulo poſt agnoſcit, Scholae plurimi & acutiſſimi docuerunt. At in quo quaeſtio verſatur, mundum revera ex tota aeternitate fuiſſe, exempla illa demonſtrare non poſſunt.

Digitized by Google

Alias neceſſarium eſt, aut exemplar non eſſe aeternum, ſi imago ejus non ſit; aut eſſe exemplar ſine imagine; aut Mundi exemplar nullum eſſe; quorum omnium nihil eſt quod cum veritate, ac recta ratione non pugnet.

Ad quartum Argumentum Procli.

22. *PRima Hypotheſis, eſſe Ideas omnium rerum, quales Plato ponebat, Platonis quidem illa eſt ſententia, verum difficilis creditu, & ab Ariſt. plurimis locis acerrime oppugnata, & pene labefactata. Caeterum disputationis gratia, concedamus eam Proclo. Altera tamen, quam ei ſubiungit, eſt manifeſte falſa: nempe, quod eſſentia Ideae ſit referri ad aliud, hoc eſt eſſe exemplar alterius. Etenim, aut Idea Mundi eſt ſubſtantia, aut non eſt; & ſane Plato Ideas ſubſtantias primas & nobiliſſimas eſſe cenſet; & cum Mundum animal quoddam perfectum, & ſubſtantiam eodem ſtatu permanentem appellet, multo magis ipſum ejus Archetypum ſubſtantiam eſſe oportet. Si Idea Mundi ſubſtantia eſt, eſſentia ejus non conſiſtet in relatione ad aliud; eſt enim ſubſtantia ens abſolutum, nullius vel ſubjecti vel termini adminiculo, ut conſiſtat, indigens: ea vero quae referuntur ad aliud, accidentia ſunt, & non per ſe cohaerent, ſed fundantur in alio; & opponuntur interſeſe, quae ſubſtantiae nullo modo conveniunt. Non erit igitur eſſentia Ideae, exemplar eſſe alterius, & referri ad aliud. Quod ſi Idea Mundi, non in eo, quod ſit exemplar Mundi, ſuam eſſentiam obtinet, non eſt neceſſe, ſi Idea Mundi aeterna fuerit, continuo Mundum quoque aeternum fuiſſe. Sicut, quia eſſentia Sophroniſci non eſt poſita in eo, quod eſt eſſe Patrem Socratis, non ſequitur, ut ſtatim atque fuerit Sophroniſcus, fuerit etiam Socrates, ſed bene cum primum Sophroniſcus coepit eſſe pater, tum quoque neceſſario fuit Socrates. Si uti etiam Rex eſt exemplar ejus imaginis, quae ad ſimilitudinem illius effingitur, & tamen quia eſſentia Regis non conſiſtit in eo, quod eſt exemplar eſſe alte-*

alterius, non ſequitur, ut ſtatim atque Rex fuit, etiam fuerit imago ejus. De Idea Mundi eodem plane modo & ſentiendum, & loquendum eſt. Si autem Ideae ſubſtantiae non ſunt per ſe ſubſiſtentes, erunt notiones, ac rationes quaedam ſecundum quas opifex, qui eas animo comprehenſas tenet, operatur. At ne ſic quidem neceſſe erit ut una cum rationibus artificialibus ſint opera, quae ſecundum ipſas fiunt. Etenim domorum, & navium fabricatorem eſſe licet, qui domus, vel navis ideam in mente habeat, nondum tamen eam fabricetur. Quare, ne ſic quidem neceſſario ſequitur, ut ſi Mundi Idea ſempiterna ſit, mundum quoque ſempiternum fuiſſe neceſſe ſit. Quinimo, ſi Deus qui ſumma Providentia omnia gubernat, res antequam ſint, praevidet atque praenoſcit, ut eſt communis omnium animis inſita ſententia, & hoc teſtatur Proclus in opere, quod De decem contra Providentiam dubitationibus compoſuit, & Plotinus in libro, quem De iis quae mente percipiuntur, & De Bono conſcripſit; palam eſt, omnibus rebus, quae oriuntur, Ideas, & rationes architectrices antecedere. Denique, ſi Deus ageret ex neceſſitate naturae, fortaſſe Procli argumentum probabilius eſſet: cum autem non ſic, ſed libere agat, nec ejus naturalis perfectio ex molitione Mundi pendeat, ut ſupra oſtendimus; nulla ratio eſt, ex aeternitate Idearum, quae naturaliter ſunt in Deo, quinetiam re ſunt idem quod Deus, aeternitatem rerum, quae libere a Deo ad earum, quae in ipſo ſunt, Idearum ſimilitudinem effectae ſunt, velle concludere. Nam nec homines, qui ex arte operantur libere, neceſſe eſt ſimul atque alicujus operis formam, & Ideam animo expreſſam tenent, opus ipſum perficere: ſed plerumque evenit Ideam operis eſſe ipſo opere antiquiorem.

Quintum Argumentum Procli.

13. CAuſſa efficiens, aut ſemper eſt actu, aut aliquando eſt poteſtate tantum; & ſi quidem actu ſemper ſit, effectus etiam ſemper erit; cauſſa enim

Digitized by Google

ſi actu fuerit, effectus actu erit, & ſi illa potentia, hic quoque potentia. Praeterea, id quod eſt potentia, reducitur ad actum, ab eo quod eſt actu, ut calidum potentia a calido actu: ſimiliter opifex potentia, evadet artifex actu, ab eo qui eſt jam actu opifex. Opifex igitur Mundi, vel ſemper fuit actu efficiens, & Mundum item ſemper fuiſſe neceſſe eſt; vel aliquando fuit in potentia efficiens; ergo ab alio efficiente, qui actu fuit, reductus eſt ad actum. Sed quaero de hoc, an ſemper reducebat illum ad actum, & ſic ille ſemper actu fuiſſet opifex, id quod repugnat poſitioni, vel non ſemper reducebat, ſed poterat tantum reducere, ergo erat aliud, a quo ex tali potentia ad talem actum traheretur; & ſimilis quaeſtio de hoc fiet, & de alio item atque alio; aut igitur erit progreſſus in infinitum in efficientibus, quod manifeſte falſum, atque adeo impoſſibile eſt; aut neceſſario fatendum erit, opificem Mundi, ſemper actu efficientem fuiſſe, & proinde Mundum ſemper extitiſſe. Quare Mundus aeternus eſt.

Ad quintum argumentum.

24. *DUplici ſignificatione nomen potentiae uſurpatur apud Philoſophos. Primo, pro naturali quadam habilitate, uti puerum adhuc rudem, dicimus potentia grammaticum eſſe, propterea quod ſit aptus ad eam diſcendam. Deinde, pro habitu, quo praeditus poteſt bene prompteque operari, ſed fortaſſe vel aliis rebus occupatus, vel quia non vult, nequaquam operatur: ut qui jam artem grammaticae didicit, poteſt quidem, at non ſemper grammatice agit. Et hic quidem habitus reſpectu prioris potentiae poteſt appellari actus, ſed reſpectu earum actionum, quae proficiſcuntur ex ipſo, dicitur potentia. Poteſt igitur hic habitus, ſi comparetur cum praecedente potentia, nominari actus primus, ad differentiam ſecundi, qui oritur ex ipſo: ſi vero conferatur cum actu, quem ipſe gignit ac parit, poteſt rite nuncupari potentia ſecunda, ad differentiam primae, quae praecedit talem habitum. Eſt igitur* du-

Digitized by Google

duplex potentia, prima, & ſecunda: duplex item actus, primus, & ſecundus. Sed potentia ſecunda, & actus primus, re non differunt, ſed ratione tantum, atque hanc quidem diſtinctionem potentiae, tradit Ariſt. in 8. lib. Phyſi. tex. 32. & lib. 2. de Anima, tex. 54. & 55.

Ex his perſpicuum eſt, illud primum pronunciatum Procli, ſi cauſſa eſt actu, effectus quoque erit actu; intelligendum eſſe de actu ſecundo, non primo. Exempli gratia, ſi praeceptor actu docet Grammaticam, neceſſe eſt aliquem eſſe, qui actu doceatur Grammaticam; & ſi aedificator jam aedificet, erit quoque aliquid, quod aedificatur. At de primo actu non eſt verum. Fit enim, ut aedificator partum habeat aedificandi habitum, ipſe tamen actu non aedificet: neque quicquam aedificetur.

Secundum autem pronuntiatum, nempe id quod eſt in potentia tali, reducitur ad actum ab eo, quod eſt actu tale; intelligendum eſt de eo, quod eſt in prima potentia: puer qui poteſt eſſe Grammaticus evadet Grammaticus actu, eruditus, doctuſque ab eo, qui actu tenet Grammaticam. Non eſt autem verum in ſecunda potentia: is etiam, qui jam comparavit ſibi habitum Grammatices, ſi quando non operatur, eſt tunc in potentia, ſed ex tali potentia non excitatur, vel traducitur ad actum ab alio, ſed a ſeipſo cum vult; aut ſi agens fuerit naturale, ut ignis, cum amotum fuerit impedimentum obſtans ejus actioni. Quocirca licet ex hoc colligere, opificem actu primo, non neceſſario eſſe ſimul cum effectu: tum etiam, cum, qui ſit opifex habitu, qui ut diximus appellatur potentia ſecunda, non ab alio, ſed a ſeipſo traduci ad actum.

Hinc elici poteſt ſolutio argumenti, quod eſt fallax, & captioſum ob homonymiam vocabuli Potentia, & Actus. Affirmamus Deum eſſe opificem habitu, vel ſecunda potentia, non quod in eo ſit aliquis habitus, vel aliqua potentia, ſed ob ſimilitudinem quandam. E quo planius res intelligatur, virtutem divinam, ſecundum quam non ſemper operatur, quando vult tamen, optime, facillime, promptiſſimeque operatur, nomine habitus & potentiae ſecundae nominamus. Cum ergo Deus non fuerit ab aeterno opifex

Mundi

Digitized by Google

Mundi actu, ſed, ut ita loquar, habitu; quoniam ab aeterno habuit perfectiſſimam vim, atque poteſtatem condendi mundum: ſed quia voluit ab aeterno, ut Mundus de novo conderetur, & initium aliquod ſuae durationis haberet, ideo ſine ulla ſui mutatione, tunc quando decreverat, mundum de novo condidit: cum igitur ita res habeat, non oporet Mundum ſimul eſſe cum ipſo Deo, neque Deus reducetur ad actu condendum Mundum ab alio, ſed a ſeipſo: ſicut pictor callens ſcientiam pingendi, jam non indiget alio, cujus ope adjutus pingat, ſed quando libet ei pingere poteſt. Alia etiam, quae aſſumuntur in argumento, non ſunt omnino vera: ut illud, Omne quod in potentia eſt, reduci ab alio ad actum. Duae ſunt enim viae ſciendi, ex ſententia omnium Philoſophorum via diſciplinae, & via inventionis: qui etiam indoctus abundantia quadam, & naturali felicitate ingenii, per ſe aliquam ſcientiam invenit, is ex potentia ſciente fit actu ſciens, a ſe non ab alio. Neque illud alterum verum eſt, Quidquid potentia tale, ab eo quod eſt actu tale, reduci ad actum: ſtirpes enim fiunt actu dulces, albae. vel alio colore affectae, non ab eo, quod eſt actu dulce, vel album, ſed beneficio aquae, qua irrigantur, & Solis; & hoc perſpici poteſt in omnibus generationibus, quas naturales Philoſophi aequivocas vocant. Niſi propoſitio intelligatur, non de eo, quod eſt actu tale formaliter tantum, ſed vel virtualiter, vel formaliter (a).

Sextum

(*a*) Confidenter nimis quam, vellem, in hoc Procli argumento refellendo ſe gerit Pererius. Subleſtum illud habet: totum eſſe captioſum cenſet. Ejus vim non videtur aſſequutus vir doctus: nullumeſt enim, nec quod pluris faciendum ſit, nec quo vehementius aeternitatis Mundi patroni & adrogantius utantur. Tota Procli quaeſtio huc redit, inter humanae rationis decreta, quae homines intelligere queant, A cum aliis, quae rata habent & certa, innectere, habere ne locum hoc poſſit,

eſſe

Digitized by Google

Sextum Argumentum Procli.

25. DEus auctor eſt Mundi omnino immutabilis; ergo vel ab aeterno Mundum fecit, vel nunquam fecit: nam ſi aliquando non fuit factus Mundus, & aliquando fuit factus, ergo Deus ex non faciente ad fa-

---

eſſe poſſe cauſas, quae ipſae per ſe a nulla alia determinatae novam aliquam actionem ſuſcipere queant? Tum ſi quae eſſe poſſunt, ratione ne ulla determinentur ad novam actionem edendam, nec ne? Tandem, quoniam ſine ulla ratione determinari eas intelligi nullo modo poteſt, poſſit ne actio illa eſſe nova, ubi ratio determinans ſit aeterna? Eſt hoc poſtremum illud, de quo in hac quaeſtione agitur. Ratio architectrix mundi aeterna eſt: aeterna item determinans: novus mundus. Haec utrum cum humanae rationis ſcitis cohaerere poſſint quaerit Proclus. Me quod adtinet fateor ei argumento oblique nos reſpondere: directe ne reſpondeamus infinita Dei natura & mentibus humanis incomprehenſibilis efficit: ſola enim natura quid poſſit ratio illa mundi architectrix ac determinans pervidere nequimus. Oblique autem ſic reſpondeo. Eſſe cauſas, quae ipſae per ſe novam actionem inchoare poſſint, aut inchoatam omittere, homines ipſi luculentum ſunt argumentum: Sunt enim liberi, quippe qui parte virium ſaepe agunt, ſaepe viribus omnibus. In dogmatibus ergo humanae rationis & hoc eſt, eſſe poſſe cauſas, quae ipſae per ſe a nulla alia neceſſario determinatae novas actiones ſuſcipiant. Vide ut eam rem copioſius diducit *Samuel Clarkius de exiſt. & attrib. Dei cap. XI.* Non pugnat ergo cum ratione, ejuſmodi eſſe & Deum. Sed hujuſmodi cauſae non ſine ratione determinantur; eſt id in perſpicuis. Nec minus perſpicuum eſt, rationem ut architectricem mundi, ita Deum determinantem ad efficiendum, Deo eſſe coaeternas

faciendum mutatus eſt ; quare Deus mutabilis eſt . Et cum omnis mutatio ſit imperfecta quaedam actio tempore indigens , & ad perfectionem aliquam acquirendam tendens , tempore , inquam , indigens , utpote ſine quo nullus motus perfici queat ; erit Deus imperfectus aliquo indigens. Quamobrem , qui aeternitatem Mundi negant , etſi cupiunt eſſe pii erga Deum, ſunt tamen , (ut ex iis , quae jam diximus , perſpicuum eſt) erga ipſum valde impii . Poſſumus igitur breviter concludere totam rationem ad hunc modum . Si Deus prius non faciebat Mundum , & poſtea fecit , ergo mutatio , vel eſt motus , vel non fit ſine motu : ſi movetur , ergo eſt imperfectus : quod enim dealbatur non eſt perfectè album : ſi etiam movetur , indiget tempore , quoniam motus neceſſario fit in tempore . Quae ſi abſurda ſunt , & omnia tamen pendent ex illo , quod Deus ex non faciendo ad faciendum migraverit , certe illud falſum erit . Quare ab aeterno Deus Mundum fecit .

Ad ſextum Argumentum Procli .

26. V*Erum eſt , motum eſſe actionem imperfectam : & omnem mutationem , vel eſſe motum , vel non*

eſſe

---

ternas. Conveniunt haec inter partes . Illud ergo expediendum ſupereſt , ratio illa Deum ad efficiendum mundum determinans , neceſſario Deum impellere debeat , nec ne. Neceſſario Deum ab ea impelli id nec per ſe eſt evidens , nec Proclus demonſtrat . Sed nec video quidem , quantum circumſpicere poſſum , qui poſſit : natura enim infinite perfecta & beata , quod ſaepe dictum , a ſe tantum & in ſe neceſſario determinari poteſt , non etiam extra ſe. Itaque efficitur ut & ratio efficiendi mundi potuerit eſſe aeterna , & Deus liber non ab aeterno mundum efficere .

Digitized by Google

eſſe ſine motu. Sed quod omne tranſiens a non faciendo ad faciendum, neceſſario motum ſubeat, falſum eſt: nam non faciens, habitu tamen & poteſtate faciendi praeditus, poſtea, quum ei libet, ex tali habitu actiones promit abſque ullo motu. Si enim ex habitu faciente evadit actu agens per aliquem motum, is vel erit diverſus ab effectione; vel erit ipſa effectio. Si erit diverſus, vel erit habitus, & hoc non, quoniam habitus rationem quietis potius, quam motus habet: quod enim habitu eſt tantummodo agens, quieſcere potius, quam moveri dicendum eſt; vel erit aliquid medium inter habitum & effectionem; & hoc non, quia in eodem inſtanti finem facit non agendi nullo tempore intercedente, in quo talis motus fieri queat; alioquin in illo medio tempore, neque faceret, neque non faceret, & ſic inter contradictoria eſſet medium. Erit igitur ipſamet effectio, motus; at ſi ita ſit, cum juxta ſententiam eorum, Deus ſemper Mundum efficiat, etiam ſemper movebitur, quare ſemper imperfectus, ac temporis indigens erit. Quare in eorum caput ſolers ipſorum inventum relabitur. Non eſt autem omnis actio, motus, neque imperfecta, neque temporis egens, ut ſenſus, & mentis actiones, quae neque motus, neque imperfectae ſunt, neque intervallo temporis fiunt. Praeterea ſi effectio eſſet motus quo moveretur ipſum agens, tunc motus eſſet in movente: at non eſt in movente, ſed in mobili; eſt enim actus mobilis, prout eſt mobile, quemadmodum Ariſtoteles definit in 3. Phyſic. & Ariſtotel. 2. de Anima text. 57. 58. ait ex habitu ad actum quempiam tranſire ſine ullo motu. ſic. n. ibi ſcribit. (Quocirca non recte ſe habet dicere ipſum ſciens cum ſcit alterari, ſicut neque aedificatorem, cum aedificat.), hoc eſt is qui habens ſcientiae habitum, deinde actu ſcit, & contemplatur, tranſit ab habitu ad actum ſine ulla alteratione; quod ſi talis non alteratur, neque ſimpliciter movebitur: non enim augebitur, vel minuetur, vel loco movebitur. Non eſt autem magis perfectus Deus, quando aliquid actu procreat, quam erat antea cum potentia tantum procreans erat: eſt enim per ſe, ac ſine alterius rei adminiculo omni ex parte

te

te perfectus ; alioquin opera, quae facit Deus, Deo perfectionem tribuerent, & pertinerent ad eſſentiam Dei : quae enim naturam alicujus perficiunt, partes ſunt ejus, ut rationale hominis, ut manus totius corporis. Mundus igitur pars erit Divinae eſſentiae ; erit igitur corpus Deus, corporeiſque affectionibus obnoxius. Quod ſi Deus perfectus non ſit, niſi Mundus ab aeternitate conſiſtat, Deus perfectionem ſuam accipit a Mundo : quare plura accipiet a ſuis operibus, quam illis ipſe impertiatur. Cum enim illis det, ut ſint, ipſe ab illis accipiet ut perfectus ſit : pluris autem eſt perfectio Dei, quam natura cujuſvis rei creatae. At qui poteſt hoc fieri? ſi enim perfectio ab eſſentia ejus non differt, ſicut Deus eſſe non accipit a Mundo, ita neque perfectionem ; & ſicut eſſe Dei non pendet a Mundo, ſic neque perfectio ejus. Adde, quod perfectio eſt in eo quod perficitur : at creatio & productio Mundi, & aliarum rerum effectio tranſeunt in res quae fiunt. Et cum Proclus tribuat Deo providentiam, & efficientiam rerum etiam extremarum, atque minutiſſimarum, quarum tamen quaedam extinctae ſunt, quaedem nunc conſtant, aliae vero futurae ſunt ; neceſſe eſt dicat Deum poteſtate opificem nunc eſſe reſpectu rerum futurarum ; nam ſi actu opifex ſit, res futurae actu jam praeſentes eſſent ex ipſius ſententia. Si igitur poteſtate opificem eſſe, imperfectionem eſſe Proclus exiſtimat ; ſemper autem in mundo aliqua a Deo procreanda ſunt, reſpectu quorum dum futura ſunt, eſt opifex potentia ; neceſſarium habet omnino dicere, Deum ſemper imperfectum eſſe.

Porro ſciendum eſt actionem poſſe duobus modis conſiderari ; uno modo, ſecundum id quod ponit actio ut actio, in agente : deinde, quatenus infert ex ſe paſſionem, vel effectum. Primo modo actio Dei eſt in actu ab aeterno, non autem ſecundo modo : priori modo Deus non eſt cauſſa in potentia, ſed in actu ab aeterno : poſteriori modo Deus non fuit ab aeterno actu efficiens cauſſa Mundi, quia non creavit Mundum ab aeterno. Et adverte, Mundum, & alios effectus eſſe in Deo, antequam fiant in potentia activa ; neque hoc eſt abſurdum : ſolum enim de

iis

iis quae ſormaliter ſunt in Deo, inconveniens eſt ponere aliquid in potentia in ipſo Deo. Quocirca, oportet actionem ſecundum id totum, quod ponit in agente, formaliter eſſe actu in Deo ab aeterno. haec autem acte Dei & vis atque poteſtas omnium effectrix nihil aliud eſt, quam efficax Dei voluntas, quae in ſe ſemper eſt actu & invariabilis; tunc autem ab ea procedit effectus, quando ut procedat, & a ſapientia Dei praeſcriptum, & a voluntate ejus determinatum ſuit.

Septimum argumentum Procli.

27. SI mundus conditus eſt, & peribit, neceſſe eſt tempus, quod una cum Mundo neceſſario cohaeret, ortum quoque interitumque habere: quare aliquando non fuit tempus, & aliquando non erit tempus: ſed (Aliquando) certum quoddam tempus ſignificat; ergo fuit tempus, quando non erat tempus: & erit aliquod tempus, quando nullum tempus erit: quae cum ſint inter ſe pugnantia; neceſſarium eſt, Mundum ab aeserno fuiſſe.

Ad ſeptimum argumentum Procli.

28. E*St captioſum argumentum. Etenim verbum illud* Aliquando *non ſignificat propria, & naturali vi ſua tempus aliquod certum, ſed tantum ſignificat aliquid, vel non fuiſſe ſemper, vel non fore unquam. Cum enim dico craſtinus dies aliquando erit, illud* Aliquando *non ſonat aliquod certum tempus, in quo craſtinus dies futurus ſit: alioquin illud tempus etiam eſſet* Aliquando, *& rurſum illud, ac ita deinceps in infinitum: ſed tantum ſignificat craſtinum diem, neque ſemper, neque nunquam, ſed medio quodam modo futurum. Cum igitur dicimus aliquando Mundus eſt factus, intelligimus Mundum non ſemper fuiſſe, ſed habuiſſe ortum, & principium: ſimiliter cum dicimus aliquando Mundus non erit: intelligimus Mundum, vel motum, non ſemper futurum,*

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti verbum, erat, *vel* fuit, *non ſemper tempus aliquod ſignificat, quoniam haec tribuimus Deo, qui nullo pacto ſubeſt tempori: Plato enim in Timaeo dixit, quoniam Deus probus erat, & nequaquam invidus, Mundum condidit: & ſicuti quando dicimus* extra, *vel* ſupra *coelum nihil eſt, in hac oratione* (*ſupra*) & (*extra*) *non ſignificamus aliquam differentiam loci, niſi imaginariam, ſic* (*aliquando*) *cum dicimus, Mundus aliquando coepit, non ſignificat tempus, niſi imaginarium.*

Octavum argumentum Procli.

29. MUndus diſſolvi non poteſt; ergo neque unquam factus eſt. Patet conſequentia; nam ſi quod generatum eſt, aliquando interibit, ergo ex oppoſito conſequentis, quod interire nequit, ut eſt apud Platonem in Phaedro, numquam generatum fuit. Antecedens probatur: Nam Mundus a ſolo Deo, qui fecit ipſum, diſſolvi poteſt: is enim rationem ſolvendi nodum tenet, qui fecit nodum; atqui Deus numquam diſſolvet, nam quod bene & cum ratione colligatum, & copulatum eſt, velle diſſolvere, improbi eſt: vel igitur Mundus non fuit bene compactus a Deo, quare in eo faciendo bonus artifex non extitit; vel ſi benefactus eſt, improbi erit ipſum velle diſſolvere, Quare cum nefas ſit opinari Deum vel in faciendo Mundo non optimum fuiſſe artificem, vel in eo diſſolvendo improbum evadere, planum eſt, mundum diſſolvi non poſſe.

Ad octavum argumentum Procli.

30. A*N non corpora noſtra, & animantium item, atque ſtirpium pulchrè compacta ſunt? vel igitur haec Deus vult diſſolvere, vel non vult; ſi non vult, quomodo contra voluntatem ejus diſſolvuntur; ſi vult, quomodo improbus non eſt, qui quod bene compactum eſt vult diſſolvere? Quod ſi dicas, haec corpora mortalia non*

a Deo

a Deo proximè effici, ſed a Diis ſecundis, vel a cauſis naturalibus procreari? hoc nihil obſtat, quominus & ipſe Deus, qui cauſis ſecundis vim agendi tribuit, & cum ipſis ad efficiendum concurrit, malus ſit, & Dii ſecundi, ſeu cauſae naturales improbae ſint, quae res pulchre compactas diſſolvant. Sane qua bonitate ductus initio mundum fecit, eadem, ſi voluerit, diſſolvet, etſi diſſolutionis ratio nos lateat; neque enim ea, quorum cauſas ignoramus, temere, aut male fieri arbitrari debemus. Poſtea, facultas quae ad actum numquam deducitur, imperfecta & otioſa eſt, ut ſolent ipſi dicere; cum igitur Deus habeat facultatem diſſolvendi Mundum, quomodo enim qui mundum fecit & vinculum colligavit, neſciat aut non poſſit ipſum diſſolvere? vel igitur haec facultas promovebitur ad actum, quare Mundus aliquando diſſolvetur; vel nunquam reducetur ad actum, quare talis facultas imperfecta & otioſa erit. Adde, quod nec Ariſtoteli placeat, in aeternis aliquid eſſe, quod poteſtate tantum ſit, unde eſt illa ejus ſententia 9. lib. Metaphyſ. tex. 17. Nihil potentia aeternum eſt. *Et illa etiam in 3. Phy. tex. 32.* in perpetuis non differt poſſe ab ipſo eſſe. *Deinde, ſi ſolvere Mundum malum eſt, cum igitur Deus poſſit Mundum ſolvere, habebit utique Deus facultatem male agendi, & ut aliquando malus evadat. Quare, vel in Deo non eſt facultas diſſolvendi Mundum, & ſic nec in ipſo fuit facultas condendi, ut ſupra diximus; vel ſi eſt, aut ſolvere Mundum non eſt malum, aut in Deo inerit facultas mali.*

Poſſumus etiam aliter ad hoc argumentum breviter reſpondere ad hunc modum. Quicquid ortum eſt per motum phyſicum, & ab agente phyſico, poteſt etiam ſimiliter interire per motum phyſicum & ab agente phyſico; & è contrario, quod poteſt interire per motum phyſicum, fuit etiam ſimiliter generatum; & hoc intellectu verum eſt illud Platonis & Ariſtotelis axioma, quodcunque eſt generabile eſt corruptibile, & quodcunque eſt corruptibile eſt generabile: & item, quicquid coepit eſſe, aliquando deſinet eſſe, & quod aliquando deſinet eſſe, aliquando

 etiam

etiam caepit eſſe. At quod caepit eſſe per creationem a Deo productum, poteſt quidem nunquam deſinere eſſe per motum phyſicum & poteſtatem agentis phyſici: ſed poteſt tamen deſinere eſſe per potentiam Dei, qui ipſum creavit; & hoc quidem perſpicuè cernitur in anima rationali: idem autem de Mundo ſentiendum eſt.

Nonum argumentum Procli.

31. UNiverſi anima ortu caret & interitu, ergo Mundus quoque ortu, & interitu vacare debet. Conſequentia patet, quia non poteſt animal interire, aut non eſſe, cui anima ejus ſemper adſit. Antecedens probatur, quoniam anima Mundi a ſeipſa movetur. Quare Plato in Phoedro ait, animam numquam natam, aut caducam eſſe.

Ad nonum argumentum Procli.

32. *AN non etiam juxta Platonem, anima noſtra a ſe movetur & immortalis eſt, corpus autem, quod ab ipſa movetur, & ortum, & interitum habet? An non infirma ratio eſt, quae nititur decreto Platonis non valde certo, neque a multis recepto, nimirum, quod eſſentia animae in eo ſit, ut moveatur a ſeipſa, & ſit principium movendi? Neque placet Ariſtoteli, unam eſſe Mundi animam a Deo diverſam, a qua cuncta regantur corpora: ſed ſolis orbibus coeleſtibus immortales animas ſuam cuique attribuit, quarum motionibus omnia quae infra Lunae orbem ſunt, regi, foveri, & moderari cenſet. Quare quod hic a Proclo de anima Mundi dicitur, a nobis non conceditur. Adde, quod qui negant Mundum aeternum eſſe, hos conſequens eſt, vel negare animam mundi caeteraſque intelligentias aeternas eſſe, ſed fuiſſe eas ſimul cum mundo procreatas: vel dicere illas non habere adeo neceſſariam cum mundo connexionem, ut ſine ipſo & ante ipſum eſſe non potuerit. Quare ſumere aeternitatem animae tamquam rem certam & indubitatam,*

Digitized by Google

& ex ea concludere aeternitatem Mundi, quaſi abſque Mundo anima eſſe non potuerit, eſt duplici nomine vitioſam facere argumentationem; tum quia ſumit pro certo, quod eſt dubium; tum quia ex hoc conficit id, quod ex illo concluditur neceſſario. Deinde, vel eſſentia animae in eo eſt, ut ſit principium movendi aliud, & ſic anima habebit eſſentiam ſuam dependentem a corpore, nec ullam actionem ſine illius opera exercere poterit: vel non in hoc conſiſtit eſſentia ejus, & ſic non erit neceſſarium, ſi anima aeterna ſit, id quoque, quod ab ipſa movetur, aeternum eſſe. Poſtea, functiones animae ſeparabiles ſunt a corpore, ac eo puriores evadunt, quo a commercio corporis liberiores ſunt; quare, ut recte Plotinus ait, ſubſtantia quoque animae ſeparabilis erit a corpore. Quare ſubſtantia ejus, non in eo conſiſtit, ut ſit principium movendi corpus. Ipſe quoque Proclus in Commentariis ſuis ſuper Timaeum ait, eſſentiam animae in eo eſſe, quod eſt a ſeipſa moveri: movere autem corpora, ipſiſque vitam impertiri, atque motus & actiones communicare, non eſſe ſubſtantiam animae, ſed vim, atque facultatem, ac functionem ejus. Praeterea Plato in Phaedro ſic ait (Anima hominis immortalis eſt: nam quod ſemper movetur, aeternum eſt: quod autem agitur, & movetur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat neceſſe eſt: ſolum igitur quod ſeſe movet, quia nunquam deſeritur a ſe, nunquam ne moveri quidem deſinet, quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc prinsipium eſt movendi.) Haec Plato. Cum igitur id ſolum quod ſe movet ſempiternum ſit, nullumque corpus, ut corpus eſt inanimum, a ſeipſo moveri queat, ut Platoni, & Ariſtoteli viſum eſt; Mundus autem corpus quoddam eſt; relinquitur, ut Mundus & moriendi, & vivendi finem habeat. Cum his autem conſentiunt, quae in Timaeo ſcripta ſunt, quoniam, inquit (orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis): quod ſi Mundus interire & diſſolvi poteſt, ortum fuiſſe neceſſe eſt; neque enim ortum effugit, quod aliquando ſuaptè vi interire poteſt.

Decimum argumentum Procli.

33. MUndus non poteſt interire ; ergo nunquam fuit natus . Probatur conſequentia : nam ſi quod ingenitum eſt , non poteſt interire ; ergo quod poteſt interire non eſt ingenitum , & quod eſt genitum poteſt interire. Nam quod non fuit , & potuit eſſe , quum eſt , poterit etiam non eſſe . Praeterea , quicquid fit , ex contrario fit , in quod rurſus interire poteſt . Quod ſi ex privatione interdum fit commigratio in habitum ; ut e tenebris in lucem , & ex quiete ad motum , multo magis ex habitu potuit fieri commigratio in privationem . Quare ſi mundus ex inordinato aliquando generatus fuit ordinatus , quae eſt commigratio ex privatione in habitum , multo magis nunc ex ordinato poterit fieri inordinatus , quae eſt commigratio ex habitu in privationem . Quod ſi hoc abſurdum eſt , abſurdum item erit facere Mundum aliquando ortum fuiſſe . Antecedens autem probatur . Quidquid interit ab aliquo extrinſecus occurſante interit , & in aliquid alienum a ſe ; cum igitur extra Univerſum nihil ſit , nequicquam ab eo alienum exiſtat , ſed (ut eſt apud Platonem , omnia complexu ſuo continens , totum ex totis , perfectum ex perfectis conſtet ; Mundus igitur interire non poteſt : quare neque unquam ortus eſt.

Ad Decimum argumentum Procli.

34. PRoclus *in opere , quod inſcribitur ,* Obſervationes eorum, in quibus Platonis Timaeo contradixit Ariſtoteles , *volens tueri Platonem , qui in Timaeo dixit , quidquid ſentitur generari & interire poſſe , adverſus Ariſtotelem , qui huic opinioni oppoſuit Coelum , quid cum ſentiatur viſu , generari tamen & interire nequit , ſic ait (nullum corpus finitum praeditum eſt viribus infinitis , ut ipſe Ariſtoteles ait* 8. *Phyſ. ſed Mundus finitus eſt ; ut Ariſt. oſtendit in* 1. *lib. de Coelo ; ergo non habet vi-*

res

res infinitas. Atqui, quod aeternum eſt, vim infinitam, ut ſemper ſit, habet, unde ipſum αἰῶνα, hoc eſt aevum ab eo quod ſemper ſit, Graecis appellatum eſſe certum eſt: quare Mundus aeternus eſſe nequit. Suapte igitur natura, & naſci & interire poteſt. Verum, quia conjunctus eſt cum eo quod vere eſt, & vires habet infinitas, inde ſuppeditatur illi immortalitas, & aeternitas. Quare ſi cogitatione Mundum ab ipſo Deo ſejunxerit, & motu atque ipſo eſſe privari neceſſe eſt. Haec Proclus. Si igitur Mundum per ſe finitas vires habet, quod autem hujuſmodi eſt, per ſe interire poteſt, quomodo Proclus ait, Mundus interire non poſſe, quia extrinſecus nihil ipſi contrarium occurrere poſſit? Praeterea, ſi Mundus per ſe caret contrario extrinſeco; quod autem tale eſt, per ſe interire nequit; Mundus igitur per ſe non poteſt interire. Proclus igitur pugnantia loquitur, cum in ſupradicto opere dicat, Mundum ſuapte natura interire poſſe, quoniam habet vires finitas; hic autem inquit mundum interire non poſſe, quia non habet contrarium extrinſecus occurſans illi.

Deinde non valet, quidquid oritur, ex aliquo gignitur, quod prius erat alienum, & extra ipſum; ſed nihil eſt Mundo alienum, aut extra ipſum, ut vult Plato; ergo Mundus non eſt generatus. Hoc, inquam, non valet: nam ſive id, ex quo generatus fuit Mundus, fuit aliquid formatum, & aliquam ſpeciem habens, ſive fuit aliquid rude ac informe, non neceſſe eſt nunc aliquid eſſe extra mundum alienum ab ipſo. Nam ſi id ex quo factus eſt Mundus aliquam ſpeciem habebat, ipſam deferens, Mundi formam ſuſcepit. Quid enim hic remanet alienum a Mundo? Nam ſpecies illa jam interiit: ſubjectum autem illius eſt ſub forma Mundi. Si vero fuit aliquid rude & informe, id ipſum, cum in generatione Mundi evaſerit materia, elementum & pars ipſius Mundi, non poteſt dici eſſe alienum a Mundo: non igitur neceſſarium eſt ſi Mundus ortus fuit, aliquid nunc eſſe extra Mundum. Neque illud, ſi praeciſe dicatur, verum eſt, quidquid gignitur, ex contrario gigni: nam ſubſtan-

tia gignitur, cui nihil eſt contrarium; in ſolis autem contrariis eſt mutua reciprocatio, & commutatio: in privatione autem & habitu, non item evenit; non enim eſt neceſſaria commutatio ex habitu in privationem. Unde Plato ait Mundum ex privatione vel ex inordinato fuiſſe factum ordinatum, nuſquam tamen dixiſſe legitur, Mundum rediturum ad illam privationem informitatis, & inordinationis. Adhaec, concedimus mundum, quantum in ipſo eſt, poſſe ad inordinationem, & privationem redire: omne enim quod ligatum eſt, vult Plato poſſe diſſolvi; (& quum orti eſtis.) *Inquit in Timaeo* (immortales eſſe non poteſtis: neutiquam tamen diſſolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus violentior, quam conſilium meum, quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis tum cum gignebamini colligati.) *Plato igitur ſenſit Mundum ſuapte natura diſſolvi poſſe, a Deo tamen immortalitatem ipſi ſuppeditari. Non ergo pugnant haec, Mundum Dei munere nunquam eſſe interiturum, eum tamen ab aliquo initio fuiſſe conditum. Denique, quod ex materia per motum habuit ortum id ſuapte natura mortale, & aliquando interiturum eſt: & quod per motum phyſicum eſt interiturum, id quoque ortum fuit. Sed quod ſua natura eſt immortale & incorruptibile, id potuit de novo fieri non ex materia per motum, ſed ex nihilo per creationem: ſic eſt mundus.*

Undecimum argumentum Procli.

35. QUidquid interit, id ſuo ipſius vitio interire ſolet: at mundus nullius vitii capax eſt; ergo non poteſt interire. Major patet; nam quod interit, neque bono ſuo interit, neque eo, quod neque bonum, neque malum ſit, ſed medium: quod enim eſt hujuſmodi, id neque laedere, neque juvare poteſt. Unde fit, ut neque perimere, neque ſervare valeat. Minor apud Platonem perſpicua eſt; ipſe enim ait, Mundum beatum eſſe Deum, ſicut & Deos omnes:

Digitized by Google

& propterea Deorum genus univerſum, cum vitii non ſit capax, nullam ſentire poſſe immutationem. Non igitur unquam interibit univerſum, cum in eo nihil inſit vitii. Quod ſi interire nequit, nunquam ortum eſt, alioquin ex nihilo factum eſſet; nullam autem rem ex nihilo fieri poſſe, certum eſt (a).

(a) Quum pleraque alia, tum praeſertim 8. 9. 10. & 11. Procli argumenta acri Philoſophi judicio ſunt penitus indigna. Quid enim illud eſt, mundum, quia ſit ſapientiſſime & creatus & conſtructus, interire non poſſe, quin Deum poeniteat conſilii ſuſcepti? Quid vetat eadem ratione immutabili, qua placuit, ut exiſteret, decretum eſſe ne ſemper exiſtat? Nempe eſt & in hoc argumento illud, quod quum de Deo diſputamus, praecipimus omnes, cavet nemo, ne analogiae ex natura & mente noſtra deſumptae nimium indulgeamus. Agnoſco equidem difficile eſſe, ut quum de penitiſſimis & ignotis rebus diſſerimus, non illas ex notionibus noſtris explicemus: inde certe factum eſt, ut & *humana ad Deos* tranſtulerint omnes ſemper, quod graviſſime queritur Cicero, & in natura rerum explicanda *Microcoſmi affectiones omnes Macrocoſmo* tribuerint, quemadmodum eleganter loquitur Verulamius. Sed quando conſtat haec neque ſine erroris periculo dici, neque cum reliquis rationis noſtrae firmiſque decretis conſentire, turpiſſimum eſt, philoſophum diſſerendi libidine dicere magis, quod in buccam venit, quam quod ex ratione proficiſcitur.

Jam ejuſdem generis eſt, quod ex anima mundana depromitur argumentum. Nam ut demus aliquam eſſe, qui illam ingenitam eſſe intelligemus? Scilicet non magis, quam animam noſtram. A ſe, inquit, movetur. Quaſi vero hoc ſit priori illo clarius. Quamquam quid tandem eſt *hoc a ſe moveri*? Id ſcilicet ut a ſe ſit? eſt id idem per idem probare. Ut quum a Supremo mundi opifice creata ſit, ea tamen vi ſit praedi-

Digitized by Google

Ad undecimum argumentum Procli.

36. N*On decet loco demonſtrationis in omnibus rebus uti teſtimonio Platonis, utpote quem in multis erraſſe conſtet: ut in Aſtronomia, cum Solem, quem Aſtronomi inter ſtellas errantes medium collocant, ſecun-*

dum

---

ta, ut ſe agitet ipſa, & ſe determinet.? Nam ut dictum eſt, minime pugnat hujuſmodi res a Deo creari. Id ſi ſit, quid vetat, eodem, quo genita eſt conſilio, in nihilum redigi poſſe? Itaque hoc argumentum in Scholis quidem Platonicorum, in quibus ratum eſt dogma,mundanam animam emanationem eſſe naturae Dei & neceſſariam, vim ſuam retinet integram; elumbe vero eſt, ubi ab illo dogmate, quod cum tota Dei natura pugnat, diſceſſeris.

Porro decimum ſimilibus ſophiſmatibus, & pluribus, concluſum eſt. Quid enim eſt apertius, quam & mundum iis compactum eſſe partibus, quae ut infinitis aliis modis copulari poterant & diſponi, ita diſſilire ab eo nexu, eoque ordine poſſint, quo conſtant? Niſi ſi Proclus cenſeat & hanc Telluris ſtructuram, magnitudinem, diſtantiam a Sole, ita hanc eſſe, ut pugnet eſſe aliam potuiſſe: negetque iis viribus conſervari, quae ſint in mutuo & perpetuo conflictu, quo perpetuo conſumi neceſſe ſit, ut niſi eadem vi, qua primum ſunt genitae, conſervetur, diſſipatum iri brevi oporteat. Quoniam ergo natura ſua diſſolubilis eſt mundus: qui inde confici poteſt, nec eſſe propterea genitum? Sed nihil, inquit, eſt in univerſo vitii. Quid iſtuc eſt vitium? Beatum, inquit, Plato mundum praedicat: nec quod beatum eſt, vitio ullo laborat. Scilicet venimus ad Platonica myſteria. His tu, Procle, chimericis,caſſiſque notionibus mundi aeternitatem adſtruere conaris? Quid ſi Plato Fidicinem, Tibicinem, Muſicum denique eſſe

mun-

dum a Luna locum tenere dixit. In Philoſophia naturali, cum animarum tranſmigrationem etiam in corpora ratione carentium, fabulas Pythagoricas ſequutus, amplexus eſt, ut ipſe Proclus fatetur in libro, quem pro Timaeo con-

---

mundum dixerit? Idcirco beatum quoque eſſe perpetuaque harmonia frui doceret nos Proclus? Nihil eſt in Univerſo vitii, ideſt nihil non ex perfectis rationibus conſtans, nihil non Auctoris conſiliis, & fini congruens, id verum eſt: nihil autem, quo interire poſſit, ac intereat brevi, niſi Dei Numine procuretur, id eſt, quod cum experientia repugnat. Quid, quod ſi ex Tellure argumenta conjicere liceat, continenter mundus & mutatur & ad interitum vergit? Nam hiſtoriae naturalis imperitus ſit oportet, qui ignoret, quantas intra, 20. Saecula, quorum ad nos hiſtoria naturae aliqua pervenit, globus terraqueus ſubierit mutationes, ab igne, aqua, ac vi quadam actuoſa, qua praeditus eſt. Hinc terraemotus, quibus quum externa Telluris ſuperficies, quum interna ſtructura confracta, apertae voragines, natae inſulae, & montes, veluti Picus Tenariffae, Veſaevus: alii abſorpti, aut diruti, velut ſub finem praeteriti Saeculi Ternatis inſulae mons: conſita proceris arboribus loca ſpoliata, ut Islandia. Sed & majorum viciſſitudinum Telluris argumento ſunt oſtracea in altiſſimis montibus, Terrae viſceribus, viſceribus montium, & lapidum reperta: reperta animantium oſſa, arborum trunci &c. Accedunt perpetuae, quae in Planetis, Sole, Cometis, Stellis ipſis fixis, mutationes, luxationes, partium diſſolutiones contingunt. Sol perpetuo conſumi debet tanta luminis & ignis, quam quotidie emittit, copia. Solis maculae Ulcanorum eſſe evaporationes non ſine graviſſimis conjecturis Phyſici quidam docuere. Jam neceſſe eſt, ut Luna, ac reliqui Planetae iiſdem mutationibus, quibus Tellus, ſint ſubjecti: ſimili enim con-

contra Ariſtotelem ſcripſit. In Medicina, cum in corporibus viventium trahendi facultatem negat eſſe. Praeterea uterum animantem eſſe voluit, quod reprobatum eſt a Galeno. Adhaec cenſet ſtirpes ſenſus participes eſſe, quod nec Ariſtoteli, nec Medicis, nec ipſis Platonicis probatur. In Philoſophia morali, quis non de nuditate mulierum, de communione uxorum, de liberorum procreatione, & abortuo, ejus in libris de Republica decreta reprehendit? Verum, ſi quis plura & graviora Platonis errata ſubtilius vult cognoſcere, legat is Euſebium lib. 3 de Praeparatione Evangelica a capite 8. ad finem uſque ejus libri.

---

conſtant natura. Stellae fixae ſunt totidem Soles. Quid ni iiſdem mutationibus obnoxiae? Haec omnia ſatis demonſtrat mundum iiſdem viciſſitudinibus agitari, quibus ſingula animantium corpora, quouſque appropinquante ſenecta, ideſt eo temporis termino, qui illi Dei decreto conſtitutus eſt, tandem aliquando emoriatur. Quod Stoici, veterum omnium acutiſſimi philoſophi, providiſſe videntur. Tantum igitur abeſt, ut mundus perire nequeat, ut ſit nihil tam manifeſtius, quam quotidie ad ſui interitum appropinquare. Fiunt quidem haec omnia ſecundum conſtantes naturae lege: ſed fiunt tamen. Quumque eae leges, ſecundum quas contingunt, non ſint, niſi ex hypotheſi tantum neceſſariae (p. p. prop. 46.) earum exiſtentia a Dei voluntate pendet, quae ut nulla neceſſitate naturae impellitur ad quidquam extra ſe efficiendum, ita nulla cogitur, ut facta perpetuo conſervet. Erant haec obſervatu facilia, praeſertim quum veteres ipſi Phyſici, Geographi, & Aſtronomi animadvertiſſent. Sed quando Metaphyſici de mundo non, ut par erat, ex mundi ipſius phaenomenis, ſed ex anticipatis, abſtractiſque ideis diſſerere conſtituerunt, mirum non eſt, ejuſmodi aranearum telas contexiſſe, quibus videntes ac prudentes & ipſi implicarentur, & leviora animalcula irretirent.

Digitized by Google

bri. (a) *Deinde, non ſequitur, Plato dixit Mundum eſſe Deum; ergo non ſenſit illum eſſe ortum: utrumque enim dixiſſe potuit, & ſibi contradixiſſe. Interdum enim Plato ſinceras de Deo ſententias ſequtus eſt; interdum patrium morem reveritus, & judicium Socratis reformidans, ad fabulas devolutus eſt.* Genus Deorum expers (*inquit Plato*) vitii eſt, atqui Mundus Deus eſt: *quis hoc concedat? nam ſi mundus, qui omnia continet, Deus eſt, quid erit, quod non ſit Deus? rebus itaque inanimatis, & belluis Divinitatem tribuere oportebit. Quomodo Mundus Deus eſt, cujus partes inferiores penes omnia commutationum genera commutantur, ſuperiores vero perpetua converſione immutantur? Poſtea, ſicut naturalis facultas eſt cauſa conſervationis, & ut res ſit; hoc imbecillitas cauſa erit, cur non ſit: omnis autem facultas finita neceſſe eſt ut deficiat; quare ſi Mundus ut corpus eſt, finitae eſt facultatis, ut fatetur Proclus: finitam autem facultatem deficere eſt neceſſe: & cum deficit in id rem ipſam labi oportet, quod contra naturam ejus ſit: quod autem eſt contra naturam, id cujuſvis rei eſt vitium, ei-* *que*

(*a*) Optandum eſſet, ut hoc canone ubique uſus eſſet vir alioquin acutus & doctus. Quid enim cauſae ſubeſſe ei potuit, cur majori cum reverentia erga Ariſtotelem ſe gereret, quam erga Platonem, quum plura & majora Ariſtotelis errata ſint? Praeſertim quum hic idem Pererius in hujus operis proaemio magnanime ſcribat, *quid magis a philoſophiae gravitate dignitateque remotum & alienum eſſe poteſt, quam philoſophum, ideſt amatorem ſapientiae, quem ad hanc rerum omnium univerſitatem animo perluſtrandam atque contemplandam SOLUTUM ET LIBERUM ESSE DECET, unius hominis, nec omnium mortalium ſapientiſſimi, quaſi vile mancipium, &, ut Poëta quidam ait, ſervum pecus effici?* Nempe tanta eſt vis conſuetudinis, ut viros alioquin doctos cogat interdum ſententia eſſe philoſophos, opera vero ipſa vulgus!

Digitized by Google

quae affert interitum : Mundus igitur & vitii & interitus capax erit .

Quoniam autem Proclus ex illo communi axiomate (Ex nihilo nihil fit ,) *conatur oſtendere Mundum non potuiſſe generari , quippe cum nihil ante Mundum fuerit , ex quo ipſe generari potuerit , agedum , huic quoque rationi occurramus . Ars tantum efficit formas accidentarias , non autem ſubſtantiam . Natura etiam formas ſubſtantiales gignit , non autem materiam . Cum igitur Deus , & artem , & naturam longe antecellat , & formas accidentales , & ſubſtantiales , & ipſam materiam efficere poterit . Non enim Deus vi & poteſtate ſua minus ſuperat naturam , tuam haec artem excellit : quare non eſt illi impoſſibile ex nihilo aliquid facere . Praeterea , aliud eſt loqui de generatione uniuſcujuſque rei particularis , aliud vero de procreatione Univerſi & omnium entium , quae ex aliquo ſubjecto antecedente non potuerunt exiſtere . Et aliud eſt loqui de prima procreatione rerum , aliud vero de procreatione & ſucceſſione earundem ; illam enim nullum ſubjectum antecedere oportet : huic autem ſemper aliquod ſubjectum ſubeſſe debet .*

Quinimo , in ipſa communi rerum particularium generatione cernimus quodammodo aliquid ex nihilo fieri : non enim materia generatur , ac proinde nec totum compoſitum ſecundum utramque ipſius partem eſſentialem de novo producitur ; ſola igitur forma , quae ante generationem nulla erat (niſi fortaſſe formas materiae inhaerentes ſempiternas eſſe quiſpiam exiſtimet) per generationem producitur : quae forma , cum ſubjectum ejus interit , in nihilum videtur recidere : aut enim in ipſum ſubjectum commutatur ; aut ad alias materias tranſit : aut ad aliquod proprium totum reducitur : aut in aliam formam commutatur : quorum nihil fieri poteſt . Quod autem a quibuſdam dici ſolet , materiam eſſe cauſſam procreationum formarum , abſurdum eſt : quomodo enim deterius cauſa erit melioris , & poſterius prioris ? forma enim finis eſt materiae : dicitur autem materia potentia *eſſe omnes ſpecies , non quod ipſas procreet , ſed quod habilis ſit ad naturas formarum*

reci-

recipiendas ; veluti tabella ſcriptoria poteſtate *eſt , quae in ipſa deſcribuntur litterae : non quod litterae ex tabula naſcantur , ſed quod potuit in ſe litterarum characteres recipere . Neque vero poteſt una forma eadem numero ex uno ſubjecto tranſire in aliud : nam nec forma per ſe moveri : nec una numero niſi in uno tantum ſubjecto ſingulari eſſe poteſt . Nec forma diſſolvitur in alia ſimpliciora , alioquin eſſet compoſita . Nec redit ad ſuum totum , ſeu ad propriam integritatem : tum quoniam formae partes non habent , & quantitate carent ; tum quoniam difficile eſt fingere , quae ſit tota forma earum animarum vegetantium , quae in ſingulis viventibus ineſt , aut quod naturale corpus illa tota forma occupet . Neque una forma in aliam interit , ut ſervetur mutua commutatio ; talis enim commutatio non fit propter formam , ſed propter commune ſubjectum , quod poteſtatem habet utramvis formam recipiendi . Ad haec , quod vere generatur , id eſt per motum efficitur , id & in tempore , & ex aliquo ſubjecto fieri neceſſe eſt ; at procreatio Mundi non eſt motus , nec in tempore fit ; immediate enim fit a Deo , qui in tempore non operatur . Sed dicent , nec materiam proprie gigni , neque formam , ſed ipſum compoſitum , idemque interire . Eſto ; ſed compoſitum , ut multis placet , re non differt a partibus : quare per generationem nulla res nova procreabitur , ſed terminus generationis erit tantum unio & concretio ſimplicium : erit autem generatio nihil aliud , quam concretio , interitus autem nihil aliud , quod ſecretio , ut placebat antiquis ; evenietque , ut vera ſit Empedoclis ſententia affirmantis nullius naturam eſſe , ſed permixtionem tantum atque mixtorum ſegregationem. Praeterea , ante generationem forma non erat . Ariſtoteles enim 12. lib. Metaph. tex. 16. non vult formam eſſe priorem compoſito ; nec poſt interitum forma ſuperſtes eſt ; hoc enim ſi alicui formae tribuendum eſt , tantum intellectui concedendum erit : in generatione igitur & corruptione compoſiti , nulla res , & ſubſtantia gigni , aut interire cernitur , praeter formam : ſed quoniam tales formae a compoſita non ſunt ſeparabiles , idcirco ex quadam conſecutione efficitur , ut cum forma*

ma

ma gignitur, & interit, ſimul eadem ratione compoſitum gigni, & int rire neceſſe ſit.

Verum quid opus eſt multis? brevibus namque occurri poteſt argumento: concedendo univerſum quidem naturaliter non poſſe interire; ſed negando ex hoc concludi, ipſum nunquam eſſe caepiſſe. Nam, ut non eſſe coeperit per motum ex aliqua materia factum, nihil tamen prohibet, ipſum ex nihilo per creationem proxime a Deo fuiſſe procreatum. Sed clamat Proclus, ex nihilo nihil fieri: clamet ſane quantum libet: nunquam certe creatione probabit Deo eſſe impoſſibilem. Ac nos quidem ſupra libro quinto, poſſibilem eſſe creationem, multis firmiſque rationibus confirmavimus, & quae contra creationem objici poterant, omnia repulimus.

Duodecimum Argumentum Procli.

37. UNiverſi elementa, vel manent in ſuis locis naturalibus, quod ipſis eſt ſecundum naturam: vel circulo moventur, & neque principium, neque finem habent movendi. Si igitur Univerſi elementa in ſuis ſunt locis, neque ullum in alienum locum totum contendit, neceſſe eſt, Univerſum expers eſſe mutationis: cum omnia, eaque tota id obtineant, quod ipſis eſt ſecundum naturam, tum quae in eodem manent, tum quae moventur.

Ad duodecimum Argumentum Procli.

38. *HOc Procli argumentum duobus ſyllogiſmis nititur. Unus eſt hic: quae ſunt in loco naturali, ea ſunt incommutabilia: at unaquaeque Mundi pars tota eſt in loco naturali; partes igitur Mundi ſunt incommutabiles; quare qui ex ipſis conſtat Mundus, mutationis erit expers. Alter ſyllogiſmus hic eſt: quae in orbem moventur, neque principium, neque finem habent ſui motus: caelum autem verſatur in orbem; neque principium igitur habuit unquam motus, neque finem eſt habiturum.*

Sed

Digitized by Google

Sed in priori illud falſum eſt, quidquid manet in ſuo loco naturali, eſſe immutabile. Elementa enim contigua, ut aer & ignis, aqua & aer, terra & aqua, in ſuis locis naturalibus poſita, tametſi cognata, & ut ajunt, ſymbola ſint, tamen quoniam ſemper altera qualitate ſibi invicem adverſantur, mutuo alterari, & commutari neceſſe eſt.

Deinde, cum ait elementum manens in ſuo loco eſſe immutabile, vel intelligit de mutatione, quae eſt ſecundum locum, vel de alia. Utrumvis falſum eſt: nam multas partes cujuslibet elementi ſaepe numero à ſuis locis naturalibus ad loca non naturalia dimoveri cernimus: aqua item in ſua manens integritate ſaepe incaleſcit, frigeſcit, diſcutitur in halitum, vertitur in aerem, & in ſe computreſcens ſexcentas procreat animalium formas. Terram etiam in loco ſuo immutari, declarant tam multae ſtirpium, & metallorum ſpecies, quae ex ipſa procreantur. At dicet, partes elementi poſſunt immutari, integrum autem & totum elementum nequaquam. Verum, hoc eſt petitio principii; nam qui negat Mundum aeternum eſſe, partes ejus omnino immutabiles eſſe, itidem negabit: de utroque enim par dubitatio eſt. Praeterea, ſi nulla pars elementi eſt immutabilis, quomodo Proclus abſque demonſtratione ſumit, totum elementum eſſe immutabile? cum partium commutatio contrarium ſentire ſuadeat: Eadem enim eſt natura partium elementi, & totius elementi; quare ſi partes ſunt corruptibiles, totum item ſua ſpte natura eſt corruptibile. Vel igitur aliquando interibit, id quod nos aſſerimus; vel nunquam; & ſic fiet, ut quod eſt corruptibile, nunquam corrumpatur; quod & repugnat naturae, & adveſatur iis quae traduntur ab Ariſt. in .. de Coelo. Quinimo Ariſt. ex motu, & quiete partium terrae in centro (neque enim contigit totum elementum terrae ſimul moveri ad centrum) argumentatur, totius terrae naturalem locum eſſe centrum.

Neque vero Proclus illud recte concludit, cum ait, motus circularis caret principio, & fine, ergo eſt aeternus. Nam in antecedente, vel loquitur de principio & fine

ſine durationis, & ita petit principium, ut per ſe manifeſtum eſt: vel loquitur de principio & fine motus ex parte magnitudinis, & ita non valet conſequentia. Etenim idem poſſet de motu cujuslibet globi dici: in tali enim motu non licet certum principium ſumere; aut finem, ex parte globi; non proinde tamen quiſpiam dicet, aut nunquam coepiſſe motum globi, aut nunquam eſſe deſiturum. His accedit, quod duratio motus non a ſubjecto corpore, in quo ineſt, ſed a virtute motoris pendet: quare ſi motor libere, & ſecundum voluntatem moveat, tamdiu motus durabit, quamdiu ei libuerit; & incipiet tunc, cum motor incipere voluerit: figura igitur mobilis non neceſſario aeternitatem motus concludit.

Decimumtertium argumentum Procli.

39. MAteria prima eſt procreationis & interitus expers; alioquin alterius materiae indigeret. Illud autem, cujus gratia materia eſt, eſt ipſa procreatio; & materia refertur ad formam: relativa autem ſimul ſunt: relinquitur igitur, ut ſi materia aeterna eſt, procreatio quoque, cujus gratia illa eſt, aeterna ſit, & ſint formae in ipſa ex aeternitate.

Ad decimumtertium argumentum Procli.

40. *PYthagorici, Platonici, & Stoici, materiam fecerunt ſempiternam; & quamvis nunquam omnis formae, & qualitatis expers ſit per ſe, tamen informem, & incorpoream eſſe voluerunt. Huic dixerunt primum omnium ineſſe trinam dimenſionem, ex qua efficitur corpus quoddam, quod ſua natura ſolis dimenſionibus tribus definitur, & eſt quaſi tumor quidam indefinitus, & ſolum parvi & magni differentia definitur. Hanc item poſuerunt commune ſubjectum omnibus naturalibus formis, idque incommutabile; in omni enim commutatione debet eſſe aliquod ſubjectum, quod ab ea forma, quae interit, tranſeat ad eam, quae procreatur. Hanc igitur materiam*

ſi pro-

Digitized by Google

ſi producatur, dicimus nos non neceſſe eſſe ex alia materia produci: Formae enim, quia per ſe non ſubſiſtunt, nec ſeipſas ſuſtentant, ideo materia indigent cum generantur. Materia vero, quia eſt receptaculum omnium formarum, eaſque ſuſtentat, ſi producitur, non indigebit alia natura, ex qua fit. Praeterea, quamvis in procreatione partium Univerſi materiam praeexiſtere cernimus, in productione tamen totius Mundi, non oportet exiſtimare eam praeceſſiſſe, ſed una cum Mundo a Deo productam fuiſſe. Sed dicet, Plato voluit materiam ſempiternam eſſe: Eſto; at idem in Timaeo terram ponit incommutabilem, reliqua tria elementa vult in ſe mutuo commutari: cum tamen ibidem aſſerat, corpora animantium ex quatuor elementis conſtare, quod eſſe non poſſet, niſi terra commutaretur. Ejus igitur viri, qui in re tam manifeſta ſibi contradicit, velle in omnibus rebus ſententiam, quaſi oraculum, ſequi, ſtultum eſt, cum ipſemet moneat, ut Socratis parvam, veritatis autem permagnam curam habeamus. Adde, quod nuſquam legitur Plato dixiſſe, materiam ſempiternam eſſe: Mundum autem ortum eſſe, clara voce pronunciat. Uter igitur magis conſentanea Platoni dicit, Proclus, qui vult Mundum aeternum eſſe, (quod aperte negat Plato) eoque ſit materia ſempiterna, quod nuſquam Plato dixit; an nos, qui materiam una cum Mundo coepiſſe volumus, quorum alterum Plato manifeſte ſcribit, alterum nuſquam aperte negat? (a) *Denique, materiam non poſſe*

(*a*) Platoni materiam mundi poſitam a Deo creatam non hic tantum Pererius ſibi perſuaſit, ſed viri plures docti atque eruditi, quum veteres, tum recentes. Ex nihilo a Deo mundum creatum ἐκ μὴ ὄντος ὑποϛάτος ſecundum Platonem ſcribit Clemens Alexandrinus *lib.*v. *Strom. cap.* 14. Idem contendit Hierocles, quem plures alii conſectati ſunt. Videntur in eandem opinionem proclivis fuiſſe Marſilius Ficinus. Aperte idem tueri aggreſſus eſt *Livius Galantes in comparat. Theol. Chriſtia-*

Digitized by Google

procreari ab agente naturali, & motu phyſico, verum eſt: a Deo autem, & per creationem, ſalſum eſt.

Decimumquartum argumentum Procli.

41. QUidquid gignitur, materia eget & efficiente: quod ſi id non ſemper eſt, id fit aut propter efficiens, quod non ſemper idoneum eſt ad efficiendum; aut propter materiam, quæ non eſt ſemper habilis; aut certe propter utrumque. Quare ſi Mundus aliquando non fuit, id accidit ei, vel propter ipſius Mundi effectorem, at Deus Mundi opifex, ſemper ad efficiendum Mundum eſt ſatis idoneus, cum ipſe idem ſemper permaneat, nec ullo modo immutetur, nam ſi nunc

---

ſtianae & Platonicae lib. IX. Contendunt idem Cudworthus in Syſt. Intell. cap. 5. Sect. 2. §. 14. Huetius *in Alnetan. lib.* II. *cap.* 5. & *Andreas Dacerius in vita Platonis edita Gallice*. Sed tantos viros nulla habere opinionis ſuae ne probabilia quidem argumenta oſtendit vir doctus Laurentius Moſhemius in diſſertatione, *an Ethnicor. ulli mundum a Deo ex nihilo creatum docuerint* in ſecundo Cudworthi tomo pag. 957. Quid, quod in Timaeo *materia Deo tam manifeſte coaeva* ſupponitur, ut mirandum ſit viros alias oculatiſſimos in ea re caecutire potuiſſe? Nec vero aliter veterum in Platonis Scriptis exercitatorum ullus ea de re dubitavit unquam. Abſciſſe illi docent, tria Platoni poſita principia, materiam, Deum, ideas; viri autem eruditi & perſpicaces, Cicero, Plutarchus, Apulejus, Alcinous, Chalcidius. Vide & Laërtium *in Platone*. Sed ne juniores quidem illi Alexandrini Platonici diſerte ingenitam primam materiam fatentur omnes; & qui fatentur, ii ab aeterno & naturae neceſſitate a Deo emanaſſe contendunt: quod decretum priori illo peſtilentius quoque eſt. Sed ea de re dictum eſt a nobis ſaepe in prima parte.

nunc eſt idoneus, & ex aeternitate non fuit, nec nunc quidem eſt idoneus: Vel propter materiam: at Materia vero ſimiliter ſemper fuit habilis, ad procreationem Mundi, cum ſit incommutabilis, & ſemper eadem permanens. Cum igitur, quod Mundus aliquando non fuerit, nec materiae, nec efficienti, aſcribi poſſit, pro falſo habendum eſt.

Ad decimumquartum argumentum Procli.

42. *IN hoc argumento multa ſunt vitia: primum eſt illud, quidquid fit, indigere materia; multa enim ſolum requirunt efficiens, ut anima rationis compos, quae & a Deo condita eſt, & quoniam eſt immortalis, ex materia fieri non potuit. Materia item prima vel non eſt a Deo producta, quare Deus non omnium erit opifex, ſed erunt duo principia prima, Deus & materia prima, quod redolet nugas Manichaeorum; vel ſi eſt producta, ex materia alia produci non potuit, ne res in infinitum abeat. Neque vero ad oſtendendum, non quid fit, materia egere, multum intereſt, ſive id ab aeterno, ſive de novo factum fuerit. Quemadmodum igitur qui faciunt Mundum ſempiternum, & materiam, tametſi dicant Mundum a Deo fabricatum eſſe, nolunt tamen materiam praeceſſiſſe conſtitutionem Mundi, ſed una cum Mundo ab aeterno productam fuiſſe: ſic etiam nos qui volumus hunc Mundum aliquando coepiſſe, dicimus materiam ſimul cum Mundo coepiſſe. Alterum vitium eſt, quod ſumitur tamquam certum, materiam eſſe immutabilem & ſempiternam, quod falſum eſt, & a nobis ſupra improbatum fuit. Tertium vitium eſt, quod duplex tantum cauſa aſſignatur, propter quam Mundus non ſemper eſſe potuerit, nempe materia & efficiens: cum neutra earum ſit cauſa, ſed alia, quae praetermiſſa fuerit, nimirum, quod repugnet naturae ipſius operis aequale eſſe ſuo opifici, & repugnet Mundo ipſum coaeternum eſſe Deo, a quo fuit conditus: vel quia Deus ad manifeſtationem ſuae gloriae & perfectionis, melius eſſe judicavit*

mundum fieri de novo, quam illum eſſe ab aeterno; vel quia ex parte Mundi repugnat ipſum eſſe aeternum: Tum huic poſitioni multa, quae ſunt perſpicue falſa, abſurda, & impoſſibilia, ſint neceſſario conſequentia; id quod ſupra breviter oſtendimus, & accuratiùs, ac diligentius infra docebimus.

Decimumquintum argumentum Procli.

43. PArtes Mundi, nempe coelum, & quatuor elementa, ſunt aeternae; ergo etiam Mundus. Neque enim totum ignobilius eſt ſuis partibus, cum ſit id cujus gratia partes ſunt, & non è contrario. Coelum autem Platoni ſempiternum eſſe placuit; quod vel motus ejus, qui fit in orbem, apertè declarat: nam ortus, & interitus ineſt iis, quae habent contrarium. Praeterea, unum uni tantum propriè eſt contrarium, ut a Platone explicatum eſt in Protagora: cum igitur Coelum contrario careat, nam ſi Coelo aliquid contrarium eſſet, motui quoque ejus, alius motus contrarius inveniretur, at quis is eſſe poteſt? cum enim tres ſint motus ſimplices, circularis, & rectus, qui duplex eſt, unus qui ſurſum fit, alter qui deorſum: quis erit horpm, circulari contrarius? non is qui ſurſum fit, nam opponitur ei qui fit deorſum; nec is qui fit deorſum, adverſatur enim ei qui fit ſurſum; & jam poſitum eſt uni unum tantum contrarium eſſe; relinquitur igitur, neque motui coeleſti, neque ipſi Coelo quidpiam eſſe contrarium. Quare corpus erit diverſum ab iis, quae ortum habent & interitum, ut ſunt quatuor elementa, & quae ex ipſis fiunt. Porrò, ipſa elementa, licet ſecundum partes ſuas gignantur, & intereant, nihilo minus tamen ſemper ſuum ſtatum naturalem retinent in ſuis locis remanentia. Mixta vero, non partes Mundi, ſed potius effecta dici debent; ad quae procreanda, Dii, ut eſt apud Platonem, ex integritate elementorum partes mutuantur, quas iterum reſtituant illis: quod dictum eſt propter reſolutionem mixti in elementa, ex quibus conflatum

erat.

erat. Ex iis igitur, & vere, & convenienter Platonicis decretis atque principiis demonſtratum eſt, Mundum ſempiternum eſſe.

Ad decimumquintum argumentum Procli:

44. *Quoniam Proclus nimium Platoni tribuens, ad confirmandam aeternitatem Mundi, teſtimoniis ejus abutitur, velut etiam nunc, affirmans coelum ſecundum Platonem non eſſe compoſitum ex quatuor elementis, ſed eſſe quintam quandam naturam omnium ſublunarium corporum longe diſſimilem, hoc dicens convenienter magis doctrinae Ariſt. quam Platonis; videndum eſt, an Plato ita ſenſerit; an potius, ut nos oſtendemus, contrarium. Plato (inquit Proclus) tribuit Coelo motum circularem, qui diverſus eſt a motibus omnium elementorum; ergo voluit illud eſſe diverſum ab illis. Procederet ſanè argumentum ſi Plato feciſſet Coelum, vel corpus ſimplex, vel compoſitum, ſed inanimum: tale enim argumentum ex motu naturali ductum in ſimplicibus corporibus, & compoſitis inanimatis robur habet, ut videre licet apud Ariſt. in 1. de Coelo. At cum Plato dicat Coelum ex quatuor elementis, majori tamen ignis portione, conſtare; ipſumque animatum & ab anima motu cieri velit, planum eſt, Platonem attribuiſſe rotundam converſionem Coelo, non quatenus corpus eſt ſejunctum ab anima, ſed quatenus eſt animal quoddam, cui anima motum circularem impartitur. Nam, & in animali motus progreſſionis, qui fit ad interiora, naturalis eſt ipſi, non ratione corporis, fortaſſe namque illi adverſatur, ſed ratione animae. Praeterea, quid dicemus de ſtirpibus, quae una cum Solis converſione circumferuntur, quamobrem cognomines motui ſolis, Heliotropi nuncupantur? dicat nobis Proclus, cujuſnam ſimplicis corporis naturalis eſt ejuſmodi motus? Anima igitur Coeli circularem motum illi tribuit, ut adducat ipſum, quoad ejus fieri poteſt, ad imitationem mentis & intelligentiae, in cujus actione, ut Platoni placet, perfecte ineſt converſio, & motus circularis. Quemad-*

modum igitur, ut ſunt diverſa genera animantium, volatilium, terreſtrium, & aquatilium, ſic anima, quae in in ipſis eſt, diverſos motus exercet, & ad tales motus exequendos, natura diverſas figuras eorum corporibus accommodavit, cum tamen omnia corpora ipſorum ex elementis pariter compoſita ſint: ſic erit Coelum, quamvis ex elementis conflatum fuerit, ob diverſitatem tamen animae a qua cietur, & figuram, & motum diverſum a motibus omnium elementorum ſortitum eſt. Adde, quod ſi proprium eſt animantis movere ſeipſum, ut eſt apud Platonem 10. *lib de Leg. & aliis in locis: cum Coelum Plato animatum faciat, aliquem motum habebit ab anima ſua, qui praeter circularem alius eſſe nequit. Haec igitur duo in doctrina Platonis non pugnant inter ſe, ut & Coelum conflatum ſit ex elementis, quatenus corpus eſt, & nihilominus tamen, quoniam animatum eſt animam habens divinam, longe diverſam multoque praeſtantiorem iis, quae ſunt in caducis & mortalibus animantibus, motum accipiat ab anima ſua diverſum a motibus elementorum. Quid ſi dicamus Coelum, quum ex puriſſimo igne fere conflatum ſit, ſupernum locum occupaſſe, ibique conſtitiſſe, motum autem circularem, quo circumfertur, ab alio principio, ab anima nimirum accepiſſe? quemadmodum in elementis, quae in ſuis locis naturalibus manent, idem affirmamus: nam ignis qui eſt ſub concavo Lunae* (a) *nec ſur-*

(*a*) Nemo hoc in loco a me expectet, ut Pererii quoque errores, quos ille ex veteri Schola ſaepe ſumit, refellam: nimio enim ſunt plures, quam ut in brevi opuſculo redargui poſſint. Quantum hoc monſtrum eſt, Sphaeram ignis ſub Luna ponere! quod obtrudi non potuit, niſi hominibus, qui totam philoſophiam in technicis, verbis ponebant, diſputabant quae magis, quam philoſophabantur. Sed & tota ſuperior oratio, non minus, quam Procli argumentum, ideis conſtat chymericis, principiis praecariis, telis, quibus muſcae capiantur, qui-

Digitized by Google

ſurſum nec deorſum movetur, ſed motu orbis, cui cohaeret, circumagitur. Quod igitur coelum, ſiquidem ſimile eſt elementis, neque deorſum feratur, neque ſurſum, cauſa eſt, quoniam in ſuo loco naturali exiſtit: nullum enim elementum in ſuo loco naturali manens, poteſt ab eo ullo genere motus naturaliter dimoveri, ſed tantummodo vi; quod autem in ſuo loco manens coelum in orbem feratur, facit id quidem anima Coeleſtis, cujus ipſum eſt proximum inſtrumentum: quae anima, cum ut intelligibilem converſionem, & perfectiſſimum illum motum circularem, qui menti & intelligentiis ineſt, in mundo ſenſibili, & in omnium corpore nobiliſſimo exprimat; tum ut res quae ſub Luna ſunt, temperato ſyderum motu regat, conſervet atque moderetur, motum circularem coelo impartitur.

Sed pergamus ad alia, quae Proclus in ſuo argumento ſumit, expendenda. Ac primo quidem Proclus ſibi contradicit: nam ait ea quae oriuntur & intereunt, non eſſe partes Mundi, ſed potius effecta: idem quoque dicit, partes elementorum oriri & interire: cum igitur quicquid eſt pars partis, ſit pars totius, ut quia manus eſt pars corporis, & digitus eſt pars manus, erit etiam digitus pars corporis: ſi partes elementorum non ſunt partes Mundi, neque ipſa elementa erunt, quod eſt abſurdum: quod ſi ſunt partes Mundi, cum oriantur & intereant, falſa erit opinio ipſius affirmantis, partes Mundi ab ortu, & interitu alienas eſſe. Praeterea, ſi cauſſa ortus, & interitus eſt contrarietas, ut ipſe Proclus dixit; talis autem contrarietas non modo in partibus elementorum, ſed etiam

---

quibuſque homines etiam capi potuiſſe, miraculo ſimile eſt. Quam bellum erat paucis reſpondere, nego totum, quam in illa dumeta platonica ingredi, unde exitus nullus ſit? Quum haec cogito, me pudet ingenii humani, quod tandiu in his nugis, velut in graviſſimis rebus, nulla generis utilitate, divagari potuit: mirificeque noſtrorum temporum Phyſica, plana illa, ac natura experimentis contenta, delectat.

in ipſis totis elementis primo, & per ſe invenitur, totum elementum ab ortu, & interitu alienum non erit. His adde, quod ſupra dictum fuit, cum totum nil aliud ſit, quam ſuae partes conjunctim ſumptae, & cum in corporibus ſimplicibus & homogeneis, cujuſmodi ſunt elementa, eadem ſit ratio cujuslibet partis atque totius, ſi omnes partes elementi ſunt caducae, totum item caducum, & mortale eſſe neceſſe eſt. Quid? quod non poteſt aliquid manere idem numero variatis omnibus partibus ejus? Quum igitur nullum elementum idem numero ſemper maneat, utpote cujus omnes partes varientur, ſane videtur ſimile figmento, totum elementum ab ortu, & interitu vindicare. Illud autem, nec verum, nec Platoni conſentiens videtur, corpora mixta non eſſe partes Mundi, ſed potius effecta: id enim cujus detractione, vel abſentia, aliquid imperfectum, & diminutum eſt, ſuamque perdit integritatem, ſine dubio, vel pars ejus, vel ad ſubſtantiam ipſius pertinens cenſeri debet: haec enim duo, totum, & perfectum reciprocantur, ut docet Ariſtoteles 3. Phyſic. tex. 64. Quod igitur facit ad perfectionem alicujus, id quoque ad ejus integritatem pertinet, ac proinde pars illius eſt; ſed Plato vult in Timaeo, niſi adſint mortalia animantium genera, Mundum non fore perfectum; haec igitur in ipſis Mundi partibus numerari debent. Verba Platonis in Timaeo haec ſunt: inducit enim Deum opificem Univerſi praeſcribentem Diis, „ ea quae facturi erant, ad hunc modum. (Tria genera „ nobis reliqua ſunt, eaque mortalia, quibus praetermiſſis, „ coeli abſolutio perfecta non erit; omnia enim genera animantium complexu ſuo non tenebit: teneat autem oportet, „ ut ei ne quid abſit: quae ſi a me effecta ſint, Deorum „ vitam poſſunt adaequare. Ut igitur mortali conditione „ generentur, & univerſum vere ſit univerſum, vos ſuſcipite, ut illa gignatis, imiteminique vim meam, qua me „ in veſtro ortu uſum eſſe meminiſtis. Si genera igitur animantium Mundo deſint, Mundus Platoni non erit perfectus; cenſet igitur is, animantia in Mundi partibus eſſe numeranda. Et recte ſane: nam mixta perfectiora ſunt elementis; & haec illorum cauſa ſunt conſtituta. Deni-

que

Digitized by Google

que, ſive hoc quod omnia continet, Mundum appelles ab ornatu; ſive univerſum, Omne, ac Totum, utpote cujus amplexu omnia coerceantur, negare non potes, ejus partes eſſe & quidem potiores, corpora mixta, quippe quae, cum varietate, tum perfectione naturae, multum praeſtant elementis.

Platonem autem ſenſiſſe, ex quatuor elementis tum Coelum, tum Mundum totum eſſe coagmentatum, ex iis quae ſubjungam, perſpicuum erit. In Timaeo ſic ait, „ Ut hic Mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc „ ipſo quod ipſe ſolus, atque unus eſſet, idcirco ſingularem „ Deus hunc Mundum, atque unigenum procreavit. Corpo„ reum autem, atque aſpectabile omne neceſſe eſt eſſe, „ quod natum eſt. Nihil porro igni vacuum videri poteſt; „ nec vero tangi, quod careat ſolido: ſolidum autem nihil, „ quod terrae ſit expers. Quamobrem Mundum efficere mo„ liens Deus, terram primum ignemque jungebat.) Et quae „ ſequuntur uſque ad illa verba. (Earum autem qua„ tuor rerum, quas ſupra dixi, ſic in omni Mundo, par„ tes omnes collocatae ſunt, ut nulla pars cujuſvis generis „ excederet extra, atque in hoc univerſo ineſſent genera illa „ univerſa.) Ex quibus verbis apertum eſt, Platonem, & Coelum, & totum Mundum ex quatuor elementis conſtituiſſe. In Coelo autem, plurimum igneae ſubſtantiae ineſſe dixit. Nam cum quatuor ſint animantium genera; „ Unum coeleſte, atque Divinum; alterum pennigerum, & „ aereum; tertium aquatile; terrenum quartum; divinae ani„ mationis (inquit Plato) ſpeciem, Deus maximè faciebat „ ex igne; ut ſplendidiſſimus eſſet, & aſpectu pulcherrimus. „ Cumque eum ſimilem univerſi naturae efficere vellet, „ ad volubilitatem rotundavit, comitanteque eum ſapientia, „ optimae mentis effecit, circumque omne Coelum aequa„ liter diſtribuit, ut hunc varietate diſtinctum bene Graeci „ Κόσμον, nos lucentem & ornatum Mundum nominaremus. Haec ex Platone. Quae vero adverſus hanc Platonis ſententiam in 1. Meteororum Ariſt. ſcribit, parvi momenti ſunt apud Platonicos. Si enim, inquit Ariſtotele, coelum igneum eſſet, cum incredibili propemodum exceſſu hunc Mundum

in-

inferiorem ſuperet, jampridem omnia, quae continentur, in ipſo incendio conſumpta fuiſſent. Sed ipſi reſpondent, cum elementum ignis contineat caetera elementa, ac proinde multis partibus major ſit illis, qui fit, ut quae ab eo continentur, non ſimiliter conflagraverint? Deinde, Ariſtoteles lib. 2. de Generat. tex. 20. & 21. ait ignem elementarem noſtrati igni diverſum eſſe: hunc enim non eſſe ſimplicem, ſed mixtum, & habere caloris exceſſum, vimque urendi & abſumendi corrumpendique corpora, illum autem minime: quemadmodum nix, ſeu glacies, ſeu gelu, frigidi eſt exceſſus; naturalis enim ignis vitam potius impartiendi, quam urendi viribus praeditus eſt, ceu in nobis inſitus calor. Praeterea, quo ignis eſt in tenuiori materia, eo minorem vim habet urendi, ut ferrum candens magis urit, quam carbo, & flamma, quam elementaris ignis. Quum igitur coelum ex puriſſimo, tenuiſſimoque igni conſtet; mirandum non eſt ſi quamvis magnitudine multum excedat, ea tamen quae ſub ipſo ſunt nequaquam incendat.

Platonis autem praecipui interpretes idem, quod nos ſupra docuimus, ſenſiſſe Platonem, aſſeverant. Taurus (ut refert Philoponus) in 1. com. in Timaeum, poſtquam locum Platonis a nobis ſupra citatum expoſuit (Teophraſtus inquit, quod ſi aſpectabile & tractabile ex terra ſunt & igni, ex his coelum, & aſtra conſtabunt; non ſunt autem haec, inquit, ex illis, quintum corpus introducens, quod verſatur in orbem. Verum, ubi quintum corpus illud eſſe docuerit, tunc hiſce contradicat.) Haec Taurus. Qui non modo vult Coelum, & Mundum ex quatuor elementis concretum eſſe, ſed etiam adverſatur Theophraſto id neganti, & quintum quoddam corpus ex Ariſtotelis ſententia introducenti. Porphyrius in expoſitione eorundem verborum, idem ſentit: & poſt multa, ſubjungit haec. (Mundum ex quatuor coſtitutum eſſe elementis, diſerte dicit Plato. quaſi quintum illud corpus, quod ab Ariſt. & Archita inducitur, non eſſe putaverit.) Proculus quoque, tum in expoſitione Timaei, tum in eo libro, qui inſcribitur Obſervationes eorum, in quibus Platonis Timaeo contradixit

Ariſtoteles, *poſt quam multis verbis explicuit quomodo univerſum ex quatuor elementis conſtet, & Coelum ex igni, itemque aſtra: poſtremo ſubjungit haec, (non igitur, quaſi peregrinam in univerſo coelorum naturam inducere oportet, ſed illic ſummam perfectionem naturae eorum, quae hic videntur, conſtituentes, per illam, eamque quae illis ſit cognata, his corporibus ortum tribuere.) Plotinus in lib. de Mundo, eandem, quam nos, Platoni ſententiam tribuit, eamque multis verbis, & explicat, & tuetur, adverſus Ariſtot. cujus verba, ne ſim prolixus, hic non deſcribo. Poſtremo, Ariſtoteles Platonis diſcipulus, ſententiam, quam Platoni adſcripſimus, reprehendens, fecit Coelum quintum quoddam corpus ab elementis diverſum. His accedit, quod Plato non agnovit corpus aliud ſimplex, praeter quatuor elementa: ſic enim in Timaeo ſcribit, (dicendum eſt igitur cujuſmodi potiſſimum quatuor corpora fiant; nam ſi hoc ſemel erimus conſequuti, procreationis terrae, & ignis, & eorum, quae pro rata portione in medio eorum interjecta ſunt, veritatem facile conſequemur: tum enim nemini concedemus, pulchriora iis, quae ſub aſpectum cadant, corpora uſquam inveniri, quorum quodque ad ſuum genus referatur.) Si igitur Plato negat ullum corpus eſſe pulchrius his quatuor elementis, aut his quae fiunt ex ipſis, proculdubio non putavit Coelum eſſe omnino diverſum ab illis. At dicet aliquis, Platonem quinque ſolidarum figurarum, quae rectis conſtituantur lineis, & planis ſimilibus, ac naturae ejuſdem, cujuſmodi ſunt Cubus Pyramis, Octaedrum, Icoſaedron, Dodecaedrum, quatuor priores, quatuor elementis attribuere; nimirum terrae Cubum, Pyramidem igni, Icoſaedron aquae, Octaedrum aeri, poſtremam autem, Dodecaedrum, ſine dubio Coelo aſcribere: is non obſcure indicavit, ſicut figuram, ſic etiam naturam Coeli, diverſam eſſe ab elementis. Sed hi errant: non enim Plato illa figura Dodecaedri Deum uſum eſſe ait ad compoſitionem Coeli, ſed ad univerſitatis conſtitutionem: ut ex iis verbis, quae ſunt in Timaeo, perſpicuum eſt; (cum praeterea, inquit, quinta quaedam ſit compoſitio, ea Deus ad univerſi conſtitutionem eſt uſus; eaque figuravit,*

ravit, & deſcripſit univerſum) Haec pluribus diſſeruimus, ut demonſtràremus, Platoni Coelum non eſſe talem quandam naturam diverſam ab elementis, qualem induxit Ariſtoteles, ſed eſſe ex elementis compoſitum.

Decimumſextum argumentum Procli.

45. MAteria ſempiterna eſt, & per ſe habilis ad ſuſcipiendas formas; vel igitur formae in ea ſemper extitèrunt, & ſemper erunt, & ſic Mundus principio, & fine carebit: vel non ſemper fuerunt, aut erunt; quod eſt abſurdum: quomodo enim materia ex aeternitate formis caruit, ad quas ſuſcipiendas ſemper fuit habilis? Sed fortè dices, ab aeterno materiam habuiſſe formas vagas, imperfectas, & inordinatas; poſtea vero, productas fuiſſe formas perfectas. Verum id dici nequit: cum enim materia per ſe, ac ſemper habilis ſit ad ſuſcipiendas formas perfectas, nulla poteſt reddi cauſſa, cur non ab aeterno illas habuerit. Deinde, quid opus fuit prius habere formas imperfectas, ut deinde perfectas habere poſſet? quod autem Plato, materiam prius immoderate, ac inordinate motam fuiſſe dicit, id non ita accipiendum eſt, ut prius fuerit inordinata, deinde ordinata; ſed cogitare debemus, eum illis verbis exprimere voluiſſe, qualis nam materia ex ſe, & ſuapte natura eſſet, niſi ab opifice Mundi diſtincta, & exornata fuiſſet.

Ad decimumſextum argumentum Procli.

46. *AEternitas materiae, qua fulcitur argumentum, jam ſupra improbata fuit: quare neceſſarium non eſſet pluribus verbis hoc argumentum refellere. Sed illud falſum eſt, Platonem, per id, quod inordinate movebatur, intellexiſſe materiam primam: Porphyrius enim ait intelligenda eſſe corpora naturalia, ex quibus mundus coagmentatus eſt; quae quoniam naturalia ſunt, moventur illa quidem, verum niſi ab opifice Mundi in ordinem digeſta*

geſta eſſent, & ſuum quodque ſitum & locum ab Architecto Mundi accepiſſent, turbato & vago motu agitata fuiſſent; ut navis dum gubernatore, & currus cum auriga deſtituitur. Id autem Platonem ſenſiſſe, illa verba indicant. (Quidquid enim erat, quod ſub cernendi ſenſum caderet, id ſibi aſſumpſit, non tranquillum, & quietum, ſed immoderate agitatum & fluitans, idque ex inordinato in ordinem adduxit.) Quaenam, inquit Porphyrius, ſunt, quae ſub ſenſum cadunt, niſi, corpora? materia enim cum ſecundum Platonem vix aut ne vix quidem ſpuria cogitatione comprehendatur, in iis quae ſub ſenſum cadunt, numerari non debet.

Decimum octavum argumentum Procli.

47. SI in Deo duae ſunt voluntates, una, ut non ſit aliquid inordinatum, quod Plato indicat illis verbis. (Cum enim conſtituiſſet Deus nihil mali admiſcere, ex inordinato ipſum adduxit in ordinem.) Altera, ut univerſum bene colligatum & ordinatum conſervetur, quam innuit Plato illa oratione, (nam cum voluntatem, & conſilium meum nacti ſitis, quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illam quibus eſtis, tum cum gignebamini, colligati, &c.) neceſſe igitur eſt, has voluntates, aut ſemper eſſe in Deo; aut interdum utramque, unam prius, alteram poſterius. At interdum eſſe, interdum autem non eſſe, non convenit ei, qui ſemper eſt, & immutabilis ſemper perſeverat: & prius, ac poſterius in iis tantum inſunt, quae tempori ſubjecta ſunt. Quod ſi utraque voluntas ſemper quod vult efficit, ſemper igitur & inordinatum obliteratur propter perpetuam voluntatem, ut ipſum non ſit: ordinatum conſervatur propter voluntatem, ut ipſum ſit perpetuum: cum utraque voluntas ſit ſemper. Quare ſi ſit utrumque ſemper, non prius erit inordinatum, quam ordinatum, nec ordinatum, quam inordinatum: quod ſi id quod ordinatum eſt, principio & fine caret, Mundus autem nihil aliud eſt, quam

quam ordo, & id quod adductum eſt in ordinem: Mundus igitur ortus, & interitus expers erit.

Ad decimumoctavum argumentum Procli.

48. *DEus ſemper vult, ut non ſit aliquid inordinatum: inordinatum enim Deus, & natura refugit; non tamen ideo ſequitur, ut ſi ſemper vult non eſſe inordinatum, aut ſemper vult ordinatum, ipſum ordinatum ſemper ſit: ſemper enim Deus, ut ait Plato, vult bonis omnibus Mundum explere, non tamen omnibus bonis ſemper Mundus expletus eſt: ſemper vult Deus, non eſſe malum, bonorum enim, inquit Plato, ad nullum aliud, quam ad Deum cauſſa eſt referenda; malorum autem, alia quaepiam eſt requirenda cauſſa, mali enim cauſſa, non eſt dicendus Deus; non tamen ideo ſequitur, ut malum ſemper non ſit in Mundo. Poſtremo, ſemper vult Deus ea quae fiunt in Mundo, non tamen neceſſarium eſt ea ſemper fieri, aut eſſe. Quamvis igitur Deus ſemper velit aliquid, vult tamen illud eſſe, ſicut natura ejus patitur. Et ipſe quidem ſemper voluit Mundum eſſe talem, qualis nunc eſt, ſed non voluit, ut Mundus ſemper talis eſſet. Eſt igitur aeternitas in volitione Dei, ſed non in effectione Mundi.*

Deinde, non ſi quod Deus vult, aliquando eſt, aliquando non eſt, ideo dicere oportet, Deum interdum hoc, interdum illud velle. Una eſt enim & ſimplex Dei voluntas, cujus unaquaeque res particeps eſt, quoad natura ipſius patitur. Vult Deus omnia eſſe ſimilia ſibi, vult eſſe bona, & conſervari: ſimilitudinis tamen, bonitatis, & conſervationis ratio, non eadem eſt in omnibus. Semper igitur volebat Mundum eſſe conditum: verum, ut poteſt eſſe Mundus & ſuapte natura eſt capax durationis, ita eſſe volebat. Si igitur immortalitati, immutabilitati, aeternitati, atque indiviſibilitati Dei, non repugnat mortalitas, mutabilitas & extenſio rerum quas producit: non item abſurdum erit, Deum voluiſſe ſemper Mundum fuiſſe ordinatum, ipſum autem non

ſem-

Digitized by Google

ſemper fuiſſe : non enim voluit , ut Mundus ſemper eſſet ordinatus , ſed ſemper , & ab aeterno voluit , ut Mundus tunc , & talis eſſet , quando , & qualem eſſe , vel poſſibile , vel melius erat (a).

Vigeſimum Argumentum Procli.

45. PLato in Politico ait , res diviniſſimas ſemper in eodem ſtatu permanere ſimiliter affectas & prorſus immutabiles . Cum igitur opifex Mundi ſit quidpiam omnium Diviniſſimum ; ſemper idem & ſimiliter affectus erit . Quare alienum eſt ab ipſo, interdum facere & interdum non facere ; ſed convenit illi , vel ſemper facere , vel nunquam facere . At nunquam facere in eum, qui eſt opifex omnium rerum, cadere nequaquam poteſt : relinquitur igitur , ut Deus ſemper Mundum faciat , ac proinde Mundus ſempiternus ſit. Praeterea, Deus, ut in Timaeo legitur, Mundum condidit divini exemplaris perfectiſſimam imaginem : cum igitur exemplar omnino ſempiternum ſit , neceſſe eſt Mundum, ſiquidem eſt imago ipſius, ambifariam ſempiternum eſſe . Ad haec , Plato Mundum Deum vocat; Deorum autem genus , & mutationis , & vitii expers eſt , quare Mundus ortu , & interitu carebit .

Ad

(*a*) Eſt haec de Divinis operibus philoſophandi ratio frequens Scholae philoſophis : iis enim decretum eſt praecipuum , *Deum ferri ſemper ad id , quod melius eſt* : quo illi graviſſimis quaeſtionibus reſpondent . Nec neceſſe eſt ut id veterum Scholae Theologorum teſtimoniis confirmemus : nimis illa ſunt obvia . Sed illud animadverto , ea quum Leibnitius arripuiſſet , indeque *Theodiceae* ſuae ſyſtema conformaſſet , viſum fuiſſe novum his rebus lumen attuliſſe . Neque vero hoc dico , quaſi Leibnitiano operi meritum detracturus , cui profecto magnum ſemper erit , ſed ut intelligamus , plerumque judicium veteribus defuiſſet , raro ingenium.

Digitized by Google

Ad vigeſimum argumentum Procli.

50. *IN hoc argumento, nihil novi ferè Proclus affert; nam prima pars argumenti, ſupra in ſexto argumento, ſecunda in decimo ſeptimo, tertia in undecimo, & ab ipſo tractata, & nobis refutata fuit.*

Duodecim Argumenta Averrois pro Mundi aeternitate.

51. PRimum argumentum Averrois, ex 4. libro Phyſ. comm. 6. & 1. lib. de Coelo comm. 92. depromptum, ſic habet. Qui de novo Mundum generant, debent neceſſario vacuum admittere; nam ubi nunc eſt Mundus, aliquando nullum fuit corpus, nimirum ante generationem Mundi, poterat tamen eſſe, quandoquidem ibi poſtea Mundus generatus fuit; ergo illud erat vacuum: namque vacuum non eſt aliud, quam receptaculum corporis, vacans tamen omni corpore.

Secundum argumentum, ex 1. lib. de Coelo, Comm. 22. Qui ponunt Mundum de novo generatum eſſe, non poſſunt demonſtrare, eſſe Deum, & æternitatem ejus, ſicut qui ponunt ipſum aeternum eſſe; & coguntur dicere ante generationem Mundi, fuiſſe aliquod corpus; & ratio eſt, quoniam, quod de novo fit, non poteſt immediate fieri a Deo; tum quoniam de novo fit, quod autem tale eſt, ab eo quod ſemper eode[m] ſe habet modo, proxime effici non poteſt; tum quonia[m] quod generatur debet prius ab alio alterari; Deus autem, & quoniam idem, ac immutabilis eſt, & quia eſt incorporeus, non poteſt immediatè aliquid novi facere, vel aliquid alterare: illud igitur, a quo Mundus proxime factus eſt, debuit eſſe corporeum, ut alterare poſſet ſubjectum, ex quo Mundus generari debebat, & ut varietate, ac novitate ſui motus, aliquid novi producere poſſet, quod antea non erat.

Tertium argumentum, ex lib. 8. Phyſ. Com. 4. Si quic-

quicquid fit, ex ſubjecto, & oppoſito determinato fit, idque & ex vi demonſtrationis, & ex evidentia ſenſuum certum eſt; contrarium autem hujus, nec ratione, nec teſtimonio ſenſuum oſtendi poteſt; plane impoſſibile erit ex nihilo aliquid fieri: in tali enim productione, nec ſubjectum, nec oppoſitum ullum determinatum eſſe poteſt. His adde, quod omnis actio neceſſario conjuncta eſt cum motu: ſubjectum autem eſt inſeparabile a motu, cum ponatur in definitione ejus. Quare qui ajunt primum agens poſſe ex nihilo aliquid facere, non praedicant excellentiam ejus, ſed potius pugnantia inter ſe loquuntur; quomodo enim, vel circa nihilum verſari, vel in nihilo recipi ulla actio poteſt? Vel eſse agens ſine patiente? cum haec ſint relativa, quorum ea eſt natura, ut unum ſine altero intelligi, nedum eſse nequeat.

Quartum argumentum ex eodem libro, Commento 15. Qui faciunt Mundum de novo, coguntur fateri aliquam mutationem factam eſse in Deo. Aut enim Deus eodem prorſus modo ſe habuit erga molitionem Mundi ab aeterno, ut tunc cum fecit Mundum, & ſic neceſſarium eſt, ut vel ab aeterno Mundum fecerit, vel ut nunquam fecerit: aut diverſo modo ſe habuit Deus, tunc cum fecit, quam ſeſe habuerat ab aeterno; haec autem diverſitas cum non potuerit oriri ex ipſo Mundo, utpote qui nihil plane eſſet, neceſſario profecta eſt ex ipſo opifice Deo.

Quintum argumentum, ex eodem libro & Commento: Ut ſe habet voluntas nova ad actionem novam, ſic voluntas antiqua ad actionem antiquam: ergo a commutata proportione, ſic ſe habebit voluntas nova ad actionem antiquam, ſicut voluntas antiqua ad actionem novam, & contra: ergo ſicut eſt impoſſibile a voluntate nova prodire actionem antiquam, ſic eſt impoſſibile a voluntate antiqua prodire actionem novam.

Sextum argumentum, ex eodem libro & Commento. Si voluntas aeterna dicitur producere ſuum

 eſſe-

Digitized by Google

effectum de novo, & non ab aeterno, hoc ſine dubio contingit, vel ob aliquod impedimentum, vel ob defectum alicujus rei neceſſariae ad illum effectum producendum; neceſſe eſt igitur ante generationem Mundi, vel impedimentum illud removeri, vel illam rem neceſſariam adeſse: quorum neutrum poteſt fieri ſine motu. Saltem negari non poteſt, quin qui differt facere quod vult, expectet praeſentiam illius temporis, & velit praeterire totum illum tractum durationis, qui praecedit illud *tunc*, in quo vult effectum producere; non poſsunt igitur effugere quin admittant, ante generationem Mundi aliquam durationem temporis extitiſse.

Septimum argumentum, ex eodem libro & Commento. Aut tempus factum eſt cum Mundo, aut fuit ante generationem Mundi: ſed cum nec tempus ſine motu, nec motus ſine mobili, nec mobile ullum extra Mundum eſse poſſit, quomodo potuit eſse tempus ante generationem Mundi? Sin autem tempus factum eſt, cum omne quod fit, vel in tempore, vel in inſtanti fieri neceſse ſit, cumque ibi tempus eſse oporteat, ubi mens noſtra diſtinguit prius & poſterius, fiet profecto, ut ante generationem temporis, ipſum tempus fuerit.

Octavum argumentum, ex eo Opere, cui nomen eſt, *Deſtructio deſtructionum*, ex diſputatione prima in ſolutione ſecundi Dubii. Nullum agens differt agere bonum quod vult, & intendit, niſi vel ob aliquod impedimentum, vel propter aliquod majus bonum; cum ergo ante generationem Mundi nihil plane eſset, vel quod reſiſteret Divinae Potentiae, eamque retardaret, vel quod melius eſset Mundo; nulla causa aſſignari poteſt, propter quam Deus, non ab aeterno Mundum fecerit. Incredibile item eſt, Deum elegiſse privationem Mundi, quaſi tempore infinito: nunquam enim privatio aut eſt prior habitu, aut diuturnior eo, niſi per accidens.

Nonum argumentum, ex eadem Diſputatione in ſolutione tertii Dubii. Cauſa, & cauſatum ſunt relativa:

tiva; ſicuti ergo accidit Mundo de novo eſſe cauſatum, ſic accidet Deo de novo eſſe cauſam Mundi: cum ergo ab aeterno non fuerit cauſa, poſtea verò de novo eſſe coeperit cauſa Mundi, idque non extrinſecus evenerit, nihil enim erat extra Deum ante generationem Mundi; neceſſe eſt confiteri id accidiſſe ob aliquam mutationem factam in ipſo Deo. Si igitur Deus ab aeterno omnes conditiones habuit, quae requiruntur ad efficiendum Mundum, quid cauſae reddi poteſt, cur maluerit ab aeterno non eſſe Mundum, quam eſſe? quis enim, non inquam Sapientiſſimus & Optimus, cujuſmodi eſt Deus, ſed qualiſcunque Artifex, cum poſſit facere aliquod opus optimum, malit dici, & eſſe opifex ejus potentia, quam actu, cum tamen actus ſit perfectior potentia?

Decimum argumentum, ex eadem Diſputatione, in ſolutione decimi ſeptimi Dubii, Qui ajunt] Mundum de novo creatum eſſe a Deo, cenſent ante hunc Mundum, alium potuiſſe creari, & ante illum, aliud; ex quo fit ut dilatio primi Mundi longior eſſet, quam ſecundi, & ſecundi, quam tertii, & tertius antiquior eſſet quam ſecundus, & hic quam primus: dico autem primum hunc noſtrum Mundum qui factus eſt. Et inter tertium, & ſecundum, & inter hunc primum, intercederet aliqua duratio, quae cum non eſſet aeterna, deberet eſſe temporalis, quare tempus eſſet ſine Mundo. Confirmatur hoc, quoniam ubi intellectus noſter invenit prius & poſterius, longius & brevius ſecundum durationem, ibidem tempus eſſe oportet.

Undecimum argumentum, ex eadem Diſputatione in ſolutione decimi noni Dubii. Quod eſt non generatum, neceſſe eſt eſſe incorruptibile: cum ergo ante generationem Mundi poſſibile fuerit Mundum generari, alioquin non fuiſſet generatus, & talis poſſibilitas aeterna a parte ante, erit quoque aeterna in poſterum; quare nunquam ceſſare poterit; non ceſſante autem poſſibilitate, impoſſibile eſt actu Mundum eſſe;

 cum

cum enim primum Mundus actu eſſet, corrumperetur illa poſſibilitas: at poſuimus illam ſempiternam: poſſibilitas enim alicujus rei deſinit eſſe cum primum illa res actu incipit eſſe.

Duodecimum argumentum, ex eadem Diſputatione in ſolutione vigeſimi primi Dubii. Ante generationem Mundi, poſſibile fuit Mundum generari; omnis autem poſſibilitas fundatur in aliquo ſubjecto, quod dicitur eſſe poſſibile: omni enim agenti reſpondet patiens, cum ſint relativa. Quare ſicut poſſibilitas activa non poteſt eſſe niſi in aliquo agente, ſic nec poſſibilitas paſſiva poteſt eſſe niſi in aliquo patiente, & ſic neceſſe eſt concedere ante generationem Mundi, aliquod ſubjectum fuiſſe. Confirmatur hoc, quoniam Phyſicus ex iis, quae ſunt nota ſibi, judicare debet de iis, quae ſunt ignota; cum igitur in cujuslibet rei generatione videamus, non unum oppoſitum recipere alterum, vel tranſmutari in alterum, ſed aliud, quod eſt ſubjectum utrique; praeter rationem eſt, & contra diſciplinam Phyſicam, dicere in generatione Mundi non praefuiſſe aliquod ſubjectum, ſed ipſum *non ens* tranſmutatum eſſe in ipſum *ens*.

Solvuntur Averrois argumenta.

52. *AD ſupradictas Averrois rationes, hoc modo breviter reſpondemus. Ad primam. Si Mundo per ſe deberetur aliquis locus, & ſi Mundus factus fuiſſet per generationem naturalem, valeret utique argumentum; at nec Mundo, ut totum quoddam eſt, debetur per ſe aliquis locus, ſed tantum ratione partium; & Mundus eſt per creationem ex nihilo, nec ante productionem Mundi praeceſſit aliquis locus aptus Mundum recipere; poſſibilitas enim, quae praeceſſit creationem Mundi, non fuit paſſiva ex parte ſubjecti, ſed tantum activa ex parte Dei.*

Ad 2. Argumentum concluderet, ſi nos diceremus Mundum factum eſſe per generationem, & motum phyſicum;

cum; at nos dicimus Mundum fuiſſe creatum ex nihilo, tunc quando ut crearetur praeſcriptum & determinatum fuerat a Deo ab aeterno: talis autem creatio Mundi proxime monſtrat Deum eſſe. Nam creare mundum ex nihilo non poteſt niſi is, qui habeat infinitam vim & poteſtatem, quique ſit ſumme bonus & ſapiens: hunc autem Deum eſſe, manifeſtum eſt apud omnes.

Ad 3. Tale judicium noſtrorum ſenſuum ex duplici cauſſa profectum eſt; tum quoniam ſenſibus noſtris tantum notae ſunt generationes particularium rerum, productio autem totius entis, & ipſius univerſi, non poteſt ſub ſenſus noſtros cadere: tum etiam quoniam ſenſus humani tantum judicare poſſunt de generatione rerum corporearum & ſenſibilium, productio autem rerum immaterialium ſenſu comprehendi nequit. Quamobrem oportet, ut intellectus ſe ſupra ſenſus erigens, & generalem totius entis productionem, & ſpecialem rerum immaterialium procreationem conſiderans, agnoſcat in iis modum quemdam productionis neceſſarium eſſe longe diverſum ab eo, quem in generatione rerum particularium, & materialium, ſenſu percipimus. Neque vero creatio eſt actio conjuncta cum motu, ut ſubjecto aliquo, & patiente, & tempore indigeat. Et indigere ſubjecto ad agendum, excuſari non poteſt, quin multum detrahat omnipotentiae Dei, & generali efficientiae, quam habet erga omnes res; tollit enim infinitatem divinae virtutis, nec patitur Deum eſſe proprie cauſſam efficientem rerum incorruptibilium.

Ad 4. Ab aeterno Deus decreverat facere Mundum, tunc cum factus eſt; nunquam igitur voluntas mutata eſt in Deo.

Ad 5. Effectus intelligibilis, & voluntarius prodit ab intellectu, ſecundum praeſcriptionem & definitionem ejus; & a voluntate, ſecundum ejus determinationem. Unde licet voluntas ſit antiqua, & intellectus, tamen ſi determinaverint facere aliquid multo tempore poſt, effectus novus erit, & proficiſcetur a voluntate antiqua, ſecundum ſuum propoſitum, propter quod illa voluntas ab antiquo decreverat, ut novus ille effectus aliquo certo tem-

Digitized by Google

pore exiſteret. Exempli gratia, ſi ego nunc apud me ſtatuerem, ab hinc duos annos Lauretum ad ſacram illam Deiparae virginis aedem religionis ergo proficiſci, illa peregrinatio cum a me poſt duos annos ſuſcipietur, procedet a voluntate antiqua, quae id duobus annis ante deliberaverat. Sic etiam Deus ab aeterno decrevit facere mundum, qui de novo inciperet, & haberet ſuae durationis initium; nihil igitur abſurdi eſt, a voluntate antiqua, & aeterna, effectum novum (ea ratione qua expoſitum eſt) proficiſci.

Ad 6. Valet argumentum de agente, quod operatur ex neceſſitate naturae, non autem de eo, quod agit libere, qualem eſſe Deum, ſupra capite primo multis argumentis oſtendimus.

Ad 7. Omne quod fit, in tempore, vel in iſtanti temporis fieri, locum habet tantummodo in iis, quae fiunt per motum phyſicum, & motui circulari, cujus paſſio tempus eſt, ſubjecta ſunt. Tempus igitur, una cum Coelo productum eſt per creationem. Creatio autem eſt actio quaedam divina, quae non menſuratur tempore, vel inſtanti temporis noſtri.

Ad 8. Verum eſt id quod argumentatur Averroes, de agente, cujus, vel aliqua perfectio, vel aliquod bonum, & utilitas in actione ejus aliquo modo conſiſtit; vel quod naturaliter ex neceſſitate operatur; tale autem agens, non eſt Deus. Non eſſe *vero Mundi ab aeternitate praeceſſit, non quod potius Deus illud elegerit,* quam eſſe *Mundi, ſed quoniam Mundus ab aeterno eſſe non poterat, ac ideo neceſſarium fuit,* non eſſe *Mundi, ab aeterno praeceſſiſſet; vel quod ſi poterat eſſe, melius erat, ut de novo fieret, quam ab aeterno, propter eam cauſam, quam ſupra non ſemel expoſuimus.*

Ad 9. Deus ſine ulla mutatione ſui produxit res novas; denominatur autem creator, vel conſervator actu, & de novo, non formaliter & intrinſece, ſed propter ipſas creaturas, quae ante erant potentia, poſtea ſunt actu; antea non erant, poſtea de novo ſunt productae: tales enim relationes non ſunt mutuae, vel ſecundum

aequi-

Digitized by Google

aequiparantiam, ſed in creatura ſunt realiter, & ſubjective, in Deo autem ſecundum rationem, & terminative. Quamvis autem Deus ab aeterno habuerit omnes conditiones, quae requiruntur ad efficiendum Mundum, non tamen oportuit Mundum ab aeterno factum eſſe: tum quia Deus eſt agens liberum, non ex neceſſitate: agens autem liberum, etiam cum omnia requiſita ad agendum adſunt, poteſt non agere; tum etiam, quia fortaſſe Mundus non potuit fieri ab aeterno.

Ad 10. *Si ante hunc Mundum fuiſſet creatus alius, ille diceretur antiquior ratione temporis, quod fuiſset una cum ipſo productum; plures enim circulationes in illo Mundo confectae eſsent, quam in hoc, & plus temporis ibi fluxiſset, quam hic: denique, ſecundus Mundus, licet proprie non fiat in tempore, cum tempus ipſius una cum ipſo producatur, & ipſum ſit extra tempus prioris Mundi; poteſt tamen dici eſse tempore poſterior priori Mundo, quatenus cum ſecundus Mundus factus eſt, jam aliquot anni, menſes, & horae, denique aliquid temporis praeceſserat in priori Mundo.*

Ad 11. *Poſſibilitas, ut Mundus generetur, non erat aliqua potentia phyſica fundata in ſubjecto, cum ante generationem Mundi, nihil plane exiſteret: ſed erat tantum poſſibilitas ex parte agentis, qui propter virtutem ſuam infinitam, & a nulla re dependentem, poteſt ex nihilo res producere.*

Ad 12. *Argumentum procedit de agente naturali, & finitae virtutis, & de modo generationis rerum Phyſicarum, qui nobis familiaris eſt; Deum autem, cum ſit infinita vi praeditus, & omnium rerum auctor, non convenit exiſtimare ad agendum egere adminiculo ſubjecti, ſeu materiae; praeſertim cum ſit quaedam actio ipſius propria, quam* creationem *vocamus, ſejuncta ab omni motu phyſico, & nullius indiga ſubjecti. Quod ſi omni agenti aliquod patiens ſubeſse neceſse eſt, erit igitur aliquod patiens, quod a nullo factum erit, ac proinde Deus non erit cauſa efficiens omnium rerum. Atque haec quidem de argumentis Averrois.*

Duodecim alia argumenta pro aeternitate Mundi.

53. EXponamus deinceps alia duodecim argumenta pro Mundi aeternitate, non minus, quam omnia ſuperius allata, in ſpeciem probabilia; quae libuit hic adjungere, tum ne quicquam, quod veritati adverſari & officere poſſe putaretur, nos quaſi diſſimulantes, conſulto taciti praeteriiſſe videremur: tum, quo diſcuſſis omnium difficultatum tenebris, illuſtrior atque jucundior omnibus veritatis eſſet aſpectus.

Primum autem argumentum hoc eſt. Quod de novo creatur, aut ante potuit fieri, aut non; ſi non potuit fieri, non poterit igitur creari; ſi potuit eſſe, ubinam illa potentia erat? in nihilo non poteſt eſſe, nec in ſubjecto: quia creatio non praeſupponit ſubjectum aliquod. Et confirmatur, quoniam creatio non eſt ipſa res quae creatur, neque eſt Deus qui creat, ſed eſt actio quaedam proficiſcens a creante, & quae terminatur ad rem creatam; hanc autem actionem in aliquo ſubjecto recipi oportet: at hoc repugnat creationi, quae dicitur eſſe productio ex nihilo.

Secundum argumentum. Si Mundus creatus eſt ex nihilo, cum ipſum *nihil* ſit quoddam indefinitum & indeterminatum, praeterea ipſe Deus ſit indifferens ad producendum quodlibet, non poteſt aſſignari ulla veriſimilis ratio, cur a Deo potius hoc ens determinatum factum fuerit, quam aliud, & tunc, quam alias. v.g. ſi producit Coelum ex nihilo, cum Deus indifferens ſit ad producendum Coelum, & quodvis aliud, ſimiliter & ipſum nihil non ſit magis determinatum ad productionem coeli, quam alterius entis, cur potius nunc producitur Coelum, quam aliud quodlibet ens? vel a quo determinatur talis productio ex nihilo ad ipſum Coelum potius, quam ad aliud ens?

Tertium argumentum. Si Coelum v. g. de novo productum eſt, quaero, antequam produceretur, vel poterat produci, & non produci, vel ex neceſſitate

pro-

productum eſt : ſi prius dicas ſequitur ut Coelum ſit corruptibile ; nam quod ante productionem ſui poterat eſse, & non eſse poſtquam productum eſt , adhuc poterit eſse, & non eſse. Sin autem poſterius dixeris , cum talis neceſsitas non poſsit eſse , niſi ex parte agentis , extra ipſum enim nihil prorſus erat ante generationem Mundi ; oportebit Deum ex neceſsitate mundum produxiſse . Quod ſi ex neceſsitate produxit , cur non ante , ſeu ab aeterno produxit ? niſi forte aliquod fuit impedimentum, quod retardavit ipſum .

Quartum argumentum . Aut Deus potuit facere Mundum ab aeterno , aut non : ſi potuit , cum Deus & Natura ex poſſibilibus faciant quod melius eſt , melius autem ſit Mundum eſſe , quam non eſſe , procul dubio ſi potuiſſet illum facere ab aeterno , feciſſet : ſi non potuit facere ab aeterno , ergo oportuit , ut aeterna quaedam duratio praecederet molitionem Mundi : at videtur & abſurdum , & incredibile , quod Deus per totam aeternitatem expectare debuerit , donec potuerit Mundum facere ; nam ſi Deus non poteſt facere Mundum ab aeterno , faciat igitur *tunc* cum primum poteſt facere , & cum illud , *tunc* , praeceſſerit aeternitas , aut ante illud , *tunc* , poterat facere Mundum , aut non ; ſi non potuit hoc eſt incredibile , cur tunc potuerit , & non ante ; ſi potuit , ergo potuit facere Mundum antequam potuit .

Quintum argumentum . Si Mundus , cujus aliae partes ſunt corruptibiles , aliae incorruptibiles , de novo factus eſt , omnes partes ejus incoeperunt ; quod autem incipit eſſe , deſinit etiam eſſe ; non igitur erunt aliquae partes Mundi incorruptibiles . Ex contrario autem videntur omnes debere eſſe incorruptibiles ; nam quod non eſt factum ex ſubjecto , & contrario , id non eſt corruptibile ; ſed tales ſunt omnes partes Mundi , utpote quae a Deo productae ſunt per creationem ; ergo omnes oporteret eſſe incorruptibiles .

Sextum argumentum . Motus menſuratur tempore ; ſi ergo incoepit eſſe , vel incoepit in inſtanti , vel

in

Digitized by Google

in tempore; fuit igitur tempus ante motum: at tempus non eſt ſine motu. Adde, quod cum tempus ſit paſſio & numerus motus, ſicut non datur prima pars, vel primum mutatum eſſe ipſius motus, ita non dabitur prima pars nec primum inſtans temporis: quare tempus erit infinitum. Quod ſi dicas, tempus, & motum concreatum fuiſſe cum ipſo Mundo; hoc non poteſt dici: nam quae concreantur eadem productione terminantur & efficiuntur; at Mundus, vel Coelum coepit eſſe per primum ſui eſſe, cum ſit res permanens, & ſubſtantia completa per creationem producta; motus autem non potuit ſic incipere, cum ſit ens ſucceſſivum, non enim poteſt dari vel prima pars, vel primum mutatum eſſe motus; ergo terminata creatione coeli, nondum erat motus. Quaerendum igitur eſt, quomodo poſtea productus fuerit motus, & quomodo non ante productionem motus fuerit tempus, cum coelum non modo natura, ſed etiam duratione quadam inſtantanea, motum praeceſſerit.

Septimum Argumentum. Praeſtantius eſt non poſſe non facere bonum, quam poſſe non facere bonum: ſicuti melius eſt facere bonum, quam non facere bonum; & melius eſt non poſse facere malum, quam poſse facere; ſed communicare ſe aliis eſt bonum, ac Divinum quippiam, immo videtur eſse proprium ſummi boni, & inſeparabile ab ipſo: cum igitur haec communicatio in molitione Mundi conſiſtat, non potuit Deus non facere Mundum; quare, vel ab aeterno fecit, vel aliquod impedimentum fuit, propter quod non ab aeterno fecerit; atqui nullum impedimentum fingi poteſt, quod Deum retardare potuerit; ergo Deus fecit Mundum ab aeterno.

Octavum argumentum. Deus ſemper ac neceſsario facit, quod melius eſt: ſi enim ex duobus oppoſitis non ſemper eligeret ac faceret quod melius eſt, ſed interdum quod deterius eſt, profecto nec eſset ſumme ſapiens, nec ſumme bonus: vel ergo ſimpliciter melius eſt Mundum eſse, quam non eſse, vel è contrario, non eſse,

quam

Digitized by Google

quam eſſe. Si melius eſt Mundum non eſſe, quam eſſe, nunquam ergo Mundus potuit, vel debuit fieri a Deo; ſin autem melius eſt mundum eſſe, quam non eſſe, ergo Deus neceſſario (non quidem neceſſitate coactionis, ſed neceſſitate oppoſita contingentiae) fecit Mundum. Sicuti ergo non eſt contingens Mundum fieri, vel non fieri; ita non erit contingens Mundum de novo fieri, vel ab aeterno fieri. Oportet igitur alterutrum horum eſſe neceſſarium; ſed non fuit neceſſarium de novo fieri; ergo fuit neceſſarium ab aeterno fieri.

Nonum Argumentum. Si Deus neceſſario facit quod melius eſt; & bonum, quo eſt diuturnius, eo melius; cum igitur Mundum eſſe, bonum ſit, melius utique fuerit ipſum aeternum facere, quam novum, Quare ſic a Deo factus eſt.

Decimum Argumentum. Si melius eſt Mundum eſſe, quam non eſſe, & Deus neceſſario facit quod melius eſt, quomodo non eſt abſurdum, dicere Mundum de novo factum fuiſſe? ſic enim Deus praepoſuiſſet privationem Mundi generationi ejus, ideſt, feciſſet non eſſe Mundi aeternum, eſſe autem ejus novum.

Undecimum Argumentum. Si mundus de novo factus eſt; quaero, in tota illa aeternitate, quae praeceſſit generationem Mundi, vel Deus erat imperfectus, & otioſus, quia nihil faciebat; vel aeque perfectus, ac modo eſt; & tunc, vel erat neceſſarium, utile, & decens Mundum eſſe, vel non. Si igitur in illa æternitate fuit, vel neceſſarium, vel utile, vel decens, ut Mundus eſſet, oportebat Mundum, a Deo, qui ſumme bonus eſt, in illa aeternitate factum eſſe: ſi autem tunc non erat neceſſarium, aut conveniens, aut decens, vel fuit hoc tunc cum conditus eſt, vel nihil horum fuit; ſi fuit quaerenda eſt ratio hujus diverſitatis, cur fuerit tunc, & non prius, vel ab aeternitate; ſi nihil horum fuit, ergo fruſtra Mundus factus eſt; quod enim neque neceſſarium eſt fieri, neque utile, neque decens; fruſtra fit.

Duo-

Digitized by Google

Duodecimum Argumentum. Cum Deus ſit ſummè bonus, & velit omnia ſibi eſſe quam ſimillima, praeſertim ea quae immediate procedunt ab ipſo; ſicuti alias perfectiones communicavit creaturis, credendum eſt etiam communicaſſe aeternitatem, quae eſt una ex perfectionibus Divinis: & quemadmodum fecit Intelligentias in aliis omnibus rebus ipſi ſimiles: ita etiam feciſſe in aeternitate. Adde, quod magis apparet excellentia Dei, & infinita virtus ejus, ſi credatur, & praedicetur, non modo auctor eſſe rerum caducarum, & mortalium, ſed etiam opifex eſſe immortalium, & ſempiternarum; ut non ſolum poſſit creaturae tribuere aeternitatem a parte poſt (ut dicunt Scholaſtici) ſed etiam a parte ante.

Supradictae rationes diſſolvuntur.

54. *Verum ad haec argumenta non aegrius, quam ad alia, quae ſupra reſutavimus, reſponderi poteſt, ad primum quidem hoc modo. Quod creatur antea poterat creari, non ob potentiam paſſivam alicujus ſubjecti, nulla enim materia tempore praeceſſit creationem Mundi, quin etiam tota ipſa materia prima creata fuit; ſed ſolum ob potentiam activam agentis, quod antequam crearet, poterat creare. Potentia enim creativa Mundi ex omni aeternitate fuit in Deo perfectiſſima.*

Ad 2. Multitudo, & diſtinctio earum rerum, quae a Deo creantur & determinatio uniuſcujuſque rei in gradu ſuo, non fuit orta ex ipſo nihilo, nec ex ipſo Deo ſimpliciter; ſed ex Deo, prout habet in ſe ideas, & notiones omnium rerum, ſecundum quas; & numerum, & magnitudinem, & gradus perfectionis diſtribuit rebus. Sic eſt in ſacris literis, Deum omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura.

Ad 3. Mundus poterat produci, & non produci, quia libere productus eſt a Deo, non tamen idcirco continuo ſequitur, ut Mundus ſit corruptibilis: illud enim axioma (quidquid poteſt fieri, & non fieri, eſt corruptibile) verum eſt de eo, cui convenit talis potentia contra- *dictio-*

dictionis, intrinſecè, & propter aliquod eſſentiale principium ipſius, quod eſt materia; non valet autem in eo, cui talis potentia non convenit intrinſecè, nimirum ex parte agentis, a quo propterea, quod libere, & non neceſſario productum fuit, antequam producetur, potuit produci & non produci. Quamvis igitur Deus libere impertiverit eſſe omnibus rebus, quibuſdam tamen largitus eſt eſſe perpetuum, ut per ſe, ac ſuapte natura a nullo corrumpi poſſint: aliis autem dedit eſſe caducum, ac mortale, quo aliquando tandem deficiente, ejuſmodi res interire oportet. Ergo intrinſece & ſecundum naturam ſuam, aliae res ſunt corruptibiles, & aliae incorruptibiles: quaedam contingentes, & quaedam aliae neceſſariae: quoniam aliae materiam & contrarium habent: aliae vero minimè. At res omnes ad Deum relatae, a quo libere productae ſunt, ita ut potuerint non produci, & libere conſervantur, ita ut poſſint non conſervari, nulla eſt res omnino neceſſaria & incorruptibilis. Diviſio autem rerum in corruptibiles, & incorruptibiles ſumitur ex natura ipſarum rerum, non autem ex earum relatione ad Deum.

Ad 4. Non potuit Mundus eſſe ab aeterno: quod non arguit impotentiam Dei, ſed repugnantiam ex parte creaturae; poſita enim Mundi aeternitate, permulta conſequuntur abſurda, quae partim tetigimus in ſolutione primi argumenti Procli, partim infra adducemus. Quamvis autem Mundus non potuerit fieri ab aeterno ſimpliciter, & ut quidam ajunt categorematice, potuit tamen fieri ab aeterno ſyncategorematice, ideſt quocunque puncto aeternitatis vel temporis imaginarii, quod animo fingamus omni aeternitati coextitiſſe, ponatur Mundus, fieri potuit ante & ante fieri & in infinitum. Quemadmodum, licet Deus non poſſit (ut multi putant) producere aliquod infinitum actu, poteſt tamen producere infinitum hoc modo, quoniam quocunque dato finito, ſeu in magnitudine, ſeu in numero, poteſt Deus facere majus, & majus in infinitum; nec poteſt dari ullum finitum, quod non poſſit Deus majus facere. Potentia ergo ad creandum Mundum non debet terminari per aliquid citra aeternitatem abſolutè,

tè,

Digitized by Google

tè, eo modo ut tunc potuerit, & non ante, ſed debet determinari per aeternitatem negative, hoc ſenſu, Mundus non poteſt creari ab aeterno ſimpliciter, ſed poteſt creari ab aeterno hoc ſenſu, quia nihil poteſt aſſignari determinate citra aeternitatem, ante quod Deus non potuerit Mundum creare. Potentia ergo Dei ad creandum Mundum nec determinatur per aeternitatem, nec per aliquid determinatum citra aeternitatem, ſed per id quod eſt citra aeternitatem, confuſe, ac indeterminate.

Ad 5. Neceſſe fuit ut in prima productione rerum, omnes res ex nihilo producerentur: nihilominus tamen ex iis, quae tunc producta ſunt, alia nacta fuerunt materiam, & contrarium, ex quibus, & per quae generari, & corrumpi poſſent: alia vero ab omni materia ſegregata, & a contrariis libera, immortalem, atque immutabilem naturam ſortita ſunt. Hinc igitur factum eſt, ut quamvis in procreatione Mundi omnes res ſimili productionis modo extiterint, tamen propter diverſas naturas, quas in illa creatione acceperunt, aliae res fuerint corruptibiles, aliae vero incorruptibiles.

Ad 6. Non datur primum inſtans temporis, ſicut non datur primum mutatum eſſe *motus circularis. De motu autem, cum non ſit res permanens, nec a mobili vel termino* ad quem *diſtincta, non recte quaeritur quomodo producatur, per creationem ne, an per generationem: non enim motus per motum producitur, nec eſt motus ad motum, ut in 5. Phyſ. Ariſtoteles demonſtrat. Coelum autem cum ſecundum ſubſtantiam menſuretur aeternitate vel aevo, non poteſt rectè dici eſſe prius motu circulari, vel tempore, vel inſtanti temporis, ſed quadam duratione indiviſibili ipſius aevi, cui reſponderet inſtans in tempore, ſi ponamus Coelum immediate poſtquam fuit creatum, moveri coepiſſe.*

Ad 7. Deus neceſſario facit bonum, hoc ſenſu, quod quidquid Deus facit, neceſſario bonum eſt; nulla tamen neceſſitate aſtringitur Deus, ut hoc, vel illud bonum faciat. Cum enim libere agere ſit perfectio quaedam in homine, non ea eſt removenda a Deo, praeſertim in iis

ope-

Digitized by Google

operationibus, quae ſunt extra ipſum, in quorum effectione non conſiſtit perfectio Dei. Deus igitur neceſſario facit bonum, quoniam quod ab eo fit, neceſſario bonum eſt, non tamen, neceſſario facit bonum, ut neceſſarium ſit ipſum facere hoc vel illud: ſi enim fit a Deo, hoc ipſo bonum eſt, & hoc ipſo eſt melius eſſe, quam non eſſe, praecipue tunc quando fit: ſin autem a Deo non fit, hoc ipſo melius eſt non fieri, tunc praecipue. Atque hinc patet etiam octavi argumenti ſolutio.

Ad 9. Melius eſt aeternum eſſe, quam non aeternum, ſimpliciter loquendo; ſed non eſt melius Mundo, quia repugnat naturae ipſius, ut coaeternus ſit Deo. Sicut eſſe incorporeum ſimpliciter melius eſt, quam eſſe corporeum, ſed non eſt id melius homini, cujus naturae repugnat, ipſum eſſe incorporeum. Vel aliter reſponderi poteſt, non eſſe melius Mundo ut is ſit aeternus, ratione finis propter quem a Deo fuit conditus, nimirum ut ex eo Dei infinita poteſtas, atque majeſtas ab hominibus cognoſceretur, quae facilius, clarius, certiuſque ex nova Mundi conditione, quam ex ejus aeternitate cognoſcuntur.

Ad 10. Quamvis ipſi Mundo melius ſit eſſe, quam non eſſe, tamen Deo neque melius eſt, neque deterius eſt Mundum facere, vel non facere: quia Mundi effectio nihil Dei perfectionem attingit.

Ad 11. Ut Mundus in aeternitate coexiſteret Deo; impoſſibile fuit: vel certe non decuit; ut autem aliquando fieret, exiſtimare decet fuiſse quidem conveniens, quandoquidem a Deo factus eſt, non tamen fuiſse neceſsarium, ut non potuerit non fieri.

Ad 12. Communicavit quidem Deus creaturis eas perfectiones, quas conditio creaturae ferebat, eas vero, quae ſuperant ſtatum & conditionem creaturae, nec debuit, nec potuit communicare: neque enim fieri poteſt, ut creatura ſit vel infinita virtute praedita, vel incauſsata, & independens, ac (ut quidam putant) vel Deo coaeterna. Non eſt autem Deus auctor tantummodo rerum caducarum, ſed etiam immortalium, & perpetuarum. Quod autem non poſſit facere ſibi res coaeter-

nas

nas, hoc manifeſtiſſime indicat ſummam excellentiam Dei, cui nulla creatura; aut in eſſentia, & perfectione; aut in virtute, & actione, aut in vita & duratione, par & aequalis eſſe poteſt.

Atque haec quidem ſint contra Peripateticos & nonnullos Platonicos, qui pro aeternitate Mundi, quaſi pro aris & focis, ipſoque capite, acerrime dimicant, eamque pugnaciter & mordicus defendunt, diſputata. Nos enim eorum tela, quibus veritatem petebant, hebetavimus, fregimus, fecimuſque, ut ea nihil plane veritati poſſent officere.

Haec Pererius adverſus aeternitatis mundi patronos. Debueram ego plurima in utriſque delere, quae recentibus philoſophis nauſeam creare poſſunt: ſed id fieri non poterat, niſi tota ſuperiori diſputatione recuſa, ac in ſuccum ex praeſentis philoſophiae genio & notionibus converſa: quod quare noluerimus, ſub illius initium diximus. Quamquam ego ſic habeo, ſubtilitates hujuſmodi dialecticas, a quibus jampridem abhorremus, ac jure abhorremus, non eſſe illas quidem toto pectore, velut conditiſſimos cibos, exhauriendas, ſed interdum tamen, velut ſinapi ad embammata, deguſtandas: ſapidiora enim hinc noſtra ſunt & jucundiora. Illud hinc conſtet, nihil niſi mera ſophiſmata aeternitatis mundani operis advocatos protuliſſe, viros autem in primis acutos & diſertos, quod noſtra intereſt. Nam qui iis nuper acceſſere, nihil fere novi attulerunt, ſed veterem illam crambem recoquerunt, noviſque tantum condimentis exornarunt veteribus arte & ingenio impares.

Prop. V. Exiſtit Deus.

D. Deus eſt ens aeternum, ab omni materiae concretione ſegregatum, perfectiſſimum, omniſcium, atque omnipotens, beatiſſimum, univerſi opifex & gubernator (ex def. 1.): exiſtit autem mens aeterna (ex prop. 1.) & incorporea (ex prop. 2.), & infinite perfecta, adeoque omniſcia, omnipotens, beatiſſima (ex prop. 3.), & mundi cauſa ſapientiſſima (ex prop. 4.); ergo exiſtit Deus.

Prop.

Prop. VI. Deus eſt unicus.

D. I. Argumenta omnia, quae Dei exiſtentiam probant, probant etiam eſſe debere ens aliquod aeternum, intelligentiſſimum, potentiſſimum, perfectiſſimum, in quo ſit ratio ſufficiens exiſtentium omnium, & poſſibilium. Quum autem unum hujuſmodi ens ſufficiens ſit; nullum eſt argumentum, quo plura ſtatui poſſunt.

II. Mundi gubernatio & ordo unicam ejus exiſtentiae & gubernationis cauſam indicant. Enim vero partes Mundi omnes, cum majores, tum minores, quantum ex iis, quam noſcimus, conjectare licet, ita conſtructae & ordinatae ſunt, ut & primae ac ſimplices ſuis finibus aptatiſſime reſpondeant, & fines illi unicum generalem & communem oſtendant: unicus autem finis unicam ejus cauſam intelligentem, & effectricem. Utitur hoc argumento acutiſſime S. Thomas. *Omnia enim, quae ſunt*, inquit, *inveniuntur eſſe ordinata ad invicem, dum quaedam quibuſdam deſerviunt. Quae autem diverſa ſunt, in unum ordinem non convenirent, niſi ab aliquo uno ordinarentur: melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa, quia* per ſe unius *unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſa unius niſi per accidens, in quantum ſcilicet ſunt aliquo modo unum. Quum igitur illud, quod eſt primum, ſit perfectiſſimum, & per ſe, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem ſit unum tantum: & hoc eſt Deus* (*a*).

III. Deus eſt Ens perfectiſſimum, ideſt undequaque infinitum (ex theor. 3.): natura autem Entis perfectiſſimi haec eſt, ut non habeat aequale. Nam ſi aequale illi poſueris, alterum altero limitabitur, ideſt deficient alteri infinitae alterius perfectiones. Ergo Ens perfectiſſimum non poteſt eſſe niſi unum. Eſt autem Deus ens perfectiſſimum; ergo unus eſt. Utitur & hoc argumento S. Thomas. *Oſtenſum eſt*, inquit, *quod Deus com-*

(a) *S. Tho.* 1. *part. qu.* 11. *art.* 3.

comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi . Si ergo eſſent plures dii , oporteret eos differre : aliquid ergo conveniret uni , quod non alteri , & ſic ille , in quo eſſet privatio , non eſſet ſimpliciter perfectus : ſi autem hoc eſſet , perfectio alteri eorum deeſſet . Impoſſibile eſt ergo eſſe plures Deos (*a*) .

IV. Deus exiſtit neceſſitate naturae ſuae ; ergo pugnat eſſe plures . Finge enim eſſe duos , quum non ſit neceſſarium exiſtere , niſi unum ens aeternum , & perfectiſſimum , intelligi poſſet alterutrum non neceſſario exiſtere ; id quod pugnat cum exiſtentia neceſſaria . Eſt hoc Samuelis Clarckii argumentum (*b*) .

Schol. Poteſt hoc theorema & gentium naturali quodam & communi ſenſu comprobari . Scilicet in tanta numinum Ethnicis cultorum copia unum ſemper eminentiſſimum utcumq; cognitum eſt . Demonſtraverunt id ex inſtituto Lactantius (*c*) Huetius (*d*) Petavius (*e*) Cudworthus (*f*) , aliique . Sane quicumque legerit Homerum , Heſiodum , Euripidem , Platonem , Ariſtotelem , Tullium , Senecam , Plutarchum , alioſque Gentiles Scriptores , agnoſcet perſpicue , illis Deum Principem , ac Patrem omnium unum tantum ſtatutum eſſe , cui additi ſint minores quidam alii . Ariſtoteles lib. de Republica 2. cap. 12. ſummopere Homerum commendat , quod Deus ab illo vocetur paſſim *πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε hominum Deumque pater* . Sed & recentes nationes , ipſi Americani , Afri , Indi , Sinenſes , ut ne quid dicam de Turcis , unicum ſupremum numen & regem adgnoſcunt . Huttentotti , quae gens nullo alterius nationis commercio unquam uſa eſt , ſummum hunc

(a) *Ibid.*
(b) *De Exiſt. & Attrib. Dei prop.* 7.
(c) *Lib.* 1. *Inſtit. Divinarum cap.* 6.
(d) *Lib.* 11. *Alnetanarum cap.* 2. §. 13.
(e) *De Deo lib.* 1. *cap.* 3.
(f) *In cap.* 4. *Syſtem. Intellect.*

Digitized by Google

hunc Deum intelligunt, etſi illi nullum offerant ſacrificium, nullas preces, quod, ajunt, quum beatiſſimus ſit, nulla re indiget: quod probant quaedam aliae Americae gentes. Sunt fortaſſis qui adverſus hoc argumentum opponunt, infinitam illam Deorum Dearumque turbam, quam Gentiles habuere, ut Heſiodus triginta millia Deorum memoraverit aetate ſua cultorum. Reſpondemus, numquam Gentiles, ſi plebeculam excipias, quae hac in re audienda non eſt, numina plura aequalia ſtatuiſſe & ſumma. Quod ſi plurima ſumma, & aequalia nominare videantur, ſunt illa nomina ejuſdem ſubſtantiae ex diverſis adſpectibus conſideratae. *Quoties voles* (ſunt verba Senecae lib. IV. de Beneficiis cap. 7.) *tibi licet aliter hunc Auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, & Mercurium noſtri putant . . . . Omnia ejuſdem Dei nomina ſunt varie utentis ſua poteſtate.* Eodem ferme modo loquitur maximus Gentilis in epiſt. quadam ad B. Auguſtinum, & Gentiles omnes apud Oroſium lib. VI. hiſtoriae cap. 7. Conſulatur Gerardus Joannes Voſſius in Theologia Gentili (*a*). Nempe populares illi Deos pene infinitos, naturalem unum eſſe docebant. Quocirca miror, Euſebium Ceſarienſem opinari potuiſſe, ſupremum Deum nemini ante Chriſtum, preterquam ſolis Hebraeis, innotuiſſe: ei enim opinioni non modo Gentiles, qui extant, verum etiam ipſe Paulus (b), aperte refragantur.

Scholion generale ad caput ſuperius.

1. PAucis complexi ſumus quae Dei exiſtentiam, & naturam ſpectant. Ea facillime ab iis, qui paullo perſpicaciores ſunt, copioſius deduci poſſunt.

(a) *Lib. 1. cap. 2.*
(b) *In capit. 1. Epiſtolae ad Rom*

Digitized by Google

Philoſophi tria genera argumentorum ad Dei exiſtentiam demonſtrandam adhibere ſolent, Philologica, Phyſica, Metaphyſica. Philologica praeter alios egregie pertractavit Jaquelotius in diſsert. de Exiſt. Dei. Phyſica Derham, & Niewentitius. Metaphyſica Cudworthus, Clarkius, Fenelonus, Wolfius, plerique alii.

2. Philologica deſumuntur ab hiſtoria humana, atque a conſenſu omnium Gentium. Primum, hiſtoria humana ſatis aperte demonſtrat genus humanum aliquando coepiſse. Antiqua hiſtoria ultra Ninum non aſsurgit: nam memoriae AEgyptiacae, Aſsyriae, Sinenſes, quae paullo vetuſtiores ſunt, manifeſtis fabulis revincuntur. Praeterea novitatem generis humani oſtendunt Civitatum exordia, exordia & incrementa Imperiorum, notatae primae origines artium, & ſcientiarum, aeque exiguae, & barbarae, a quibus veluti per gradus eo ventum eſt, quo nunc ſunt. Quoniam ergo conſtat, genus humanum initium habuiſse, id profecto nec ex nihilo eſt, nec ex bruta materia; ergo a ſummo aliquo Mundi conditore.

3. Jam vero nulla natio olim extitit, aut hodie exiſtit tam moribus efferata, ut Deum eſse, ſupremum univerſi conditorem, & gubernatorem, non conſtantiſſime & olim ſibi perſuaſerit, & nunc teneat. Barbarae ipſae Nationes nuper a noſtris Europaeis cognitae non ſolum ideam ſupremi cujuſdam Mundi conditoris, licet obſcuram, & confuſam, verum etiam externum cultum, & religionem habent, velut penitiſſimi Tartari, & Samojedae ad Oceanum glacialem ſiti: item Islandi, Groelandi, Septentrionales Americani: tum Miſſipenſes, Canadenſes, Mexicani: Peruani quoque & Chilinenſes. Jam Huttentotti, Caffari, Incolae Inſularum Madagaſcaris, Sumatrae, Borni, Javae, Moluccarum, Philippinarum, caeterique ad Orientem poſiti: nam de interioribus Aſiae populis, Indis citra ultraque Gangem, Sinenſibus, tum & Japonenſibus, nulli dubium eſse poteſt. Id autem conſtat ex perpetuis itinerariis noſtrorum. Omnes autem Gentes vel a natura ipſa in

hanc

Digitized by Google

hanc conſenſionem venerunt, vel a Deo ipſo eam hauſerunt doctrinam. Quocumque modo res ſe habeat, aut natura ipſa perſpicuum eſt Deum eſſe, quippe *conſenſus omnium Gentium naturae quaedam vox eſt*; aut doctrina eſt a Deo ipſa primis mortalibus tradita: nam phaenomini generalis item generalis ſit cauſa neceſſe eſt.

4. Quod ſi Gentes quaedam, paucae illae, & ignobiles, Deum ignorare repertae ſunt, quod quidam Auctores retulerunt, id etiamſi dare velimus, mirum tamen non eſt: quandoquidem ab humano commercio ſegregatae, ac vitae tantum intentae, in immanem illam ſtupiditatem pervenire potuerunt. Interim paucorum hominum ignoratio non poteſt conſenſum caeterorum omnium minus validum efficere. Sed ne relationes quidem illae verae eſſe poſſunt: proficiſcuntur enim ab iis viatoribus, qui Gentes, quarum barbariem narrant, vix de facie cognoverant. Ac vero qui cum iis Gentibus diutius verſati ſunt oppoſitum retulerunt. Incolas Capitis bonae ſpei Atheos eſſe primi viatores vulgaverant, quod falſum repertum eſt, poſtquam cum ea Natione Europaei commercia agitare coeperunt. Videri poteſt deſcriptio Capitis bonae ſpei Andreae Kolbi.

5. Athei vero quidam Philoſophi, qui feruntur, aut ex animo non fuerunt, quum ſit impoſſibile delere ex animo hominum, qui non penitus oculis ſint capti, notionem primae rerum omnium cauſae; aut ſi ex animo fuerunt, nulla eſt eorum ratio habenda: alioquin ſi res naturae ex furioſorum hominum judicio eſſent explicandae, nullum eſſet abſurdum, quod non auctoritate alicujus Philoſophi confirmari poſſet. Nec vero putandum eſt, omnes eos Philoſophos, qui feruntur, Atheos fuiſſe. Plures enim in eum cenſum relati ſunt, quod popularem ſuperſtitionem riderent. Clemens Alexandrinus negat, veteres illos Philoſophos; Anaxagoram, Protagoram, Diodorum, Evehemerum, qui a Graecis Athei habiti fuerant, Atheos fuiſſe, putatque idcirco inter Atheos fuiſſe connumeratos, quod unum Deum omnium

conditorem & conſervatorem intelligentes, popularia numina ſpernerent. Et vero ob eandem cauſam primi Chriſtiani Athei habiti fuerunt, ut nos docent Juſtinus Martyr, Arnobius, Minutius Felix; quod ſcilicet nec Templa ulla haberent, nec populares Deos colerent. Judaei, *quod unum numen, & ſola mente colerent*, ut loquitur Tacitus, inter Pantheiſtas imperitiſſime retulit Strabo geographus.

6. Argumentis philologicis accedunt argumenta phyſica. Ea deſumuntur ex ordine, ſtructura, finibus, motibus Univerſi. Immenſa eſt haec Provincia, latumque diſſerendi campum ſuppeditat. Nos unum aut alterum hinc deſumptum argumentum attingemus: Tyrones enim in Theologia naturali inſtituendos ſuſcepimus. Primum magna haec Univerſi machina tot parvis machinulis confecta eſt, quae ordine admirabili compactae ſunt, & conſervantur, unumque perfectum, & harmonicum conficiunt, ut niſi ſapientiſſima quaedam, & potentiſſima cauſa partes ejus omnes ordinaret, contineret, moveret, procuIdubio in chaos abirent confuſum, quum nulla machinularum ſit ex infinitis, quibus conſtat Mundus, quae non poſſit infinitis aliis modis cum aliis colligari, infinitiſque aliis modis modificari. Nec reſponderi juvat, mechanica temperatione virium Univerſi, aut centripetarum, & centrifugarum, aut aliarum, potuiſſe tandem aliquando tantam machinationem exiſtere, poſſeque nunc conſervari. Nam primum quum vires iſtae varias habeant determinationes in variis Univerſi globis; aperte intelligitur, non ſuae naturae neceſſitate mechanica, ſed vi & ſapientia extrinſecae cauſae intelligentis haec omnia, & ex perfecta ratione moderantis, coaluiſſe, & ſtare. Deinde hujuſmodi vires dum in perpetuo aliae cum aliis conflictu ſunt, quod eſt neceſſarium in motibus circularibus, ideſt compoſitis, neceſſe eſt earum quantitatem imminui, & directionem paullatim mutari, niſi perpetua manu reſtauratrice gubernentur, quod ſaepe agnoſcit Newtonus omnium mortalium in his rebus exercitatiſſimus.

7. Prae-

Digitized by Google

7. Praeterea ſingulae partes Univerſi ſuis & ipſe partibus ordinatiſſimis conſtant, quarum aliae aliis ſerviunt, ut arte ſumma ita factae, & ordinatae clare videantur. Ex. gr. in machina humana infinitae pene ſunt partes affabre inter ſe contextae, quarum quaelibet ſuum habet finem, & ad quem factam eſſe aperte intelligimus, omnes vero communem unum. Univerſa hominis machina temperata eſt ad vitam humanam efficiendam, & conſervandam: is eſt omnium partium, quibus ea conſtat, communis finis. Itaque omnes ejus partes ita conſtructae, & diſpoſitae ſunt, ut hanc vitam conficere, & conſervare poſſint. Nempe homo vivere nequit niſi anima, quae vitae eſt principium, omnes corporis partes ordinatiſſime moveat. Ut vero motiones iſtae ordinate fiant, neceſſe eſt, ut ſingulae hominis partes ad motus ſuos aptae ſint, atque ita aliae cum aliis contextae, ut motus ſuos aptiſſime continuare poſſint. Jam ita diſpoſitae ſunt, ut nihil aptius, & conſonantius excogitari poſſit. Nervi totam machinae harmoniam, & ſtructuram faciunt, ac continent, iique omnes ex uno fonte, ideſt cerebro, derivantur. Venae, & arteriae, aliaque vaſa ductandis liquoribus per totam machinam aptata ſunt: Singulis prope partibus tributi ſunt muſculi, & fibrae motibus conficiendis conſentanei, veluti totius machinae elateres quidam. Oſſa machinam ſuſtinent ne collabatur. Ne vero motibus officiant non uno continuo corpore continentur, ſed in partes ſecta ſunt, ac ligamentis conjuncta. Oculi, aures, & alia organa ſenſoria excipiendis impreſſionibus rerum externarum facta ſunt idonea. Cor impellendo ſanguini aptum: pulmones aeri excipiendo: ventriculus excipiendis, & concoquendis cibis: Lien & Jecur bili praeparandae, quae imprimis digeſſioni neceſſaria eſt. Tum aptata inteſtina ad excernenda ſuperflua nutrioni. His vero partibus infinitae aliae minores ac minores inſerviunt, ut nulla omnino ſit in corpore humano pars, quae non ad communem vitae finem ſpectet. Ac idem conſtat de omnibus individuis viventibus, brutis, plan-

tis, herbis. Coecus autem ſit oportet, qui non videat, totam hanc rem ſine cura ſapientiſſimi Numinis fieri non poſſe. Sed omnino legendi ſunt Niewintit, & Derham, qui copioſiſſime hanc rem explicant.

8. Quibus ex rebus patet quam a tota ratione aberraverint ii, qui aut ſibi perſuaſere imperitiſſime, aut aliis impudenter perſuadere voluerunt, Dei exiſtentiam nullis poſſe naturae rationibus demonſtrari. Imprimis autem ii commemorandi ſunt Philoſophi (quamquam ego Philoſophos non dixerim, quum totam dehoneſtaverint Philoſophiam ineptis argutiolis), qui exiſtentiam Dei demonſtrari e rerum natura non poſſe crediderunt, niſi naturae totius motus aeternus conſtituatur. AEternus, inquiunt, tantum motus aeternum Motorem demonſtrat. Quod quum chriſtiana dogmata vetent dicere, id collegerunt, fide tantum Chriſtiana credi Deum eſſe, ratione naturae neſciri. Ita totam chriſtianam Philoſophiam in fanatiſmum converterunt. Niſi enim omnibus natura ipſa conſtet Deum eſſe, rerumque omnium procurationem habere, quae dicitur *divina doctrina*, niſi is, qui a Deo accepere, nemini alteri divina haberi poteſt. Nam eum ne loquutum dicas, quem eſſe ignoras? Ita effecere ut nec acuti Philoſophi, nec boni chriſtiani viderentur. Invaluit haec opinio circa exitum XVI. Saeculi in Patavino Lyceo. Primus illam vulgaſſe videtur Jacobus Zabarella: mox excepit, ac pervulgavit Berigardus. Ac Zabarellae librum de primo Motore, in quo portentoſam illam doctrinam tutatur, pluries editum teſtificatur Berigardus. Berigardi autem opus de *Circulo Piſano* eruditorum nemini ignotum eſſe poteſt. Eſt qui ſuſpicatur Zabarellae judicium diu ante B. Thomae Aquinati in mentem juveni adhuc veniſſe. Nam in primo *contra gentes* libro argumento a motu ita Deum eſſe demonſtrat, ut non conſectaria modo, ſed principia quoque omnia ejus argumenti ab Ariſtotele excipiat, quem conſtat ex motu aeterno aeternum Motorem demonſtraſſe. Ego non affirmaverim, quamquam ſcio aequo nimius Ariſtotelis prin-

Digitized by Google

principia eo in loco Thomam provexiſſe. Nempe exploratum eſt, Philoſophos iſtos Peripateticos, quo Chriſtiani eſſent, & Ariſtotelii, raro principiis Philoſophiae, quam profitebantur, conſentanee argumentatos: alioquin adoptato ſemel Ariſtotelicae Scholae ſyſtemate, & Naturam cum Deo miſcere debebant, & ſempiternum mundum conſtituere, & mentes humanas vires corporis minime ab illo ſeparabiles, & naturae fatum, ac ſimilia, quae adeo cum tota Ariſtotelis doctrina ſunt connexa, ut preturbari illam funditus neceſſe ſit, ubi haec reſcindi velint. Itaque qui Ariſtoteli adhaeſere tenacius, & Mundum cum Deo perturbarunt, velut David a divinando, forte etiam Abaelardus, & ſemper Mundum fuiſſe opinati ſunt, ut Caeſalpinus, & animas eſſe debere corporeas ex Ariſtotelis ſyſtemate, ut Pomponatius, Cremoninus, Zabarella idem, aliique *Alexandreorum*, ut dicebantur, quod in eo Alexandrum Aphrodiſeum ſectarentur: & fatum in natura agnoverunt, ut plures alii, quorum ego nomini parcendum nunc puto.

AP-

APPENDIX
AD CAPUT SUPERIUS

In qua de Dei natura uberius diſſeritur.

§. I. NIhil eſt ex quo conjicere non liceat eſſe Deum. Nam ſeu Nationum mirificum hac in re conſenſum animadvertamus, intelligimus vocem quandam naturae eſſe, quae non fallitur: ſeu intueamur motiones mundanas, earumque ordinem conſtantiſſimum, & ſtatim ſe nobis offert, aeternus quidam ſapientiſſimae mentis motor: ſeu perpendamus rerum generationes, vegetationes, ſenſum, mentem, & perſentiſcimus, fieri non poſſe, quin ſit prima quaedam cauſa, quae vim, animam, mentem Univerſi partibus largiatur: ſeu tandem ſingularum rerum prorſus mirabilem ſtructuram, ac infinitarum numero partium ordines fineſque contemplemur, deprehendimus aperte ſuprema cujuſdem mentis providentia & conſilio eſſe omnia conformata. Praeclare ergo Tertullianus, (*lib.* I. *contra Marcionem cap.* I.) *habet*, inquit, *Deus teſtimonia totum hoc quod ſumus, & in quo ſumus*. Sed haec argumenta quae in ſuperiori capite velut in tranſitu indigitata ſunt, accuratius uberiuſque ſunt hic pertractanda (*a*).

Conſenſus omnium gentium Deum eſſe demonſtrat.

§. 2. AC quod ſpectat ad primum, praeclare illud exhibuit Cudworthus cap. IV. Syſte-

(a) *Vide Sylvanum Regis Uſage de la Rayſon & de la foy lib.* 2. *part.* I. *cap.* 7., *Petavium de Deo*, *Cudvvortum cap.* IV. *ſyſtem. Intellect.*, *Samuelem Clarkium in opere de exiſtentia & attributis Dei*, *Derham in Theologia phyſica*, *Nievventitium de exiſtentia & attribut. Dei &c. Jaquelotium &c.*

Digitized by Google

ſtematis intellectualis. Hoc autem argumentum eſt hujuſmodi. Omnes gentes ab hominum memoria aliquem eſſe rerum omnium opificem ac patrem, & olim conſtantiſſime tenuerunt, & nunc tenent. Ejus conſenſionis teſtes ſunt apud Veteres Plato (*a*), Ariſtoteles (*b*), Cicero (*c*), Diodorus Siculus (*d*), Seneca (*e*), Sextus Empyricus (*f*), Dio Chryſoſtomus (*g*). Quod pertinet ad praeſentes nationes, teſtatiſſimum id faciunt ii omnes, qui de praeſenti rerum humanarum ſtatu ſcripſerunt, teſtes magna ex parte oculati & docti. Quoniam igitur omnibus locis, atque omnibus temporibus ſupremum aliquod in natura numen creditum eſt, id habeat cauſam univerſalem neceſſe eſt: quae non poteſt eſſe alia, niſi aut primi alicujus hominis traditio, aut manifeſta naturae vox. *Nam nemo omnes: omnes neminem: ſinguli ſingulos fallunt*, inquit eleganter Seneca. Itaque hoc argumentum non eſt, quemadmodum cenſent Parckerus, & Baelius, contemnendum. Nam ſeu dicamus ex uno communi fonte eam doctrinam derivatam eſſe, ideſt a primo quodam generis humani parente & propagatore, & eſt argumentum certiſſimum, coepiſſe aliquando homines, ac proinde originem hunc Mundum habere, quod eſse nequit, niſi a potentiſſima aliqua & intelligentiſſima cauſa. Seu dicamus deprompram eam eſse ex aſpectu Mundi, & argumentum idem eſt perſpicuum, Deum eſse: quod enim clare & evidenter omnibus videtur, non poteſt id non eſse verum. Quoniam ergo tam longe lateque diffuſae conſenſionis aequae patens cauſa ſit, neceſse eſt; nec alia eſse poſſit prae-

(a) *De legib. lib.* x.
(b) *De Coelo lib.* 1. *cap.* 3.
(c) *Lib.* 1. *de Nat. Deor.*
(d) *Lib.* 12.
(e) *Ep.* 117.
(f) *In lib.* 8. *adverſus Mathematicos*.
(g) *Orat.* 12.

Digitized by Google

praeter eas, quas recenſuimus; earum vero altera poſita, Deum eſse neceſsario conficitur; Deum ergo eſse perſpicuum eſt.

§. 3. Duo adverſus hoc argumentum poſt Ciceronem (*a*) opponunt recentes quoque Athei, aut potius qui ſtulte Athei videri volunt. Pimum, plurimas fuiſſe apud veteres, plurimas quoque eſſe hodie nationes, quae in maxima Dei ignoratione aut vixerunt, aut etiamnum vivunt. Atheos appellat Strabo Geographus AEthiopes quoſdam, Callaicos Hiſpaniae populos, & antiquos Seres. Confidentius Euſebius Caeſarienſis in prioribus Praeparationis Evangelicae libris contendit, praeter Solem, Lunam, Aſtra, homines, aliaſque naturae corporeae partes, nullum praeterea aliud numen gentes ad unam omnes ante natum Chriſtum agnoviſſe, Hebraeis exceptis. Accedit eodem, quod vetuſtae ferme omnes gentes plura numina aequalia coluerint, ut ſi ſuperius argumentum quidquam valet, conficiantur etiam plures eſſe Deos. Jam noſtris temporibus, Caffri Incolae capitis bonae ſpei, & Huttentotti, populi quidam Borni, Canadenſium plerique, atque omnes ad unum ferini Americani, Deos ignorant, quod ipſe agnoſcit eruditus Huetius (*b*): qui praeterea quum in demonſtratione Evangelica omnes Deos Deaſque quacumque patet Tellus ex Moſe & Sephora expreſſos fuiſſe demonſtrare nititur, eadem opera humanam eſſe & callidam impoſturam Deorum opinionem oſtendit (*c*). Americus Veſpuccius de Americanis quibuſdam ſic ſcripſit, *exleges ſunt, ab jure extorres, templa nec habent, minuſque idola colunt*. (*d*) Georgius Hornius de Americanis quibuſdam hor-

(a) *Lib.* 1. *de Nat. Deor*,

(b) *Lib.* 2. *quaeſt. Alnetanarum cap.* 1.

(c) *Apud Rainaldum in Annalib. Eccleſiaſt. ad annum* 1510.

(d) *In Hiſt. Univerſali pag.* 462. *edit.* 1666. *Lugduno Batanae*.

horrenda haec habet. *In Valle Nova, quae Popajanam adſita eſt, capiunt hoſtium ſuorum ſoeminas, & prolis cauſa domi alunt, quam vix editam devorant ...... Haec jam exempla omnem barbariem exhauſerunt. Tamen reſtant alii juxta Ilheos in Braſilia, quos tum deſcribam, ubi ſupra immanitatem vox reperta fuerit. Hi cum Aymuris bellum gerunt. Praegnantium ventres aperiunt, ac immaturos foetus extractos, ſtatim ſpectantibus parentibus ſemicrudos & ſemivivos deglutiunt.* Hos Deum vel ſuſpicari cenſebimus?

§. 4. Alterum, quod eidem argumento reponunt, eſt, quod multi fuerunt Philoſophi, non in Graecia modo, & in Latio, ſed inter ipſos Chriſtianos, tum & inter Muhammedanos, qui Atheiſmum profeſſi ſunt, quorum hiſtoriam collegerunt Samuel Parckerus diſput.1. de Deo, Buddeus cap. 1. de Atheiſmo & ſuperſtitione, & recentiſſime Reimannus *in hiſtoria Atheiſmi*. Hinc concludunt, verum non eſse principium illud, quo tota ſuperior argumentatio nitebatur, conſenſione omnium gentium, Deum eſse, firmari. Addunt, notitiam Dei proficiſci potuiſse, aut ab aſtutis legislatoribus, quo in obſequio populos continerent; aut ex timore phaenomenorum aeris. Ita Horatius (a),

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiae
Conſultus erro, nunc retrorſum,
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos: namque Dieſpiter
Igne coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Et Petronius Arbiter in Satyrico,

Primus in Orbe Deos fecit timor, ardua Coelo
Fulmina quum caderent .....

Quid, quod Johannes Baptiſta Vicus in Scientia nova pri-

(a) *Lib.* 1. *Ode* 34.

Digitized by Google

primam in gentibus Dei notionem e tonitru natam opinatur?

§. 5. His autem, quae partim ſeveriori Philoſopho indigna ſunt, partim manifeſto falsa, binis ferme verbis reſponderi poteſt: ſed nos paullo longiores erimus, quo tota ea res luculentius explicetur. Ac primum, quod ſpectat ad nationes Atheas, ſeu ad Atheos *negativos*, ut vocant, nullis certis argumentis demonſtrari poteſt, eos unquam extitiſse, aut nunc exiſtere. Nam quae referuntur de Veteribus, partim incerta Auctoribus ipſis habentur, quippe qui iis Hiſtoricorum locutionibus utuntur, quas illi adhibent in rebus dubiis, *dicitur*, *fertur*, *fama eſt* (*a*): partim ex praejudicio originem habuerunt. Hiſtorici nempe Graeci & Latini dum Africanas aut Aſianas quaſdam nationes inviſerent, nec templa, nec idola, nec immenſum externarum ceremoniarum apparatum habere animadverterent, quippe quae antiquo more ſub dio & nude Deo ſacrificarent, quemadmodum de vetuſtis Parthis retulit Herodotus, in eam venerunt ſuſpicionem, nullos ab iis Deos coli. Aſsueti enim religioni omnimoda ſuperſtitione onuſtae, vix ſibi perſuadere poterant, gentes illas ſimpliciores, quaeque fortaſſis *ex naturae formula* Deum adorabant, quod in Latinis deſiderabat Varro (*b*), ullos habere Deos. Quid quod iidem Hiſtorici idem fecerunt cum Judaeis & Chriſtianis? Nam Strabo idem rotunde ſcribit (*c*), Judaeos rerum univerſitatem Deum agnoſcere, qua re nihil inſcitius ſcribi potuit: Juvenalis Coelum & nubes (*d*): Primos Chriſtianos Atheos vocabant Ethnici, eandem ſcilicet ob rationem, id quod diſcimus ex Juſtino, Tertulliano, Minutio Felice,

(a) *Strabo lib. 3. Geog.* Ενια δέ τὺς Καλλαίκους ἀθέους φάσι c. *de Callaicis quidam perhibent eſſe Atheos.*
(*b*) *Apud Aug. de Civit.*
(c) *In Geograph. lib.* XVI.
(d) *Juvenalis Vide & Maxi.*

ce, Arnobio in ſuis Apologeticis adverſus Gentes. Quod ſi tam turpiter hallucinati ſunt in earum gentium religione deſcribenda, quibuscum familiariter verſabantur, accuratiores eſſe non potuere in earum enarranda, quas vix nomine tenus inaudiverant.

§. 6. De recentibus nationibus idem dictum volo. Ac vero nemo hodie dubitat, veteres mercatores, aut ignoratione morum earum gentium, de quibus ſcribunt, aut ut pratium ſuis itinerariis captarent, portentoſas hujuſmodi fabellas evulgaſſe, quas avide, novitatis amore ut fit, caeteri deinceps Scriptores arripuere. Enim vero Cafri, quos primi Viatores Atheos fecere, magna ex parte ſunt idololatrae, non parva etiam Muhammedani (*a*). Huttentotti, qui partem occidentalem capitis bonae ſpei incolunt, & ſupremum Deum agnoſcunt, & minores alios habent, ut teſtificatur Andreas Kolbi in hiſtoria ejus nationis, in qua per plures annos familiariter eſt commoratus. Quinimmo gens nulla ex hominum memoria aliarum gentium commercio erudita, binas tenaciſſime traditiones retinet, Adamitici peccati, & Diluvii; ut agnoſcere poſſimus ex uno omnes ſtipite nationes profectas, originemque habere hominum genus, nec niſi divinam. Jam idem conſtat de Inſulis omnibus, quae per Eoum Oceanum diſſeminatae ſunt: ſcilicet idololatrae ſunt: falſas habent Religiones; ſed habent tamen. Ac quod potiſſimum eſt, inter tantam Deorum turbam, ſupremam mentem mundi opificem agnoſcunt, quamquam cultum, qui illi tantum debetur, partiuntur in plures. Nec aliud conſtat de Americanis ipſis efferationibus, in quibus nec potentiſſimae mundi cauſae notio penitus deleta eſt, & juſti, ac honeſti principia quaenam ineſſe ſcimus (*b*). Moribus quidem haec omnia mirifice depravata ſunt: ſed ſunt

---

(a) *Andreas Kolbi in deſcript. capitis bonae ſpei.*

(b) *Vide deſcriptionem Ludovicianae voiages au Nort tom. 5.*

Digitized by Google

ſunt tamen. Quinimo virtutes quaſdam exercent tanto inter nos minus notas, quanto cultiores. Id quod quum ex aliis multis, tum nuper intellecti ex ea hiſtoria, quae de tentamine Freti Hudſoni ſcripſit Ellis. (a) Quid quod hiſtoriae creationis Mundi, peccati Adamitici, Caini, diluvii, aliarumque, ita ut habemus in libris Hebraicis, meminere (b).

§. 7. Quod ſi tantiſper concedamus, ex efferatis quibuſdam parentibus progeniem alicubi natam efferatiorem, religionis & juris negligentem, id efficere nullo modo poteſt, ut nullum habeat pondus prior noſtra ratio, niſi adeo ſtupidi ſimus, ut paucorum feritatem communi caeterorum hominum ſenſui praejudicium facere poſſe putemus. Nam quod de moribus quorundam populorum quidam juxta ac Hornius retulerunt, id partim declamatorio more exornatum eſt, partim impar eſt ad rem, de qua agunt, adſtruendam: de opinione enim hic diſſerimus, non de moribus; alioquin in cultiſſimis quoque Regionibus, in quibus & pietas eſt & religio, ac de utraque ingentia perpetuo cuduntur volumina, ſimilia flagitia plurima audiuntur. Quid, queſo, Andropophagi a vetuſtis Romanis diſtare putabimus? Niſi fortaſſe hoc, quod illi manibus & dentibus hoſtes dilaceraverint, hi ferro, & igne vaſtaverint, tanto ferociores, quanto non ſingulos ſinguli, ſed totas nationes ſtirpitus ſubverterunt. Unus Cajus Julius Caeſar exemplo ſit, qui in bello Gallico plus quam decem miriades interfecit, totidemque venundedit mancipia, quod ſubiratus animadvertit Plinius (c). Mitto autem hoc in loco ſingularem Euſebii opinionem: in ea enim, niſi plebem ſpectet, manifeſte falſus eſt. Nam Patrem *hominumque Divumque*, eumque *totum animum*, *totum animi*, ut loquitur Plinius, praeterea incorporeum & immor-

(a) *Henricus Ellis.*
(b) *Vide voyages au Nort. tom. 5. Relation de Miſſipi.*
(c) *Lib. VII. cap. 25. Baelius in Diction. Art. Caeſar.*

Digitized by Google

mortalem, omnes, quacumque Graecorum, & Latinorum imperium patuit, gentes agnoverunt, agnoſcuntque hodie Perſae, Indi, Sinenſes, Japonenſes. Non repugno admixta cum hac notione, quae nequeunt non eam corrumpere, totamque Dei naturam evertere. At ſi ſemel conſtituamus inter Atheos eos referre, qui nec plene, nec ut Dei perfectiſſimam naturam decet, de Deo opinantur, aut loquuntur, quum ſit ſuprema illa natura incomprehenſibilis, *ignoreturque melius, quam ſciatur*, ut Auguſtinus loquitur, nimium ac ſtulte Atheorum hiſtoriam augebimus. Quamquam eſt id cauſae Atheorum alienum. Non enim hoc in loco quaerimus, quam recte homines de Deo ſentiant, ſed ſentiant quidquam, nec ne. Quum poſtremum hoc conſtet inter omnes, idque aut natura, ut diximus, duce, aut primi alicujus inſtitutione; invictum eſt argumentum, cur Deum eſſe credamus.

§. 8. Jam illud perridiculum eſt & ineptiſſimum, ex aſtutia Legiſlatorum, aut aeris phaenomenis, primum inter homines Dei notionem informatam. Id enim ſi eſſet, vetuſtiſſimae nationes ad unam omnes ſine religione fuiſſent, eoque magis, quo vetuſtiores. Quum nunc contra, nationes omnes, quo primis mundi cunabulis viciniores, eo magis religioſae fuiſſe comperiantur; quod ii ignorare poſſunt, qui in antiqua hiſtoria omnino ſunt hoſpites. Prima gentium omnium memorata hiſtoricis aetas Deorum perhibetur, imperio civili, ac Legislatoribus omnibus antiquior. Nulla natio AEgyptiis & Chaldaeis vetuſtior habetur, nec ulla religioſior, ſeu potius ſuperſtitioſior. Ac in reliquiis veterum gentium hiſtoriae nihil religione antiquius occurrit. Livius perſpecte: *datur haec venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat*: nam nulla gens in ſocietatem ſine Deo & religione coaluit, nullaque non ab aliquo Deo non modo ſui tutelari, ſed parente & fundatore auſpicata eſt. Quamquam quae exempla ſuſpicionis ſuae proferunt Athei noſtri? Licurgi puto, Minois, Numae: quibus

Digitized by Google

tamen omnibus antiquiores ſunt poetae Theologi, Orpheus, Linus, Homerus, Heſiodus, qui Theogonias ſcripſere. Prudenter igitur, non mendaciter, Legislatores egerunt, qui religione uſi ſunt pro fulcro Reipublicae: quandoquidem nullum eſſe poteſt majus ut affectuum frenum, ita ſocietatis vinculum, quam religio. Quod autem ajunt de aëris phenomenis, iiſdem argumentis refellitur: nam nullum tempus conſtituere nobis poſſunt, quo inter homines ex tonitru Dei notio ſit excitata. Quamquam ne fieri quidem potuiſſet, ut omnes, quacumque patet Tellus, ex tonitru in unam eandemque notionem venirent, niſi informatam animo quamcumque Dei notitiam haberent. Accedit, quod ſi commentitia tantum haec notio fuiſſet, vix potuiſſet eſſe diuturna: *commenta enim delet dies, veritatem confirmat.* Similis fuiſſet ranuncularum Deo, quod eſt in AEſopicis fabellis. Sed demus (videant quam liberaliter agamus) barbaros homines tonitru excitatos fuiſſe, ut Deum imaginarentur quemdam potentiſſimum naturae rerum praeeſſe, quid Atheorum cauſae accedet? Non plus, quam ſi dicamus, homines ex mundi aſpectu duci ad Deum intelligendum & contemplandum. In quo ſi omnes conſenſerunt, argumentum eſt veri.

§. 9. Veniamus ad Atheos ſecundi generis, ideſt theoreticos, ſaltem Scepticos, qui quum in religione nati & educati eſsent, gigantum in morem, in eo colluctati diu eſse videntur, ut ex animo extirparent pietatem, quam in eo impreſserat natura ipſa; nam fuiſse hujuſmodi aliquos, aut nunc etiam eſse, ſaltem, ut dixi, Scepticos, non negamus. Principio pauciores hujuſmodi ſunt, quam eſse feruntur. Nam Graecorum ii Philoſophi, qui populares Deos contemſerunt, aut omnes, aut aliquos, Athei habiti ſunt, quamquam de ſupremo Mundi opifice nihil dubitarent, veluti Anaxagoras, Socrates, Protagoras, Ariſtoteles, Evehemerus, quemadmodum praeclarè obſervat Clemens Alexandrinus. Tu ne Anaxagoram, qui diſerte mundum a perfectiſſima mente fabricatum docuit, in-

ter

ter Atheos referes, quod Solem ex Deorum Canone abraſerit? Evehemerum, quod Deorum Graeciae popularium ortum, & ſepulchra indicaverit? Sed ne Democritiços quidem & Epicureos inter manifeſtarios Atheos retulerim, etſi minus recte de Deo ſenſerint, cui mundi procurationem abſtulerunt. Nam aliud eſt, ut dixi, non rectas de Deo habere ſententias, aliud funditus auferre. Tota certe vetus hiſtoria agnitos a Democrito & Epicuro Deos perhibet, ut conjecturae potius illae ſint Ciceronis & Plutarchi, voce illis Deos poſitos, re ſublatos, quod populi judicium vererentur. Quid, quod Epicurei (tanta eſt naturae vis!) tantum abeſt ut religionem omnem contemnerent, ut potius *omnia ſigilla venerarentur* (*a*), quod tradit Cicero in primo de Natura Deorum. Ii ipſi, qui magis impii inter Graecos habiti ſunt, quum quid adverſi accideret; aut aetas ingraveſceret, tum tandem Deum agnoſcebant, quod notatum Platoni. Praeclarum eſt quod narrat Laertius in Bione. Hic a Theodoro Atheo inſtitutus erat. Quum autem in malam valetudinem incidiſſet non ſolum palinodiam recinit, ſed nullam ſuperſtitionem adſpernatus eſt. Idem dictum volo de iis, qui inter Chriſtianos, Muhammedanos, Sinenſes, Athei recenſentur. Scilicet pleriſque, qui fortaſſe ex naturali tantum ratione religionem metiebantur, externaſque ceremonias negligebant; a viris minus perſpicacibus facilè impoſitum eſt. Plerique vero alii affectibus ſubagitati effecere, ut rerum ſcriptores ex animo magis eorum, ideſt ex affectibus, quam ex mente & ratione de eorum religione cenſerent. Qui ſuperſunt, quos nihil defendat, vereor ut ſibi ex animo perſuaſerint, nullum eſſe Deum: mihi enim ſic videtur, hanc notionem deleri ex animo non poſſe, niſi tota extirpata ratione.

(a) *Locus Tullii eſt*: novi ego Epicureos omnia ſigilla venerantes. Venerantes *autem cum Manutio lego, non* numerantes, *ut vulgari codices habent*.

§. 10. Deinde demus fuiſſe pauculos, quantula ii pars ſunt generis humani, ut conſenſionem omnium hominum, omniumque temporum, nec plebis modo, ſed eruditiſſimorum & doctiſſimorum, in dubium revocare poſſint? Praeſertim quum iſti, quod Baconus animadvertit, ex eorum fere ſint numero, qui vix primis labiis ſublimes diſciplinas deguſtaverunt. Preterquamquod ipſis caeteri omnes credere debemus, ut ab ea perſuaſione dimoveamur, an eorum rationibus adduci? Primum indicium eſſet magnae ſtoliditatis, paucorum auctoritatem, auctoritati omnium, aut doctiorum, aut (agam liberaliter) aequae doctorum, praeferre. Rationes vero, quas effutire ſolent, omnes ex brevitate mentis humanae proficiſcuntur, ſuntque partim deridiculae, partim paralogiſmi.

§. 11. Ac vero hunc omnes Atheorum concluſiunculae, quas copioſe Cudworthus retulit, redeunt. Primum quod quaedam de natura divina praedicentur, quae in eadem re non videntur poſſe componi, ut eſſe eum immutabilem & liberum, immenſum, nec extenſum ac diviſibilem, & quae ſunt ejuſdem generis. Deinde quod intelligi non poſſit, unde ſint tot mala, ſi Deus ſit: nam quum ſit ille omniſcius, omnipotens, optimus, qui ſciat, poſſit, & velit mala auferre, videtur aut ille non eſſe, ubi haec ſunt, aut nullam rerum humanarum habere procurationem. Tandem quum Deus ſit immenſus, materiam omnem permeet, neceſſe eſt. Eſt autem totus actio, & quidem ut neceſſario exiſtens, ita neceſſaria actio; totum ergo mundum neceſſario pervadit. Ita fit ut mundus tandem ſit Deus, ex immenſo corpore, immenſaque mente conflatus. Huc, inquam, Atheorum omnes argutatiunculae conferri poſſunt, ſaltem praecipuae. Nam pleraeque aliae, quas Cudworthus protulit, vix ſunt dignae anicularum lucubratione.

§. 12. Sed haec talia ſunt, ut perſpicuum ſit, ex defectu adaequatarum Dei, finiumque univerſi idearum naſci omnia, atque idcirco adverſus perſpicuas rationes

nul-

Digitized by Google

nullum habere pondus. Nam tum demum haec, quae ego *negativa argumenta* vocare ſoleo, locum habere poſſent, quum nullae rationes ſuppeterent, quibus Dei natura adſtruitur. Nunc autem quum tot adſint, eaeque clariſſimae, ut mox oſtendemus, turpe eſt ex iis, quae non intelligimus, ea velle oppugnare, quae ſunt manifeſta. Quamquam ne pugnare quidem illa videntur, quae iſti opponunt, ſi accurata ratione perpendantur. Nam, ut id paucis demonſtrem, non video quid repugnet, naturam *immutabilem* eſſe, ſimul tamen & *liberam*: ſcilicet non mihi videntur hujuſmodi homines juſtam libertatis notionem ſibi informaſſe. Mihi potentia, quae ratione regitur, tanto videtur liberior, quanto minus errori, haeſitationi, ac propterea mutationi obnoxia. Atque in hoc Deum liberrimum eſſe dico. Non ille externo fato ſubjicitur: nec aut praejudicatis opinionibus, aut mentis brevitate & imbecillitate, aut affectibus tranſverſum agitur, ut voluntates ſuas emendare cogatur. Sui juris eſt; a ratione tantum ſua movetur. Eadem illa ſemper: idem ille ſemper. Itaque immutabilis ſimul & liberrimus. Nam ſi quidquam prima illa Atheorum concluſio valet, videant quo prorepent: efficitur enim hominum ſtultiores, quippe qui ſaepius conſilia mutant, magis etiam eſſe liberos, minus ſapientes, quorum hoc proprium conſtituit Seneca, *idem ſemper velle*, *idem nolle*. Sed in eo ſunt perridiculi, quod de natura humana, fortaſſis etiam ſua, caetera metiri ſtudent.

§. 13. Eodem modo, non pugnat, omniſcium eſſe Deum, omnipotentem, optimum, eſſe ſimul & mala, quae dicuntur. Nam haec, quae, ut dixi, dicuntur mala, ex noſtri ſenſu & utilitate talia aeſtimantur, non ex finium univerſi ratione; nec pugnare cum Dei bonitate poſſunt, niſi ſi eadem opera dicamus, totam rerum univerſitatem unius hominis ergo, quae noſtra eſt arrogantia, adornatam eſſe. Quid ſi haec, quae vocantur mala, vero hominis fini conſentanea ſint? Quid ſi divinae ſapientiae regulae exigebant, ut haec eſſent? etiam tum cum Dei bonitate pugnabunt? Nam mala,

Digitized by Google

quae *moralia* appellantur, ut ne eſſent, Deus aut non poteſt, aut non debet, quemadmodum inferius explicaturi ſumus. Ut vero ne eſſent mala phyſica, quae moralium ſunt emendationes, ipſa Dei prohibet bonitas, ac in genus humanum benevolentia. Sed tota haec res paulo poſt diſputabitur.

§. 14. Jam illud ineptiſſimum eſt, incorpoream rem non poſſe eſſe immenſam ſimul & indiviſibilem, quum nobiliores Philoſophi nos doceant, ſpatium vacuum & immenſum eſſe, & ſimplex atque indiviſibile. Sed qui, inquiunt, immenſus Deus & inextenſus? Nempe quia totus mens, in qua nihil coagmentatum eſt & duplex. Quod autem pervadit Deus omnia, ſeu potius continet; qua ratione παντοκράτορα illum appellamus, id efficere nequit, ut ſit materiae & mundi vis genitalis, & anima. Primum non eſt ille extenſus corporum inſtar, ut miſceri & penetrari, ac unum cum corporibus efficere ſit neceſſe. Plurima ſuppetunt ſubtilium corporum exempla, quae quum craſſiora permeent, impermixtam tamen ac conſtantem naturam ſuam retinent, quemadmodum lux, ignis, aether, quibus exemplis paſſim veteres Theologi utuntur. Ac ſunt iſta non omni ex parte rei noſtrae aptata: ſed ſunt tamen talia, ex quibus facile licet conjicere, nihil pugnare incorpoream naturam, quaeque nullam *formalem*, ut ajunt, extenſionem habet, per omnia liberrime penetrare, nec interim unam cum illis rem ac ſubſtantiam efficere. Illud vero, quod poſtremo addunt, totum eſſe mentem & actionem Deum, ex quo conficere ſibi videntur, eſſe eum neceſſariam mundi mentem & actionem, totum eſt peſſime concluſum. Nempe tota eſt quidem Dei natura mens, tota actio, ac neceſſario mens & actio: ſed ſe ac natura ſua ea mens & actio terminatur. Scilicet non ex ſe illa effluit, ut quemadmodum neceſſario mens eſt & actio, ſit etiam neceſſaria actio & mens mundi. Quum enim ſit in ſe perfectiſſima, nulla nec extrinſeca neceſſitate, nec intrinſeca indigentia in externa fertur. Quocirca quod extrin-

ſecus

Digitized by Google

ſecus agit, id liberrime agit: voluntatis eſt & bonitatis, non naturae ipſius neceſſitatis.

Dei exiſtentia argumentis phyſicis demonſtratur.

§. 15. Accedamus nunc ad argumenta alterius generis, quae ſcilicet rerum Natura ſuppeditat. Manifeſtum exiſtentiae Dei argumentum ſuppeditant rerum mundanarum ordo, pulchritudo, fines. Adhibent hoc argumentum elegantiſſime Veteres juxta & novelli Philoſophi. Cicero Lib. II. de Nat. Deorum Cap. V. Cleantem inducit Stoicum obſervantem *aequalitatem motus, converſionem Coeli, Solis, Lunae, Syderumque omnium diſtinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem, quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe ea fortuita. Ut ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſa fieri judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui praeſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantiſque viciſſitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immenſa & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua Mente, tantos naturae motus gubernari.* Idem etiam argumentum Boetius in tertio de Conſolatione, proſa 12. ſic conformat: *Mundus hic ex tam diverſis contrariiſque partibus in tantam formam minime conveniſſet, niſi unus eſſet, qui tam diverſa conjungeret: conjuncta vero naturarum ipſa diverſitas invicem diſcors diſſociaret, atque divelleret, niſi eſſet unus, qui quod nexuit, contineret.*

§. 16. B. quoque Thomas in pr. libro contra Gentiles ex Averroe, acutiſſimo Arabum Metaphyſico, paucis, atque preſſius idem argumentum concludit: *Impoſſibile eſt aliqua contraria & diſſonantia in unum ordinem concordare ſemper vel pluries, niſi alicujus gubernatione, ex qua omnibus & ſingulis tribuitur, ut ad cer-*

tum finem tendant : ſed in mundo videmus res naturarum diverſarum in unum ordinem concordare, non ut raro & a caſu, ſed ut ſemper, vel in majori parte; oportet ergo eſſe aliquod, cujus providentia mundus gubernetur, & hoc dicimus Deum. Addit etiam idem perſpicaciſſimus Theologus, nullas res eſſe, quae cum pluribus modis eſſe poſſint, ut hoc modo potius, quam alio exiſtant, ſuapte natura determinare ſe poſſe, ſed indigere cauſa determinante: at diſtantia globorum coeleſtium, ut alia taceamus, eſſe poteſt infinite varia, ut patet: ergo ut haec potius ſit, quam alia, cauſa indiget determinante, & conſervante. Cujus argumenti, ſimile protulit Iſaacus Newtonus in Optica ad quaeſt. 13. pag. 345. *Nam dum*, inquit, *Cometae moventur in orbibus valde eccentricis undique, & quoquo modo verſum in omnes partes Coeli, utique nullo modo fieri potuit, ut caeco fato tribuendum ſit, quod Planetae in orbibus concentricis motu conſimili ferantur omnes. Tam miram univerſitatem in Planetarum ſyſtemate, neceſſario fatendum eſt, intelligentia & conſilio fuiſſe effectam*. Quae doctrina confirmari poteſt ex altera ejuſdem Philoſophi (*a*). *Planetarum denſitates eſſe reciproce, ut diſtantias Planetarum a Sole ductas in radices diametrorum apparentium. Denſiores igitur ſunt Planetae, coeteris paribus, qui ſunt Soli propriores, Jupiter Saturno, & Terra Jovi; diverſis utique diſtantiis a Sole collocandi erant Planetae, ut quilibet pro gradu denſitatis calore Solis majori vel minori frueretur. Aqua noſtra, ſi Terra locaretur in Orbe Saturni, rigeſceret, ſi in orbe Mercurii in vapores ſtatim abiret. Nam lux Solis, cui calor proportionalis eſt, ſeptuplo denſior eſt in orbe Mercurii, quam apud nos: & Thermometro expertus ſum, quod ſeptuplo Solis aeſtivi calore aqua ebullit. Dubium vero non eſt, quin materia Mercurii ad calorem accommodetur, & propterea denſior*

ſit

(a) *Nevvtonus Lib.III.Princip. prop.8. coroll.3.4.*

ſit ac noſtra; quum materia nonniſi denſior ad operationes naturales obeundas majorem calorem requirat. Quis non intelligat totum hoc ſapientia & ratione factum? Neque enim conſtantiſſima haec proportio ſine ulla ratione directiva, ſolis mechanicis legibus, obtineri potuit.

§. 17. Sed contemplemur paulo vicinius rerum naturalium fines, qui aperte praedicant Deum omnia gubernantem. In tota Natura tam mira eſt rerum ſeries, quarum aliae aliis nexae mutuo inter ſe officia reciprocant, ut hoc ſolum oſtendat perſpicue, cura ſupremae alicujus Mentis haec omnia eſſe architectata, & ſtare. Si quis attento oculo Plantarum ſtructuram intueatur, atque infinitarum partium, quibus illae conſtant, non ſolum mirabilem nexum, verum etiam officia & fines, quae illae conſtantiſſime retinent, ut vaſa, quibus nutriuntur, quibus ſuccus nutritivus praeparatur, quibus effingitur ac formatur, ut erumpat aut in frondes, aut in fructus, quibus idem ſuccus redit ad radices, & quaſi, ut in animante ſanguis, circulum abſoluit: tum vero ſtructuram & fines partium animalium, quum omnium, tum praeſertim hominis, ut nulla ſit ex tot, tamque diverſis particulis, quae fini ſuo non bene reſpondeat; is aut truncus ſit, aut praeſtantiſſimam Mentem haec omnia facere, movere, regere intelligat neceſſe eſt. Unam ſi oculi humani architectationem introſpiciamus, tunicas, earumque figuram, humores, reticulum, nervum opticum, muſculos multiplices, tum munimenta exteriora, ſupercilia, palpebras, omnia ad id conformata, ut externarum rerum imagines reflexione, & refractione luminis in oculi fundo depingantur, non poſſumus actionem Naturae intelligentiſſimae, quae haec omnia fabricetur, non videre.

§. 18. Idem vero & in caeteris humani corporis partibus animadvertere poſſumus. Corporis noſtri finis vita: ea nec ſine partium integritate, nec ſine motu conſtare nobis poteſt. Ac partes quidem motu continuo atteruntur & debilitantur. Iis reparandis & conſolidandis cibus & potus neceſſaria ſunt. Hinc gignuntur

tur ſanguis, lympha, humores, quibus corpus nutritur & viget. Jam quot erant neceſſaria, ut & cibum primum nobis parare poſſemus; deinde concerpere & incidere; tum molere, & ita deglutire, ut ſimul reſpiratio non impediretur? Ad haec, concoquere atque per totum corpus diſſeminare? Excernendae hinc erant particulae ſingulis corporis humani membris aut nutriendis, aut movendis. Pars nutritioni inepta ſequeſtranda, ac emittenda extrinſecus. Praeterea niſi extrinſecus quoque adjumentum motui ſanguinis, ciborum concoctioni, vitae denique arceſſeretur, brevi tota haec moles velut ſoffocata concideret. Itaque in auxilium adſcitus aer, qui pulmones pervaderet, quique vi ſua elaſtica non corpus modo ſubſtentaret, ſed partium ſingularum officium adjuvaret, ac vitam ipſam vitalem efficeret. Inde oculi circumſpectandis ſingulis, brachia corripiendis alimentis, canini dentes diſcerpendis, molares contundendis, lingua volvendis, exophagus deglutiendis, ventriculus concoquendis, apta. Exophagi autem & ventriculi ſtructura quam varia & mirabilis? Quam mirabiles fibrarum ordines, qui velut elateres alii alios ſuſtinent ac juvant? Quot his partibus varie commovendis conformati muſculi? Tum vaſa ductando per corpus ſanguini, alia lymphatica humectando; ac in primis vaſorum hujuſmodi valvulae, ne pondere deorſum decidat. Jam cor impellendo: Cordis autem mira prorſus fabrica. Quot enim fibrarum ordinibus inſtructum, quo contrahi, aut diſtendi poſſet? Arteriae diſſeminando, venae revehendo. Quis paucis poſſit comprehendere omnes partes, quibus vita efficitur & continetur? Quis glandularum uſus & utilitates? Quis pulmonum? Quis praeterea membranarum, cartilaginum, oſſium? Sed una nervorum propagatio ac contextura omnem mentem humanam excedit. Haec magnis voluminibus explicata ſunt. Eſt vero quiſquam qui haec omnia, quorum unus finis, vita, cui illa conformata, & ad quam ſpectant, nullo ullius Mentis artificio conformata fateri audeat? Mirifice haec illuſtrat

Nie-

Digitized by Google

Nieventitius in Opere praeclaro *de Exiſtentia & Attributis Dei* part. I.

§. 19. Duo opponunt adverſus hoc argumentum profani. Primum aeternum eſſe Mundum, nunquam ortum, nunquam interiturum: quod nos argumentum in primo Capite occupavimus, ut neceſſe non ſit quidquam ei rei hoc in loco addere. Alterum caſu quodam haec omnia facta eſſe, dum atomi aliae aliis occurrerent, ſicque implicarentur, quae Epicureorum fuit inſania. Mundus, inquiunt, mechanicis legibus regitur. Haec ſunt *foedera naturae* Democriti, quae repetit Lucretius. Ex iis legibus ita omnia poſſunt provenire connexa & ſtructa, ut videantur ratione & conſilio facta, praeſertim, quum inſita ſit toti materiae natura quaedam activa, *natura gubernans*, ut idem vocat Lucretius. Materiae igitur particulare *natura* illa *genitrice* agitante infinitis modis necti & copulari potuere, quibus hic profecto, quo nunc ſtat, mundus comprehendebatur. Quid ergo mirum ſi tandem aliquando emerſit? Ut ecce (nam hoc exemplo utitur recens quidam impiae cauſae patronus) (*a*) in poſſibilibus eſt Homeri Iliada ex fortuito literarum jactu tandem aliquando prodire: in infinita certe literarum coagmentatione ea ineſt. Quod autem poſſibile eſt, mirum non eſt, ſi aliquando ex poſſibilium numero quaſi enatet.

§. 20. Sed nihil unquam minus conſiderate dictum fuit. Scilicet haec eſt profani generis ars, qua teguntur, paucis ad vulgi captum res maximas non ſubvertere, ſed falſo lumine velle opprimere. In eoque ii faciunt aſtute ac malitioſe. Eſt enim haec hominis natura, ut ſubtili & longa rerum maximarum meditatione defatigetur: facili ac brevi, ad ſenſum & imaginationem accommodata oratione capiatur. Hinc quae acri rationis indagine indigent, primum velut ardua prae-

(a) *Auctor Libri penſées Philoſophiques pag. 66.*

praetereunt, mox contemnunt, tandem eſſe pernegant, parabili, & in medio, ut inquiunt, omnibus poſita ſcientia contenti. Itaque hoc quale ſit videamus. Atomi, inquiunt, infinitae numero ex infinito tempore poſſibiles omnes pertentarunt coagmentationes. Demus haec tantiſper: liberaliter enim agere mihi conſtitutum eſt. In infinitis, pergunt, atomorum machinationibus praeſens mundi ordo inerat. Demus & hoc alterum tantiſper, ut dixi, mox reſumpturi. Quid ergo, inquiunt, mirum, ſi tandem aliquando prodiit? Sed quum ita concludunt, primum illud praetereunt, quod in quaeſtione eſt poſitum. Non id nunc agitur, in poſſibilibus atomorum unionibus hic ne mundus contineatur, ſed hoc alterum, fortuita ne haec ſit praeſens Univerſi conformatio? Uno verbo, non quid poſſibile fuerit, ſed id quod factum eſt. Utamur recepto exemplo. Quum de Iliadis Auctore diſſeritur, non id inquiritur, potuerit ne hoc poëma fortuito naſci, ſed hoc, natum ne ſit fortuito. Demus potuiſſe: id non efficit, ut ita factum ſit. Lucretii carmen potuit eſſe fortuitum: neque tamen id probat, non eſſe Lucretii. Venus Coa ab alio ſculpi potuit an idcirco non a Praxitele fuit? Potuit Mundus fortuito naſci: demus. Id non efficit, ut fortuito natus ſit. Quo, inquiunt, argumento conficis, non fortuito natum, quod fortuito fieri potuit? Scilicet eodem, quo iſti, etiam ſi nihil aliunde reſcirent, non fortuitam eſſe Homeri Iliada, nec Virgilii AEneida affirmarent, quamvis inter poſſibilia fortuita agnoſcerent. Nempe artem, rationem, conſilium non tantum in prima mundani operis origine intelligo adhibita fuiſſe, ſed perpetua ea eſſe cerno: iiſdem progredi legibus quibus coepit: id quod ſine praeſenti Numine fieri nequit. Ut enim nobis perſuadeamus, ea, quae mirabili ordine, & incredibili ſapientia, non raro, ſed conſtantiſſime fiunt, caſu fieri, tota rationis humanae oeconomia ſubvertenda eſt. Quis alioquin intelligat in caſu factis non modo perfectiſſimae rationis regulas, ſed perpetuam conſtantiam? Ut ecce. In poſſibilibus motionum ſeriebus eſt, ut

Pſit-

Digitized by Google

Pſittacus primam Newtonianorum principiorum definitionem pronunciet. Erit ergo in iiſdem ut pronunciet & ſecundam. Quidni, ut omnes? Itaque & in poſſibilibus ſit, ut totum ſyſtema recitet. Quid ſit id ſaepe efficiat? Quid ſi ita, ut verba quidem immutet, rerum vero eundem ſervet ordinem? Quid ſi ſaepe turbare videatur, eaque mox perturbatio mirabilem cum toto ſyſtemate ordinem efficere deprehendatur? Quid tandem ſi tam confidenter, tantaque dexteritate difficillimas res & intricatiſſimas pertractet, diſputet, compendifaciat, diducat? Haec eſſe in poſſibilibus negabunt? At nihil eſt, quod a ratione fit, ut, quemadmodum iſti docent, fieri nequeat a fortuito atomorum concurſu. At ſi id totum fortuito revera fieri Atheorum quiſquam dixerit, fortuito eum quoque loqui neceſſe ſit. Quot ego hujuſmodi poſſibilia congerere poſſum, quae tamen fortuito fieri, pudeat vel impudentiſſimos Atheos dicere? Quid, inquiunt, ita? Quia ſunt quaedam argumenta, ſeu potius veſtigia, criteria, inſignia, quibus ſine ullo ratiocinio intelligat quis, ratione id fieri, etiamſi in poſſibilibus, & fortuitis combinationibus contineantur. Ea veſtigia in ſenſus & rationem incurrunt, ut non ſit neceſſe longius arceſſere. Qua ex re fit ut ii facilius ea perſentiſcant, qui ſimplicius de rerum natura ſentiunt, quique minus a phantaſticis ſyſtematibus aliorſum diſtrahuntur. Inde certe fit ut in his rebus idiotae & judicent tanto verius, quanto ſimplicius, & conſtantius Naturae adhaereant, a qua tantopere Metaphyſici longe aberrant. Stultum autem eſt ſibi perſuadere parva opera ſine arte & ratione non fieri, fieri vero maxima.

§. 21. Deinde nego praeſentem Mundum inter fortuitas atomorum conſociationes contineri, utcumque illas infinita ponamus; neque enim in infinities etiam infinitis ejuſmodi copulationibus mens & ratio continentur, quae nunc in Mundo ſunt. Quemadmodum enim ſi nihil ab aeterno fuiſſet, non ſpatium, non materia, non Deus, nihil praeterea aliud, perſpicuum eſt

eſt & nihil poſſibile, & nihil deinceps futurum fuiſſe: ac ſi nihil fuiſſet, niſi materia immota & iners, numquam poſſibilem, nec futurum fuiſſe motum: eodem modo, ſi non fuere ab aeterno, niſi inane, & atomi, pondere tantum & motu praeditae, infinitis etiam earum combinationibus, nego mentem & rationem procreari potuiſſe, ac inde repente prodire, ubi nec erat ulla, nec ulla ejus ſufficiens ratio. Sed tollamus paulisper omnem de Mundo mentem & rationem, quam certum eſt non potuiſſe a fortuita atomorum conjunctione progigni, ac videamus, utrum ſaltem reliqua fortuitus hic, quem praedicant, atomorum concurſus efficere potuerit. Indefinita eſt mundi extenſio, in eaque, quantum intelligimus, infinita ſyſtemata planetaria eſſe oportet, apte omnia inter ſe cohaerentia. Non dubito, ſi ut corpus noſtrum, ita totum univerſum animo complecti, liceret, eandem in eo, atque in corpore, obſervaturos artem, ac praeſtantiſſimae rationis machinationem & artificium. Nam & univerſum ex maximis corporibus coaleſcens aptiſſime totum cohaeret, ut humana ratio nihil effingere poſſit ordinatius; & maxima haec corpora omnia ſunt ex infinitis, ut ita dicam, machinulis, tanta arte conſtructa, ut quae inter homines ſunt artis proportiones & regulae inde omnes natae videantur. Atomi ut fortuitis concurſibus hoc totum tam affabre ſtruerent, non modo eas regulas ac proportiones ſectari in primis corpuſculis coagmentandis debuere, ſed in ſingulis deinde majoribus ac majoribus machinis: una in parte ſi a regula diſſiliiſſent, totum ut perſpicuum eſt, conturbaſſent, ac quidvis potius, quam tam doctum opus perfeciſſent. Tu igitur tantam in caſu conſtantiam ac tamdiu reperire potes? Ego ne in efformando quidem plantulae ſemine eſſe poſſe mihi unquam perſuaſerim. Semen enim hoc totam in ſe diſtinctiſſime delineatam plantam complectitur, ac (ſunt quibus id placet) ejus plantae ſemina alia innumera, horumque ſeminum plantas alias, atque ſic porro. Ea debuit eſſe fortuiti atomorum con-

Digitized by Google

curſus conſtantia, ut nulla in parte infinitarum illarum, quibus haec machinatio abſolvitur, vel hilum claudicarent: minimum enim ſi ab arte vagatae fuiſsent, tu id efficere potuiſse putes, quod eſt effectum? Valeant itaque, qui hanc in caſu regularum conſtantiam deprehendere poſse confidunt. Quocirca quamquam hic mundus in poſſibilibus fuit, priuſquam oriretur, nam factus nunquam fuiſset, niſi fuiſset poſſibilis; tamen talia in eo artis, ſapientiae, rationis, ac tanta veſtigia cerno, ut jure negem, fuiſse in poſſibilibus & fortuitis atomorum concurſibus. Quomodo quum horologium conſidero, in poſſibilibus illud fuiſse agnoſco, priuſquam eſset; neque enim alias unquam extitiſset: ſed nego in poſſibilibus fodinarum metallicarum fermentationibus ac copulationibus unquam extitiſse. Quid ita? Scilicet quia haec tum tandem poſſibilia ſunt, ſi data alia & conſtituta fuerint: quae qui non ponit, ſimiliter facit, ac ſi quis pronunciaret generatim, ex qualibuſcumque tribus lineis triangulum confici poſſe, quum id tum tantum obtineat, ubi duae quomodocumque ſumtae ſint tertia majores. Eodem modo Mundus hic, qui tam admirabili arte & ſapientia conflatus eſt, ita quidem in entibus poſſibilibus eſt, ubi data ſint Mens ſapientiſſima & praepotentiſſima: hoc ubi datum non ſit, eadem ratione nego, *Mundum hunc, in quo ars ineſt & ſapientia*, eſſe in poſſibilibus, qua nego, ex tribus lineis, quarum duae ſint tertia minores, vel ei aequales, triangulum naſci poſſe. Eodem modo, quum quis dicat, eſſe poſſibile ab homine fieri Farnenſem Taurum, is ita profecto intelligit, ubi Artifici inſit efficiendi ars: qua ſublata, non magis poſſibile eſt, quam a praeſtantiſſimo artifice ſine ulla materia fieri.

§. 22. Sed majori jam utamur liberalitate. Mundus ex fortuito atomorum diſcurſu, an vi & ratione divina primum prodierit, id nunc inter nos & Epicureos diſceptatur. Fortuito natum docent illi: nos Mentis ſupremae numine architectatum. Erat, inquiunt illi, in poſſibilibus atomorum copulationibus: demus. Quid igitur,

tur, pergunt, prohibet dicere, potuiſſe inde emergere? Et hoc demus, potuiſſe: videant quam liberaliter agamus. Intelligant autem, nos diſputare, non ut potuerit, ſed ut factus ſit. Potuiſse, id damus: factus ne ita fuerit, id diſputamus. Nam non ſtatim conſequitur, potuit id ita ſe habere; id igitur ita eſt. Nondum igitur conſtat, ita, nec ne, natus ſit Mundus, ut illi contendunt. Nos contra docemus, eſse ſupremam quamdam Mentem, cujus conſilio & numine ſit creatus. Ejus in tam vaſto opere clara veſtigia intueri putamus. Agant & Epicurei eadem nobiſcum liberalitate, ac nobis viciſſim dent, mundum ita fieri potuiſſe, ut docemus. Neque enim video quid pugnet, talem Mentem exiſtere, ejuſque vi ac numine procreatum eſse & ſtare Univerſum. Sint ergo haec duo poſſibilia ſyſtemata, quorum altero ponatur, fortuito Mundum naſci potuiſse, altero a Mente divina fabricari. Exigit ratio, ut id verum putemus, quod, omnibus perpenſis, ſimilius vero reperitur, praeſertim, quum res ſit non parvi momenti, ſed ejuſmodi, qua tota hominum vita continetur. Itaque in utrumque inquiramus, ac quale ſit expendamus, odio & amore, ſpe & metu, ſi per profanum genus fieri poteſt, ſemotis: amice rem tranſigamus.

§. 23. Ut Syſtema quodvis ſibi conſtet, duo requiruntur: primum *principia evidentia*, quaeque e pugnantibus notionibus minime coaleſcant: alterum plena & ſuapte natura inde fluens phaenomenorum, quorum cauſae perquiruntur, ratio, ut ſcilicet natura, non arte, inde naſci videantur. Quocirca perſpicuum eſt, nec ſtare poſse ſyſtema ullum, cujus principia aut ita obſcura ſunt, ut non intelligantur, aut ſunt inter ſe pugnantia: nec etiam ſi principia clara fuerint & aperta, ubi nullam habet explicandorum phaenomenorum vim naturalem, & plenam, atque uberrimam efficaciam. In pugnantibus principiis nullum inaedificari poteſt ſyſtema, niſi quis ſibi perſuadeat, ejus, quod eſt, cauſam eſſe id, quod eſse nequit. In perſpicuis vero inaedificatum

ſi nul-

ſi nullam habeat explicandorum phaenomenorum efficacitatem, & quidem naturalem, quidvis potius eſt, quam eorum, quorum rationes & cauſae quaeruntur, ſyſtema. Conveniant haec inter partes neceſſe eſt, niſi a tota ratione aberrare velimus. Videamus autem, utrum haec duo, quae procul dubio in Theiſtarum doctrina conſtant, in Epicureorum ſyſtemate reperiantur.

§. 24. Rerum natura infinita ordinis, artis, ſapientiae phaenomena exhibet. Eorum cauſam inquiro. Ea ſtatim praeſto non ſit: in eo enim ſuperius convenimus. Duo mihi deferuntur ſyſtemata, *caſus*, & *Dei*. Ut in caſum inquiram, primum perpendo, quae ſit fortuitae plurium rerum coagmentationis natura? Nempe, ut eadem facilitate diſſilire poſſint, qua convenere: ut partes ſic junctae minime ſint conſtantes, praeſertim per longum tempus: ut difficillime ſeries ex ſeriebus ordinatiſſimas, partibus ac toti conſentientes, progignat: magis adhuc difficile, ut nulla in parte unquam mentiatur. Haec ſyſtema *caſus* difficile & incredibile mihi faciunt. Praeſto eſt alterum, *Dei*. Nihil in eo harum difficultatum. Nam Deus ſi eſt, ut eſt profecto, nequit eſſe, niſi abſolutiſſimae rationis & potentiae, tum conſtantiſſimae voluntatis. Itaque quum haec omnia in univerſo obſervem, mirum rerum omnium concentum, perennem conſtantiam, in qua tanta vetuſtas, quanta eſt apud homines memoria, nihil unquam mentita ſit: conſtantiam praeterea tot ſerierum, quae perpetuo gignuntur, quaeque cum toto ipſo exactiſſime conſentiunt; quae me cauſa impellere poteſt, ſi non affectu, ſed veri amore philoſophari volo, ut non huic potius doctrinae adhaeream, ſed ut videns ac prudens inextricabilibus illis Epicureorum tricis me ipſe implicem? Repugnat certe ratio: nam hujus *ſyſtematis divini* principia in promptu poſita & clara: facilisque explicandorum phaenomenorum ratio: illius, Epicurei, obſcura minimeque intelligibilia principia, minus quoque clara expediendorum tantorum phaenomenorum ratio & via.

§. 25. Sed ut his me extricem tricis, praeſto jam ſunt aliae ac majores. Rationem & mentem in mundi partibus ineſſe video. Ex motu atomorum eam natam, cui unquam perſuadeant Epicurei? Ut ſcilicet *ex non mente ſint mens*, quod tantundem eſt, atque *ex nihilo eſſe aliquid*. At nullo negotio comprehendo, a ſuprema illa & potentiſſima Mente mentes alias procreari potuiſſe. Porro excipiet me ſtatim alia, atque inextricabilior quoque quaeſtio. AEternae illae atomi, nec ſemina ſunt, quibus continentur plantae, nec ova, unde prodeunt animantia, ſed potius ſeminum, & ovorum elementa, quae quum coeant, & ſemina, & ova progignunt. Etiamne vi vegetante & animante praedita efficiunt? Etiamne conſtantiſſime ſemper eadem eodemque modo progignere pergunt? Nullane unquam harum copulationum diſſociabitur, ut plantae, aut animantis alicujus totum genus pereat? Difficile, credo, ſibimet ipſi perſuadebunt Epicurei. Quid autem? Vis illa vegetatrix & animalis in omnibus inerat atomis, an in parte? Qui non omnia animantia, ſi in omnibus? Qui tam docte ſecretae, ac tot, quot neceſſariae, ſi in parte? Nihil ego horum intelligo, quum Epicureos de *Caſu* rationes produnt: contra cura ſupremi Numinis binis verbis explico. Sed infinita futura eſſet oratio, ubi omnia perſequi eſſet animus.

§. 26. Accedo nunc ad totius Univerſi ordinem: mire me & in hoc implicant Epicurei: clara omnia ſunt in Theologis. Temperatione aequabili virium centripetae & centrifugae Planetarum circa Solem totum ſtat ſyſtema noſtrum: circa Stellas ſingulas fortaſſis alia. Id fortuitus atomorum diſcurſus fecit, ac nunc conſervat? Quid? Unum ne omnes in locum pondere ſuo gravitabant atomi antequam tam doctum opus machinarentur, an in diverſas plagas? Non illud: alioquin unum eſſet earum omnium centrum, quod ne Epicurei quidem dixerunt. Si alterum, quum omnes aeque aeternae, aeque ab aeterno motu percitae, qui in plagas diverſas determinatae? *AEternum* enim ac *neceſſarium*

non

non poteſt niſi unum in modum eſſe determinatum: Nam in aeternis & neceſſariis nihil eſſe poteſt *potentia*: totum *actu* eſt, quod peracute vidit Ariſtoteles. Hujus ergo variationis in atomorum natura aeterna nullas eſſe cauſas video. Extrinſecus ergo acceſſere. Nugatur autem Epicurus, qui atomorum declinationem & mutuum acceſſum ſine ulla cauſa fingit: pugnat hoc cum tota ratione. At enim, vi attractrice praeditae ſunt atomi; inde atomorum declinatio. Nam arripiunt hoc avidiſſime ex Newtonianorum Philoſophia novelli Epicuri patroni, nec intelligunt, Newtono attractionem non cauſam haberi, ſed effectum. Cauſam ergo ab Epicureis quaero mutui hujus acceſſus. In atomorum pondere vim centrifugam reperio. Centripetam unde quaeram? Incomprehenſibilia ergo mihi praedicant. Sed demus hoc illis, utraque ea vi ab aeterno praeditas fuiſſe atomos. Quum copularentur, ac magna corpora conficerent, neceſſarium fuit, ut tot atomi una jungerentur & in Sole, & in iis Planetis, quae circum Solem aguntur, ut vires projectionis Planetarum omnium aequales eſſent attractioni Solis, quo ordo conſtare poſſet. Minimum ſi hanc proportionem exiſſent, ut altera alteri vis praeponderaret, totum funditus mundanum ſyſtema conturbatum fuiſſet. Quaero ergo, quum infinitae numero eſſent atomi, cur non plures convenerint? Cur nullibi variaverint? Ego hic exitum non reperio. Nec nunc ea, quae ſuperius, iterum interrogabo, cur tanta conſtantia perſeverent. Exempli haec loco protuli, ut intelligant Epicurei, quam non incomprehenſibile modo totum ſit ſyſtema *caſus*, ſed etiam quam abſurdum, quam inſcite excogitatum, quam ſecum pugnans, ut pudere debeat, homines ratione praeditos in his dumetis rationes inveſtigare velle ad impietatis cauſam patrocinandam.

Digitized by Google

Refellitur Pantheiſmus.

§. 27. ILlud nunc accuratius demonſtrandum eſt adverſus recentes Atheos, Deum non eſſe ipſum Univerſum, ſed univerſi cauſam creatricem, atque gubernatricem. Et quamquam ſuperiora argumenta, praeſertim phyſica, una opera demonſtrant, & Deum eſſe, & eſſe univerſi cauſam, adeoque ab eo diſtinctum: tamen quum Pantheiſmus ſeu Spinoziſmus, haud dudum plurimum invaluerit, particulatim is refellendus eſt. Deum eſſe hoc Univerſum error eſt perantiquus. Erant in ea opinione Eleatenſes quidam Philoſophi; erant Pythagorici, & Stoici; quod pluribus oſtendit Buddeus(*a*). Seneca in Qq. Natural. (*b*) diſertis verbis id docet. Cato apud Lucanum lib. IX. Pharſal. ex veterum ſententia pronunciat,

Eſt ne Dei ſedes niſi Terra, & Pontus, & Aer,
Et Coelum, & virtus? quid quaerimus ultra?
Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Quamquam id cum emphaſi dictum video, ut pro eo, quod Deus eſt ubique, omnia Dei nomine vocaverit. Jam retulit Albertus Magnus (*c*), Alexandrum Epicureum, qui Plutarchi tempore vivebat, eamdem tradidiſſe impietatem: *Alexander*, inquit, *Epicureus Deum eſſe materiam dixit, vel non eſſe extra ipſam, & omnia eſſentialiter eſſe Deum, & formas eſſe accidentia imaginata, & non habere veram entitatem, & ideo dixit, omnia idem eſſe ſubſtantialiter*. D. Thomas in 1. contra Gentil. 17. ejuſdem impietatis defenſorem facit quemdam *Davidem de divinando*, contra quem ex inſtituto diſſerit. Vaſquez (*d*) refert de Petro Abailardo: *Deum*, inquit, *eſſe omnia*, &

(a) *De Ath. & Superſt. cap.* 1.
(b) *Lib. II. cap.* 45.
(c) *Vide Perer. de comm. Princip. lib.* 5. *cap.* 12.
(d) *In prim. part. q.* 3. *art.* 3.

& omnia eſſe Deum : eum in omnia converti, omnia in eum tranſmutari aſſeruit. Petrus Vallenſis in Itinerario teſtificatur plures Mahumedanos idipſum opinari. (*a*) Idem narrat Bernerius de Indis, alii de Sinenſibus & Japonenſibus.

§. 28. Apud Europaeos hanc impietatem in ſyſtema geometricum referre conatus eſt Benedictus de Spinoza, quod ſaepe a nobis adnotatum in prima horum Elem. parte. Hoc univerſum ex immenſa cogitatione, ſeu mente, & immenſa extenſione, ſeu materia, conflatum eſſe vult, idque eſſe Deum, cujus idcirco duo ſint attributa eſſentialia, cogitatio, & extenſio. Haec Pantheiſtarum ſecta altas in Anglia radices jecit. Editus eſt apud Anglos liber ſceleſtiſſimus, auctore Tolando, qui Pantheiſticon appellatur. In eo libro quid ſint Pantheiſtae, his verbis explicatur apud Syckes: *Pantheiſtae ut plurimum vocantur propter ſententiam de Deo, & Univerſo ſibi propriam: Epicureis vero, & Choalogis e diametro oppoſitam, quum nullam confuſionem primaevam, nedum caſum ullum mundi opificem admittant Pantheiſtae, ſed de rerum cauſa, & origine cum Lino vetuſtiſſimo ſtatuant*, ἐκ παντὸς δὲ πάντα, ἐκ καὶ πάντων πᾶν ἐστιν. *Ideſt ex univerſo quidem ſunt omnia, & ex omnibus univerſum. Hujus verſiculi, quem ſemper habent in ore, purior eſt explicatio, quam nos hic breviter trademus. Univerſum itaque, cujus exigua portio eſt hic mundus adſpectabilis, affirmant eſſe infinitum tam extenſione, quam virtute; continuatione vero totius & partium contiguitate unum: immobile ſecundum totum, quum extra eum nullus ſit locus aut ſpatium: mobile autem ſecundum partes, ſive per intervalla numero infinita: incorruptibile ſimul & neceſſarium utroque modo, exiſtentia ſcilicet aeternum, & duratione, nec niſi levi ſimilitudine eodem nomine cum noſtra intelligendi facultate appellandum. Cujus denique ſunt partes integrantes ſemper eaedem,*

(a) *Tom.* 3.

ut partes conſtituentes in motu. (*a*) Hoc quale ſit, quum alibi a nobis demonſtratum eſt; tum inferius accurate perpendetur.

§. 29. Aggrediamur nunc ad haec abſurda refellenda, quae adeo ſunt ſecum ipſa pugnantia, ut verear ne oratione abutar in re minime neceſſaria. Ac Principio, mundum hunc corporeum non eſſe aeternum, ſed aliquando coepiſſe, nec vero fortuito, ſec conſilio & providentia, quum ſaepe alias, tum praeſertim in ſuperioribus demonſtratum eſt; nequit ergo eſſe Deus, qui mens aeterna eſt, cujuſque numine & imperio mundus adminiſtratur. Deinde non modo corpora, ſed ne materia quidem ulla habet aeternitatis attributa, quae Methaphyſici eſſe docent, immutabilitatem, independentiam ab omni cauſa, perfectionem ſummam, quod ne Spinoza quidem negavit: e contrario mutabilis eſt, in infinitum modificabilis, nec infinite perfecta; non ergo in natura ſua habere poteſt exiſtentiam neceſsariam: contingens igitur eſt & facta; nec idcirco aeterna illa & perfectiſſima rerum Cauſa, quam eſse aliquam ſupra demonſtratum eſt. Videri poteſt ut praeclare exornet hoc argumentum Soria in *diſſert. de Exiſtentia Dei*. Praeterea materia non ſolum omnis cogitationis eſt expers, ſed ne capax quidem cogitandi, quemadmodum nos in ſecunda horum Elementorum parte oſtendimus; ergo nec Deus eſse poteſt, nec attributum Dei.

§. 30. Ad haec, demonſtratum eſt ſuperius propoſitione 3. exiſtere Ens quoddam aeternum, in quo ſit ratio ſufficiens eorum omnium, quae fiunt, aut ſunt poſſibilia; ergo & ratio ſufficiens eorum omnium, quae huic enti ſunt propria, non poteſt eſse in alio, ſed in ſe ipſo; alioquin non eſset illud primum, in quo cunctorum eſt ratio ſufficiens. Jam plurima contingunt ma-

(a) *Apud Sykes connexion de la Religion naturelle &c. pag.* 85.

Digitized by Google

materiae, quorum ratio ſufficiens non poteſt eſſe in ipſa materia, veluti moveri, aut quieſcere, hac aut illa ratione dividi, diſponi, configurari, & trecenta alia, ad quae materia eſt prorſus indifferens; ergo materia nequit eſſe ens illud aeternum & primum, in quo ſit omnium, quae accidunt, ratio ſufficiens. Quod ſi dicas, materiam quidem non eſſe hoc ens aeternum & primum, ſed attributum entis illius aeterni & primi; ens illud aeternum & primum ex iis conflatum erit attributis, quae ſeſe mutuo deſtruunt, adeoque ens illud erit *impoſſibile intrinſecum*. Enim vero quum eſſentia cujuſque rei exiſtat ex unione omnium attributorum eſſentialium; ſi materia attributum ſit entis illius aeterni, erit illud & *neceſſarium* & *contingens*, quae ſunt ſi quae maxime pugnantia. Diſtinguere vero inter materiam & corpora, quod facit Spinoza, atque illam ponere immobilem, immutabilem, indiviſibilem; haec vero diviſibilia & mutabilia; illamque Dei attributum facere, haec modificationes, eſt vetus phantaſma pro re obtrudere velle, ineptiſſimum illud, quodque abſurdius eſt, quam ut refutatione egeat (*a*).

§. 31. Sed illud objiciunt quidam, non poſſe a nobis intelligi, ubi ita res ſe habeat, quanam ratione materia ab Ente illo aeterno & incorporeo creari potuerit. Ex hac ignoratione factum eſt, ut quum veteres Philoſophi, tum novelli Athei aeternam materiam habuerint. Sed nihil minus acute concludi unquam potuit: ſaepe enim animadvertimus, ea, quae ignoramus, nulla ſuppeditare poſſe argumenta ad ea, quae ſcimus, revellenda. Materiam non eſſe aeternam hinc intelligo, quod nulla aeternitatis habet attributa, ſed habet potius omnia iis contraria, quae enti aeterno ineſſe debent. Quod vero non intelligam, qua demum ratione creari potuerit, hoc non efficit, ut de origine

(a) *Vide quae ſuper ea re dicta ſunt in ſecunda Metaphyſ. parte.*

materiae dubitare poſſim, ſed tantum ut imbecillitatem mentis meae agnoſcam. Quo modo ſi quis horologium intueatur, minime ille quidem factum dubitabit, quantumvis ignoret, a quo ſit Artifice factum, qua ratione, qua arte, & vi. Ac ſane plurima ſunt in Univerſo, quae generari nemo ſanus in dubium vocaverit, quamquam omnes ignorant, qua ratione generentur. Hominem ex homine, brutum ex bruto generari, ex ſemine ſemen, nemo ignorat. At quum ventum eſt ad vim & rationem, qua haec generantur, quot capita, tot ſunt ferme hominum, & quidem doctiſſimorum, ſententiae, fatenturque omnes ſe in re perdifficili & perobſcura opinari.

§. 32. Scio acutiſſimos Philoſophos ope rationis naturalis explicare modum creationis materiae: ſed adeo infeliciter, ut me poeniteat ingenii humani. *Exemp. gr.* Johannes Lockius rem ita expedire ſtudet. Detur ſpatium incorporeum aeternum, quod jamdudum graviſſimis Philoſophis placuit: potuit ei a Deo addi ſoliditas. Ita emerſiſſet materia, quae nihil eſt aliud, niſi *extenſum ſolidum*. Plura habet haec doctrina incommoda, quae Lockio ipſi negotium faceſſere potuiſſent, ſi rem accuratius expendiſſet. Primum quis intelligat exiſtere poſſe rem quamdam incorpoream aeternam diſtinctam a Deo, niſi qui omnia religionis naturalis principia perturbaverit? Deinde, ut haec demus, quis ſibi perſuaſerit, ſpatium immobile & indiviſibile addita ſoliditate evadere diviſibile & mobile? Sed dictum hac de re alias. Chriſtianus autem Wolfius aliam viam ingreſſus eſt. Potentia Dei primum omnium creata elementa quaedam ſimplicia, inextenſa, activa: hinc vero conflata corpora, arbitratur. Sed tantum abeſt ut nos levet difficultate, de qua diſſerimus, ut potius augeat. Principio eadem difficultas in intelligendo modo, quo hujuſmodi elementa creata ſunt. Tum accedit altera, qui ex inextenſis elementis corpora prodire poſſint. Non haec fieri poſſe negamus: quo fiant modo, id nos ignorare profitemur. Itaque praeſtat ingenue fateri,

inter

inter infinita alia, quae mortales ignorant, eſſe & hoc, qua tandem ratione ſit creata materia. Id nobis ſufficit, materiam non eſſe aeternam: neque neceſſe eſt ut illud quoque ſciamus, qua ratione ſit creata.

§. 33. Nunc quo plenius Pantheiſmus refellatur, deſcribam hoc in loco integram Johannis Lockii orationem, qua ille demonſtrat, nec totam materiam, nec ſingulas ejus partes cogitatione praeditas eſſe poſſe (*a*). *Videamus*, inquit, *qua tandem ratione profani homines perſuadere ſibi potuerint*, *mentem aeternam* (neque enim de ejus exiſtentia dubitari poteſt) *corpore conſtare*. *Primum tota ne materia mundana, omneſque ejus partes cogitant? Non eo dementiae evaſuros puto hujus aevi profanos, ut id dicant, niſi una opera dicere velint, tot eſſe entia aeterna cogitantia, quot materiae partes, ideſt infinita, atque idcirco infinitos eſſe Deos, quorum quilibet infinitos etiam alios ſinu ſuo complectatur, quod eſt totam Mentem Mundi Architectricem radicitus extirpare. Qui enim tot monogrammi Dii in tam vaſto tamque docto opere efficiendo conſentire omnes potuere? Non ergo materia ſuapte natura & neceſſitate tota eſt cogitans. Quid ergo? Quaedam tantum partes hujus corporei Entis cogitantes erunt, caeterae ſtupidae? At tam eſt perabſurdum, ens cogitans ex partibus non cogitantibus componi, quam extenſum ex non extenſis. Deinde quum tota materia eſſe cogitans nequeat, pars ne una materiae hoc erit ens aeternum & cogitans? Non minora inde, nec pauciora conſequuntur abſurda. Enim vero aut haec tantum materiae pars aeterna eſt, aut non. Si primum, reliqua materia tota inde creata erit, nec niſi ab ente intelligentiſſimo, & potentiſſimo, quo tota moles Pantheiſtica concidet. Si ſecundum, quibus tandem illi argumentis, non totam quoque materiam, ſed partem tantum unam cogitare adſtruent? Neque enim natura & eſſentia pars ulla materiae ab alia differt. Quod ſi contendunt, ut iis ſine ratio-*

(a) *De Intellectu humano Lib.* IV. *cap.* 10.

ratione etiam credatur, non impii tantum, ſed perridiculi quoque ſunt. Poſtremo nec tota, nec una pars materiae eſſe ens illud aeternum cogitans dicetur, ſed congeries quaedam plurium particularum? At qui illud nec unam aeternae materiae partem, nec omnes eſſe intelligit, is niſi nullam eſſe congeriem particularum quoque intelligat, lapide ſilice ſtultior ſit neceſſe eſt. Ens ergo illud cogitans aeternum nec tota eſt materia, nec una materiae pars, nec ulla materiae congeries.

§. 34. Oſtendam nunc, quam contrariis aſſertionibus narratio illa Pantheiſtarum, quae in §. 28. poſita eſt, conſarcinata ſit.

I. Vires, quas in iis Univerſi partibus, quae cognitioni noſtrae ſubſunt, obſervamus, omnes intenſitate finitae ſunt, varie modificabiles, uſu quoque conſumuntur. Virtute ergo infinitum non eſt univerſum; neque enim, ſi infinita eſſet intenſitate univerſi vis ac potentia, finiti eſſe poſſent effectus, praeſertim quum haec vis velut neceſſaria tota ſemper ageret. Sed nec ex infinitis numero, ſed finitis intenſione viribus, & per infinitas mundi partes diſperſis, vis ulla infinita intenſione exiſtere poteſt, quemadmodum eſt per ſe perſpicuum: plures enim vires tum majorem procreant, quum uni indiviſibili puncto applicantur omnes, id quod Mechanicae tirones norunt. Qua ex re conficitur, ut aeterna non poſſit eſſe vis univerſi, quae & finita eſt intenſitate, & varie modificabilis.

II. Unum illud eſt *aggregatione*, non *ſubſtantia*; Quum nulla ſit corporea univerſi pars, quae ab alia parte intrinſecus pendeat, cujuſque propterea *eſſentia* & *ſubſiſtentia* ſine alia parte intelligi nequeat. Itaque tot univerſi ſunt ſubſtantiae, tot una, quot in partes eſt illud ſecabile. Niſi ergo unum quum dicunt ordine & ſtructura intelligant, quid ſibi velint, omes ignorent neceſſe eſt.

III. Qui dicere poſſunt ſine contradictione, unam eſſe univerſi ſubſtantiam *immobilem ſecundum totum*, ſed mobilem *ſecundum partes*, *ſive per intervalla nume-*

ro infinita? Nempe hae una ſubſtantia, quae Deus illis eſt, per intervalla infinita diſcerpitur, ſed una interim eſt, incorruptibilis ac neceſſaria. Quid eſt aliud *ludere par impar?*

IV. *Intelligens*, ajunt, *eminenti quadam ratione* Scilicet infinite intelligens eſſe nequit, niſi *tota* ſit *actu* ejus intelligentia. Quum autem ſit intelligentia unius ſubſtantiae immenſae, ubique eſt intelligentia infinita & *tota actu*; ergo haec in nobis infinita & *tota actu*, qui ejus ſubſtantiae ſumus partes, ſeu potius eadem illa una ſubſtantia. At haec & per ſe ipſa ſunt falſa, & deſtruunt ſequentia, *nec niſi levi ſimilitudine tum noſtra intelligendi facultate appellandum*. Noſtra ergo intelligendi facultas nec illa eſt aeterna & eminens univerſi intelligentia, nec ab illa quidem *neceſſitate naturae* manans, quippe alterius generis, ut iſti profitentur. Unde ergo? Meras igitur nugas agunt, ac imperitis naturalium rerum veritatis, ſi Diis placet, hujuſmodi Doctores turpiſſime imponere ſtudent.

V. Tandem enigma illud, niſi Oedipus expediat, intelliget profecto nemo, *cujus partes integrantes ſemper eaedem* (ideſt, ut patet ex ſequentibus, immobiles & immutabiles), *ut partes conſtituentes in motu*. An ne aliae *conſtituentes*, aliae *integrantes* Univerſi partes? Quae demum utraeque? Sed rem eſt agere ſupervacaneam eos ſtudioſe refellere, qui nec ſe intelligere unquam potuerunt, & cum impietate homines ludificare voluiſſe videntur. Nam pluribus id refellere, quod manifeſto falſum eſt, ſcribenti juxta & legenti taedium moleſtum affert. Illud addam, maximum eſſe argumentum falſi ſyſtematis, quum illud nec contexi poteſt niſi per enigmata, nec defendi ſine abſurdis. Veritas enim per ſe ipſam lucet: falſitas nemini propinari poteſt, niſi tecta, ut ne ſuboleat quidam excipientibus. Mirum igitur eſſet, potuiſſe hoc ſyſtema ulli placere, praeſertim Philoſopho, niſi exploratum eſſet, homines aut animi perturbationibus commotos, aut melancholico temperamento praeditos, ea magis interdum venerari ſole-

Digitized by Google

ſolere, quae minus intelligunt. Eſt enim hoc agitati & turbati judicii proprium, ut quidvis arripiat, quo ſibi ſatisfacere poſſe putat.

CAPUT II.

De illis Dei attributis, quae ei ut enti conveniunt.

PRoprietates, & attributa Dei ſolent ad tres claſſes referri, ut aliae ſint,quae ſunt Dei tanquam entis: aliae quae ei tribuuntur ut enti independenti; aliae tandem, quae Dei ſunt ut ſpiritus. Prioris generis ſunt ſimplicitas, bonitas phyſica &c. ſecundi vero immutabilitas, aeternitas, infinitas &c. tertii generis aliae ſunt phyſicae, ut intellectus, voluntas, potentia activa, libertas &c., aliae morales, ut juſtitia, miſericordia, amor, beneficentia. Nos in hoc capite praecipuas Dei proprietates primi, & ſecundi generis attingemus, de aliis, quae tertii ſunt generis, inferius diſputaturi.

Prop. VII. Deus eſt immutabilis.

D. Deus eſt ſubſtantia aeterna independens; ergo (per prop. 15. 1. part.) Deus eſt immutabilis: nam ut habet in ſe totam rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae, & quidem aeternam, & neceſſariam, ita habet in ſe rationem ſufficientem ſuae conſervationis, ac aeternam item, & neceſſariam. Praeterea Deus eſt infinite perfectus (ex prop. III.); Ergo eſt quicquid eſſe poteſt. Eſt autem infinite perfectus ab aeterno, adeoque neceſſario; ergo ab aeterno, adeoque neceſſario eſt quidquid eſſe poteſt. Jam quod ab aeterno & neceſſario eſt quidquid eſſe poteſt, ab aeterno & neceſſario eſt immutabile; ergo Deus eſt immutabilis.

Schol. Et quidem Deus immutabilis ſit ſecundum eſſentiam, ac proinde ſecundum omnes ejus proprietates, neceſſe eſt. Nam quoniam eſſentia Dei nullas habet extrinſecas exiſtentiae ſuae cauſſas, ne ullas quidem habere poteſt extrinſecas cauſſas mutationis. Jam nec ullas

Digitized by Google

nullas habere poteſt intrinſecas, quum unumquodlibet ens potiſſimum aeternum & ſimpliciſſimum, ita natura ſua comparatum ſit, ut natura ſua deſtrui, & mutari nequeat: quidquid enim eſt, ſuapte natura & eſſe, & conſervari amat. Sed & ſingula Dei attributa immutabilia ſunt, ut intellectus, voluntas, bonitas, juſtitia, &c. quia ſunt attributa Entis abſolute infiniti. Itaque nec modificationes ullae, nec qualitates in Deo eſſe queunt. Modificationes voco varios exiſtendi modos: qualitates vero limitationes eſſentiae, & attributorum. Deus autem cum neceſſitate naturae ſuae exiſtat, & ſit infinite perfectus, nec modos exiſtendi varios ſubire poteſt, nec limitationes eſſentiae, & attributorum habere.

Duo adverſus Dei immutabilitatem oppoſuere idiotae Philoſophi, quae more ſuo paucis complexus eſt S. Thomas (*a*). Primum, quum tanta ſit rerum novitas, & mutatio, eaque ſupremum Deum principium & auctorem habeat; non videtur is eadem ſemper velle, eadem nolle, nec proinde immutabilis eſt. Alterum quum Deus non ex neceſſitate velit quod vult; ſit ut poſſit velle, & non velle idem: quodcumque, autem habet potentiam ad oppoſita eſt mutabile; eſt ergo Deus mutabilis. Quibus pudet nos longiori oratione reſpondere. Principio quid pugnat Deum velle *mutabilia immutabiliter?* ut eleganter loquitur Auguſtinus. Neque enim quidquam vetat eadem aeterna ratione ac voluntate, & rerum velle origenes, & velle ſeries, & ſucceſſiones. Deinde quum Deus ſit in ſe perfectiſſimus, & beatiſſimus, quod ſaepè alias diximus, nulla naturae neceſſitate externas res vult: id autem nihil vetat, quin velit immutabiliter. Nam quoniam volendi eadem aeterna ratio ſemper eſt, fit ut eadem ſit ſemper voluntas. Eſt haec Thomae ipſius reſponſio. *Licet*, inquit, *Deum velle aliquid non ſit neceſſarium abſolute*, *tamen eſt neceſſarium ex ſuppoſitione*.

(a) 1. *p. qu.* 19. *art.* 7.

Prop. VIII. Deus eſt ſimpliciſſimus.

D. Deus eſt incorporeus (ex prop. II.), & immutabilis (ex prop. VII.): non eſſet vero nec incorporeus, nec immutabilis, ſi eſſet compoſitus. Deus ergo ſimpliciſſimus eſt.

Schol. Itaque nulla eſt in natura Dei compoſitio. Non phyſica; quoniam partibus ſeparabilibus non conſtat Deus. Nec metaphyſica, quaſi Dei attributa *formaliter ex natura rei* diſtinguantur, ut opinantur Scotiſtae; quia quodcumque Dei attributum natura ſua eſt una eademque ſimpliciſſima eſſentia: non enim *aliud eſt Deo ſapere*, *aliud eſſe*, inquit B. Auguſtinus.

Quod ſpectat ad compoſitionem *logicam*, ſi ea ita accipiatur, ut intelligatur poſita in attributorum ratione tantum diſtinctorum reali unitate, ea convenit Deo: quippe quum hujuſmodi diſtinctio in mente tantum noſtra ſit, non vero in re ipſa, nihil officit divinae ſimplicitati, & immutabilitati. Quod ſi compoſitio logica accipiatur pro compoſitione generis, & differentiae, ea admodum controverſa eſt in Philoſophorum ſcholis. Sunt enim qui Deum ſub categoria, ſeu genere ſubſtantiae, ponunt, quaſi notio ſubſtantiae Deo, & creaturis ſit communis: alii negant; quod ſcilicet ratio ſubſtantiae non eadem ſit in Deo, & creaturis. Ego omnem hanc controverſiam ad vocabula pertinere puto: nam genera, & ſpecies ſunt complexus idearum abſtractarum genericis vocabulis copulatarum. Itaque quum quaeritur, utrum Deus ſub genere ſubſtantiae ſit, quaeſtio redit ad extenſionem notionis vocabuli ſubſtantiae. Ceterum ad res ipſas quod pertinet, idem diſcrimen eſt inter Dei ſubſtantiam realem & ſubſtantias creatas, quod eſt inter infinitum, & finitum.

Prop. IX. Deus eſt immenſus.

D. Deus eſt independens, ens neceſſarium exiſtentiae; ergo exiſtentiae modificationem non habet: haberet autem, niſi eſſet immenſus, ideſt ubique, ergo Deus eſt immenſus, omnipraeſens, ubique.

Schol. Quemadmodum ex eo, quod Deus neceſſitate

na-

Digitized by Google

naturae ſuae exiſtit, conficitur, Dei eſſentiam eſſe infinitam, ſcilicet nullas habere qualitates, ideſt modificationes eſſentiae; ita ex eo, quod neceſſitate naturae ſuae exiſtit, conſequitur, nullos habere poſſe exiſtentiae ſuae modos, ideſt eſſe immenſum: nam ut qualitas eſt limitatio eſſentiae, & attributorum, ita modificatio exiſtendi: & propterea ſitus ac locus ſunt limitatio exiſtentiae: in ente autem neceſſario exiſtentiae, & eſſentiae nulla omnino eſſe limitatio poteſt.

Sunt qui immenſitatem Dei ex exiſtentia ſpatii vacui immenſi & aeterni demonſtrant. Totus in hoc eſt Henricus Morus in Enchiridio Metaphyſicae. Scilicet poſtquam demonſtraſſe credidit, exiſtere ſpatium reale aeternum, incorporeum, immenſum; idipſum eſſe Dei immenſitatem cenſuit. Sed ut demus ſpatium iſtud immenſum exiſtere; quum ſpatium hoc non totum ſibi coexiſtat in ſingulis ſuis punctis, ſed habeat formalem extenſionem, ideſt partes reales extra partes, ſitque majus totum, quam ejus pars quaelibet; ſi ſpatium hoc ipſa Dei eſt immenſitas, Deus non totus ſibi coexiſtet, habebit partes reales extra partes, erit major totus, quam quaelibet ejus pars, quae conſectaria totam Dei naturam ſubvertunt. Immenſitas ergo Dei non poteſt eſſe extenſio realis, & formalis, quum Deus ſit ens ſimpliciſſimum, totumque ſibi coexiſtens. *Deus non mole, ſed virtute magnus eſt*, inquit Aug. ad Voluſianum Ep. olim 3.

Qua ergo ratione eſt immenſus? Nempe Deum eſſe immenſum, ideſt ubique locorum praeſentem, inde ſcio, quod ſi in uno loco potius, quam in alio ponam, modificationem & limitationem ejus exiſtentiae pono, quod cum natura entis independentis pugnat. Scio quoque, hanc immenſitatem non eſſe *extenſionem formalem*, ideſt quae habeat partes reales extra partes; quia haec formalis extenſio ſimpliciſſimae Dei naturae, quae tota mens eſt, adverſatur. Sed ingenue profitebor, me immenſitatis hujus rationem minime comprehendere; neque id mirum eſt, quum mens humana non

non ſolum finita ſit, verum etiam breviſſima. Huc ſpectat praeclarum illud Auguſtini in Tractatu 23. in Johannem. *Si non potes comprehendere, quid ſit Deus, hoc ſaltem comprehende, quid non ſit* (*a*). Ceterum hoc Theo-

---

(a) *Eſſentiam Dei & ſubſtantiam eſſe immenſam, ideſt ubique locorum, fidei chriſtianae dogma eſt, quemadmodum docebunt Theologi. Vide Jueninum Inſtitutionum Theologiae p. part. diſſert. 4. qu. 6. art. 1. Sed ea de re curioſius, quam par erat, ut ſolebant, Scholae Theologi diſputarunt*, per quid Deus conſtituatur formaliter ubique? *Ea in re duae fuerunt extremae Theologorum ſententiae. Nam aliis placuit, Deum ubique* ſubſtantialiter *conſtitui per* ſuam operationem. *Deus eſt totus actio, ac ubique actio; adeoque ubique Deus*. Omnia tangit (*inquit Gregorius M. hom.* 8. *in Ezecchielem*) nec tamen aequaliter tangit. Quaedam tangit, ut ſint: quaedam tangit, ut ſint, & vivant: quaedam tangit ut ſint, vivant, & ſentiant: quaedam tangit, ut ſint, vivant, ſentiant, & diſcernant. *Quae huc redeunt, hanc Dei per univerſum diffuſam, ac commeantem actionem, efficere, & ut ſint, quae ſunt, & ut quaedam vegetent, veluti herbae ac plantae, & ut alia ſentiant, quemadmodum bruta, alia intelligant, veluti homines, ceteraeque mentes. Una omnia haec Dei actio efficit. Sed haec actio quacumque patet mundus diffunditur, compenetrat ac permeat omnia, efficitque & ut fiant, & ut moveantur, diſponantur, operentur, idque ſecundum aeternas ſuae ſapientiae leges, quin tamen ullo modo cum rebus ipſis miſceatur. Porro haec actio Dei eſſentia & ſubſtantia eſt, quae non uno, aut altero coercetur loco, ſed ubique eſt & agit. Atque hi Theologi, qui in hac exteriori Dei actione ejus immenſitatem collocant, ſic ſtatuunt, antequam univerſum crearet Deus, immenſum fuiſſe* aptitudine, *non actu: ſed ejus fuiſſe naturae ut poſſet in omnibus eſſe & operari, non ut eſſet &*

Theorema maxima omnium Gentium conſenſione confirmari poteſt. Vide quae ſuper ea re ſcripſimus in prima parte Scholio propoſitionis 90., quaeque ibi eam rem quod attinet adnotavimus. Idem docent diſertiſſime Divinae Scripturae. Jeremiae 23.: *Nunquid non Coelum, & Terram ego impleo, dicit Dominus:* Paulus Actor. 17. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.*

& operaretur in iis, quae nondum eſſent.

Contra vero ſunt, qui Dei immenſitatem non in hac immenſa actione conſtituunt, ſed in ſui indiſtantia a rebus creatis, *a qua ſequatur actio illa univerſalis. Scilicet antequam intelligatur, Deum ubique agere, intelligendum, Deum eſſe ſua eſſentia & ſubſtantia* ubique diffuſum, *ut loquitur S. Auguſt. ep.* 57. *Ineſt ſcilicet ubique ſubſtantialiter: hinc conſequenter ubique agit. Atque hi etiam ante conditum Mundum Deum actu fuiſſe immenſum cenſent, licet nulla eſſet ejus actio* ad extra, *ut loquuntur in Scholis. Erat ſcilicet ipſe ſibi &* mundus & locus, & omnia, *inquit Tertullianus lib. adv. Praxeam cap.* 5.: *erat ipſe* ſibi pro mundo, *ut Minucius Felix in Octavio. Ceterum animadvertendum hoc in loco eſt, ne hanc Dei per omnia diffuſionem imaginari potius velimus, quam intelligere, aut ad modum diffuſionis ſubtilium corporum adumbrare:* carnali reſiſtendum eſt cogitationi (*inquit ſuper ea re Aug. ep.* 57.) & mens a ſenſibus corporeis avocanda, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut aer, aut lux iſta diffunditur: omnis enim hujuſmodi magnitudo minor eſt in ſui parte, quam in toto: ſed ita potius, ſicuti eſt magna ſapientia, etiam in homine, cujus eſt corpus parvum.

CAPUT III.

De proprietatibus Dei Spiritualibus, ac primum phyſicis.

Prop. X. DEus infinitam habet ſcientiam ſimplicis intelligentiae.

D. Scientia ſimplicis intelligentiae eſt comprehenſio poſſibilium ut poſſibilium (ex Schol. Def. II.); Deus autem omnia poſſibilia, ideſt infinita, comprehendit, quum eorum omnium in ſua eſſentia, potentia, & intelligentia rationes ſufficientes contineat (ex prop. 35. 1. p.); ergo infinitam habet ſcientiam ſimplicis intelligentiae. Vide Scholion citatae propoſitionis 35.

Prop. XI. Deus & praeſentia omnia Mundi entia, & futura comprehendit, adeoque infinitam habet ſcientiam viſionis.

D. Mundus hic a Deo factus eſt, & ab eo conſervatur (ex Theor. IV.); Totus ergo ab eo diſpoſitus eſt, ac perpetuo diſponitur, & agitur: Nam ratio ſufficiens exiſtentia alicujus rei eadem omnino eſt atque ratio ſufficiens ejus conſervationis; totus ergo Mundus mente Dei comprehenditur, niſi dicere velimus, tantum artificem, aut non intelligere, quod fecit, aut non praevidere quid facturus ſit. Eſt autem mundus compages rerum omnium, & quidem omnium locorum, omniumque temporum: mundi ergo individua omnia omnium locorum omniumque temporum Deus comprehendit, quia & ut futura eſſent, voluit, & voluit ut eſſent ordinata, & diſpoſita: ideſt quia & ut ſint, & ut ordinata ſint, & ut conſerventur, & pergant, ab eo tantum habent; haec vero eſt ſcientia viſionis (ex Schol. Defin. 2.); Deus ergo infinitam habet ſcientiam viſionis.

Schol. 1. Sed illud hoc in loco quaeri poſſet, *in quo medio* futura quum abſoluta, tum libera, & conditionata Deus cognoſcat? Nam poſſibilia in ſua natura, & eſſentia intelligere, procul omni dubio eſt. Metaphyſici in varias

varias iverunt opiniones. Fuerunt quibus placuit, in *aeternitate* futura a Deo praevideri: haec enim futura alicui aeternitatis puncto coexiſtere debent; tota vero aeternitas coexiſtit Deo, velut in puncto indiviſibili; in hac ergo aeternitate futura praeſcit Deus. Quemadmodum ſi dicamus totum circulum in uno coarctari centro, neceſſe eſt ut quaecumque circulo ipſo comprehenduntur, comprehendantur centro. Sufflaminat hanc opinionem vir doctus Dionyſius Petavius (a). Qui enim ita diſſerunt, non animadvertunt, non poſſe dici proprie futura praeſentia eſſe, & totam aeternitatem unum inſtans, ſed tropice tantum; non enim energia, inquit, ideſt non actu, ſed δύναμει, ſeu potentia, res futurae Deo praeſentes ab aeterno dicuntur. Dicere vero res futuras quandam habere ab aeterno realitatem, utcumque dici, ac ſermone pronunciari poteſt (inquit idem Dionyſius Petavius) intelligi vero, quum dictum ac pronunciatum ſit, omnino non poteſt. Quo modo dici quidem poteſt unico indiviſibili centro circulum comprehendi, intelligi autem nullo modo poteſt: nam nec circulus ille eſt, quem unico puncto definiri concipio; nec eſt hoc punctum, ſi circulo eſt aequale. Veteres Scholae Theologi in eo omnes concordabant mirifice, in ſe ipſo Deum, & in ſuis ideis omnia, non modo poſſibilia, ſed etiam futura cognoſcere. Ea veſtigia preſſerunt B. Thomas, B. Bonaventura, & Alexander Alenſis; e recenſioribus vero Cardinalis Cajetanus. Sed haec ſententia minime efficit ut intelligamus, qui Deus futura libera cognoſcat priuſquam fiant: nam id eſt dicere Deum cognoſcere haec futura in ſuis ideis, atque Deum cognoſcere in ſua ſcientia, ideſt cognoſcere quia cognoſcit, quae *battologia* eſt mera. Itaque non explicant illud, quod quaeritur, qui poſſit Deus futura libera, quae indeterminata ſunt, aut ut talia concipiuntur, certe & determinate cognoſcere.

(a) *Lib.* IV. *de Deo cap.* 5.

2. Quare ii veriſimilius philoſophantur, qui in ſuis aeternis decretis haec Deum intelligere docent. Futura enim omnia cujuſcumque generis ad Mundum pertinent. Mundi autem *futuritio*, ut loquuntur, a Dei voluntate, ſeù decretis, eſt: voluntate enim Dei fit, ut individua Mundi de mere poſſibilibus evadant futura: in hac ergo ſua aeterna voluntate, ſeù in ſuis aeternis decretis, futura omnia videt Deus. Illud interim habet haec doctrina difficultatis, ut minus illa videatur componi cum rerum futurarum *contingentia*, ut vocant, & mentium libertate. Itaque factum ut veteres quidam Theologi dixerint, non Dei ſcientiam eſſe cauſſam determinantem futura libera, ſed haec illam. Ita praeter alios Auctor reſponſionum ad qu. orthodoxas ad qu. 58. & quandoque etiam Auguſtinus. Hinc uſurpatum hoc in Scholis, *futura non ideo futura, quia praeſcita, ſed quia futura praeſcita*. Qui niſi ita intelligant, futura, quia Dei voluntate decreta, & quia decreta praeſcita, ii profecto in Natura merum caſum inducunt, id quod acute animadvertit Boëthius (*a*). Sed eam nos rem ſaepe alias diſputavimus. Illud Boëthii ejuſdem hic appoſite memoriae revocandum eſt, *cauſam caliginis hujus eſſe, quod humanae ratiocinationis motus ad divinae praeſcientiae ſimplicitatem non poteſt admoveri*. Itaque his de rebus parce diſputandum eſt, ne mentis noſtrae limites excedamus. In omnibus enim quaeſtionibus, quae naturam Dei ſpectant, meminiſſe ſemper debemus, & naturam Dei undique eſſe infinitam, ac incomprehenſibilem, & mentem noſtram finitam eſſe atque breviſſimam.

3. Fuere quidam, qui ut in hac re exitum reperirent, univerſalem tantum, non etiam ſingularium Deo ſcientiam tribuerunt. Alexander Aphrodiſaeus, Themiſtius, Averroes, Deo *ſpecierum* tantum rerum mutabilium, non etiam individuorum ſcientiam tribuunt; unde efficitur, ut ſpecierum iſtarum cu-

ram

(a) *De conſolat. lib.* v. *proſa.* 3.

ram habere Deus poſſit, non item individuorum, quaſi ſpecies quidquam *reale* ſint, ſi ab individuis diſceſſeris. Averrois verba ſunt (*a*). *Sollicitudo divina non eſt circa ſingularia, quoniam ipſa ſunt infinita, quae cognitioni repugnant*. Momentoſum quibuſdam hoc videtur. Conſtat poſito ente aliquo ex. gr. A. infinita ſimilia eſſe poſſibilia. Poſitis ergo infinitis A. tum eodem argumento conficietur infinities infinita A. eſſe poſſibilia. Ac item his poſitis erunt poſſibilia infinities infinities infinita. Ita concludere ſibi videntur, individua haec minime eſſe cognoſcibilia. Inde Platonicum illud Ariſtoteli & Ariſtoteliis probatum, *ſcientia eſt de aeternis & univerſalibus*, quod Scholaſtici adoptaverunt, quin viderent nec unde oriretur, nec quo proreperet. Recentium Ariſtoteliorum Pomponatius in 11. libro de Fato, Libero Arbitrio, & Praedeſtinatione (*b*) veteribus adhaerere videtur, contenditque ſcire ſingularia non eſſe perfectionem ſcientis, idque Ariſtotelis, ut ſolent iſti, auctoritate fulcit. Ac licet ſub ejus loci finem id refutare aggreditur; iis tamen rationibus efficit, ex quibus facile quilibet intellexerit fucum velle lectoribus facere: ineptiſſimae enim ſunt & pueriles.

4. Sed nihil excogitari potuit nec magis cum Dei natura pugnans, nec minus rerum ipſarum, de quibus agitur, conſentaneum. Nam profecto pugnat cum divina Natura, eſſe Deum primam univerſi cauſam, nec tamen ad ſingularia quoque ejus vim & curam pertingere. Tum nihil eſt exploratius, quam has ipſas res mutabiles infinita arte & ſapientia eſſe conſtructas, ipſaſque earum mutationes artem quoque & ordinem ſequi. Omnium ergo & ſingulorum Deus eſt cauſa. Sunt igitur omnia determinata Dei voluntate & decreto; ac propterea omnia Dei intelligentia continentur. Quod ſi id minime intelligere videamur, recolendum

L 3 eſt

(a) XII. *Metaph.* 51.
(b) *Cap.* I.

Digitized by Google

eſt id, quod ſaepe diximus, mentem noſtram longe imparem eſſe Dei naturae metiendae, ac de ea balbutire nos magis ex ideis rerum noſtrarum, quam ex certis exploratiſque regulis diſſerere. Inepta eſt haec temeritas, nihil velle ne in natura quidem Dei, quod e ratione noſtra dimetiri nequeamus, quum ſint ſenſibus noſtris & experimentis infinita quotidie ſubjecta, quae expedire nullo modo poſſumus.

5. Dionyſius Petavius (*a*) quinque demonſtrat eſſe propria ſcientiae divinae. I. ſcientiam Dei non eſſe qualitatem, vel accidens aliquod adveniens ſubſtantiae ſed ipſam ſubſtantiam, quae tota intellectio eſt, & *tota animi, tota animus*, ut loquitur Plinius. II. Scientiam Dei nequaquam ex rebus ipſis duci atque hauriri, ſed ex ſeſe, ac natura ſua, & in ſe ipſo Deum omnia cognoſcere. III. Unicam & ſimplicem eſſe, nec multiplicem, qualis eſt noſtra. IV. Mutabilem, & variabilem non eſſe. V. Eſſe cauſſam omnium rerum. Quae quinque paullo fuſius ſunt a nobis explicanda.

6. Quod ad primum attinet, quum Deus ſit mens ſimpliciſſima, & immutabilis, ejus ſcientia eſſe accidens nequit: accidentia enim non inſunt, niſi in rebus compoſitis, aut mutabilibus. Hinc protritum eſt in Scholis illud Beati Auguſtini in VII. de Trinitate, *Deo idem eſt eſſe, ac ſapere*. Revera quidquid aeternum eſt, Deus eſt, quum extra Deum nihil ſit aeternum: quidquid autem Deus eſt, una eſt Dei ſubſtantia ſimpliciſſima; ergo quoniam ſcientia Dei aeterna eſt, non poteſt eſſe niſi ipſa Dei ſubſtantia. Nec opponas, ſcientiam Dei eſſe actionem, atque intelligi non poſſe actionem eſſe ipſam ſubſtantiam: nam ut perſpecte obſervat B. Thomas (*b*) *Dei intelligere non eſt operatio exiens ab ipſo operante, ſed manens in ipſo, adeoque non poteſt eſſe niſi ipſa Dei ſubſtantia*. Eae tantum actiones ſubſtantiae eſſe non poſ-

(a) *Cap.* I. §. V.
(b) *Qu.* XVII. *primae part. art.* IV. *ad* I.

Digitized by Google

poſſunt, quae non manentes ſunt, ſed tranſeuntes.

7. Alterum ex eo patet, quod quum tantum Deus ſit aeternus, ejuſque ſcientia non ſit accidens, ſed ipſa Dei ſubſtantia, non potuit a rebus extrinſecis proficiſci, non magis quam Dei ipſius natura. Quocirca ſententia Platonis *de aeternis exemplaribus extra Deum exiſtentibus, quae Deus intuebatur, dum Mundum efficeret*, perfectiſſimae naturae divinae repugnat. Nam quemadmodum Ariſtoteles argumentatur, ideae extrinſecus advenientes intellectum perficiunt: ergo ſi Deus extrinſecus acciperet ideas, ſeu exemplaria rerum, extrinſecus perficeretur, quod dici non poteſt. Itaque recentiores Platonici ab ea ſententia deſciverunt, conatique ſunt probare, ideas illas eſſe in natura ipſa Dei inſitas, ac Platonem in meliorem ſenſum interpretari. Plotinus (*a*) *Praeterea*, inquit, *ſi neceſſe eſt mentem eſſe univerſi hujus artificem, illa certe rerum archetypa, non iſta facta intelliget, ut ipſum producat. Igitur ante mundum illa ſint oportet, non tanquam figurae impreſſae ab aliis, ſed ut archetypa & prima, & ut ipſa mentis ſubſtantia*. Subtiliſſime quoque ea de re diſputat Auguſtinus (*b*): eo in loco verbum Dei appellat, *artem omnipotentis Dei, atque ſapientis, plenam omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, ſicut ipſa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus, quae fecit per ipſam: & ideo quum decedant, & ſuccedant tempora, nec decedit aliquid, nec ſuccedit ſcientiae Dei*. Legatur & B. Thomas.

Praeterea ex eo, quod Deus totus intellectio eſt, quodque omnia in ſe ipſo intelligat aeterna intelligentia, ſequitur omnia ſimul videre, atque idcirco ejus ſcientiam non multiplicem eſſe, ſed unicam & ſimplicem, quemadmodum unica eſt, & ſimplex ejus

(a) *Enneade* v. *lib*. IX. *cap*. 5.
(b) *Lib*. VI. *de Trinit*. *cap*. X.
(c) I. *part*. *quaeſt*. 14.

ſubſtantia. Acute Ammonius (*a*), *Deos*, ait, *omnia cognoſcere praeterita*, *praeſentia*, *&* *futura*, *ſed eo modo*, *qui Deo conſentaneus eſt*, *ideſt una*, *&* *determinata*, *&* *immutabili ſcientia*.

9. Quarta proprietas ſcientiae divinae eſt immutabilitas. Scientiam autem Dei eſſe immutabilem ex iis, quae ſuperius dicta ſunt, conſequitur manifeſto: nam quum cientia Dei non ſit accidens ab eſſentia diſtinctum, ſed ipſa Dei eſſentia, & ſubſtantia: non minus eſt immutabilis, quam Dei ſubſtantia. Praeterea quum Deus ſcientiam ſuam non extrinſecus hauriat, ſed in ſe ipſo intelligat omnia, rerum mutationes nihil officiunt immutabilitati ſcientiae divinae. Accedit auctoritas Scriptorum Sacrorum, qui paſſim docent, Deum non mutari, nullas eſſe apud Deum viciſſitudines, omnia ejus oculis ab aeterno nuda & aperta fuiſſe, quae omnia comprobant divinae ſcientiae immutabilitatem. Sed, inquiunt, quum omnes res mundanae mutabiles ſint, ſi ſcientia Dei eadem ſemper eſt, quae fuit ab aeterno, jam Deus mundana haec non intelligit. Reſpondemus Deum ab aeterno, non tantum primas mundi ſubſtantias, verum etiam omnes earum poſſibiles combinationes, & mutationes intellexiſſe. Omnia mundana, quae aut mutantur, aut mutabilia ſunt, immutabiliter ſcripta ſunt in Dei ideis aeternis.

10. Ultima divinae ſcientiae proprietas eſt, ut ſit cauſſa eſſentiae, & poſſibilitas rerum omnium, quemadmodum divina voluntas cauſa eſt, cur res futurae ſunt, aut exiſtunt. Itaque Sapientiae 8. v. 21. Dei Sapientia vocatur *omnium artifex*. Nimirum eae ſunt eſſentiae rerum omnium, quas Deus ab aeterno intelligit, & intelligens intelligibiliter creat. Eleganter Auguſtinus (*b*), *Univerſas*, inquit, *creaturas ſuas & ſpirituales*, *&* *corporales*, *non quia ſunt*, *ideo novit Deus*, *ſed ideo ſunt*, *quia*

(a) *Comment. in lib. Ariſt. de Interpret.*
(b) *Lib.* XV. *de Trinit. cap.* 13.

Digitized by Google

quia novit. Et (*a*); *ex quo*, inquit, *occurrit animo quidam mirum*, *ſed tamen verum*; *quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet*, *niſi eſſet*: *Deo autem niſi notus eſſet*, *eſſe non poſſet*. Eadem de re praeclare Boetius (*b*) Deum alloquitur.

. . . . . . Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo: *pulchrum pulcherrimus ipſe*,
Mundum mente gerens, *ſimilique imagine formans*,
Perfectaſque jubens perfectum abſolvere partes.

Uſus doctrinae de ſcientia Dei magnus eſt in vita morali. Nam qui recolit animo, Deum inſpectare omnia, etiam intimas cordis latebras, ſub Deo perfectiſſimo, & omniſcio nolit profecto eſſe impurus, ſed omnes actiones ſuas ad juſtum, & honeſtum componet.

Prop.XII. Nihil Deus efficit ad extra, niſi voluntate, & quidem plena libertate.

D. Nihil Deus efficit ad extra vi extrinſeci & antecedentis fati impulſus; quippe nullum eſt hujuſmodi Fatum (ex prop. 13. PP.): nec quidquam ad extra efficit naturae ſuae neceſſitate motus, ideſt fato ſpinoziſtico (ex prop. 74. p. p.); ergo nihil efficit ad extra, niſi ſeſe ipſe & quidem liberrime determinet; ergo liberrime, & plena quidem libertate.

Schol. Enim vero quum Deus ſit aeternus, & independens, a nulla exteriori cauſſa cogi poteſt. Nec vero naturae ſuae neceſſitate poteſt impelli; nam tota Dei natura in se eſt, & in se terminatur: perfectiſſima eſt, & beatiſſima: ſibi ſufficientiſſima; non ergo neceſſario ferri poteſt, niſi in se ipſam tantum. Quid? impelletur ne illa neceſſario a poſſibilibus? Sed quum poſſibilia haec nullam habeant ab aeterno realem exiſtentiam, ſed tantum idealem; nec habeant eſſentiam, & bonitatem infinitam; nequeunt naturam infinitam neceſſario permovere. Itaque nulla ex parte haec in Deo neceſſitas fingi poteſt. Sed

(a) *Lib*. XI. *de Civit*. *cap*. 10.
(b) *Lib*. III. *de Conſolat*. *Philoſoph*. *metr*. 9.

Digitized by Google

Sed quaeritur, quum ſit immutabilis, qui poteſt eſſe liber? nempe libertas in Deo eſt potentia ex ſua ratione, & voluntate, non invite, quodcumque libuerit agendi. Quum autem perfectiſſima in eo ſit ratio, perfectiſſima quoque erit voluntas: adeoque, ut eodem modo ſemper intelliget, ita eodem modo ſemper volet; ac propterea erit immutabilis, & liber.

Caeterum cavendum eſt Philoſopho, ne ex notionibus voluntatis, & libertatis noſtrae de voluntate, & libertate Dei diſſerat. Meminerit egregii illius Auguſtini dicti; *multa divina iiſdem nominibus (ac humana) appellantur, cum incomparabili diverſitate ſejuncta ſint* (*a*). Sunt autem voluntatis noſtrae quidam defectus, qui longe abſunt a Dei natura perfectiſſima. Ex. gr. I., quod non omnia ſimul volumus: II. quod non eadem ſemper: III., quod bonum apparens plerumque vero bono praeferimus. IV., quod plerumque ſuſpenſi haereamus. V., quod non ſolum bonum bono, minus majori, verum etiam bono malum interdum praeferimus. Qui defectus in nobis proveniunt partim ex imbecillitate rationis, partim ex naturae mutabilitate; ii ergo nequeunt eſſe in Deo, qui ſcientiam habet perfectiſſimam, & immutabilem, ac perfectiſſimam, & immutabilem naturam.

Prop. XIII. Deus eſt potentiſſimus.

D. I. Deus eſt quicquid eſſe poteſt; quippe neceſſitate naturae ſuae exiſtens; quum autem ſit ens actuoſum & potens, neceſſe eſt ut totam poſſibilem potentiam habeat; eſt ergo potentiſſimus. II. In Deo debet eſſe ratio ſufficiens eorum omnium, quae fieri poſſunt; ergo facere poteſt ea omnia, quae fieri poſſunt. Haec autem eſt omnipotentia (ex def. 3.) Deus ergo eſt omnipotens. III. Haec rerum univerſitas neque aeterna eſt, neque per eſſentialem emanationem a Deo profluens, ſed per creationem ex nihilo educta (ex demon-

(a) *In* II. *Lib. ad Simplicianum qu.* 2.

monſtratis in P. P.); creatio autem ex nihilo exigit infinitam potentiam; Deus ergo eſt omnipotens.

Schol. Solent hoc in loco duae quaeſtiones a Metaphyſicis agitari. I. an Deus efficere poſſit plura, quam efficit. Altera, facere ne poſſit meliora? Fataliſtae primum negant, quippe qui docent, & Deum omnia ſimul facere, quae poteſt; & nihil poſſe, quod non efficiat: ideſt divinam potentiam eſſe totam in actu.

Utrumque autem falſum eſt aperte. Principio, ſi omnia ſimul, quae poteſt, efficeret Deus, nulla eſſet entium in univerſo ſucceſſio, nullae ſeries, ſed univerſum eſſet compages entium tantum permanentium. Deinde quum Deus ſit infinita potentia praeditus, quodlibet ens, quod Deus efficit, eſſet totum id, quod ex potentia Dei eſſe poteſt, ideſt infinitum: quilibet homo ex. gr. eſſet quidquid ex Dei potentia eſſe poſſet. Quod quum ſit falſum; patet, Deum non omnia efficere, quae poteſt, ſed ea tantum, quae rationes Sapientiae Divinae exigunt.

Tum dato uno poſſibili poſſibilia ſunt infinita ſimilia, ut dato uno homine infinitus hominum numerus poſſibilis eſt: omnia autem poſſibilia poteſt Deus: ergo ſi omnia efficeret, quae poteſt, exiſterent infinita omnium entium genera, infinitae infinities generum ſpecies, infinities infinita ſpecierum individua. Id autem eſſet non univerſum ordinatum efficere, ſed chaos confuſum. Praeterquamquod tam eſt id impoſſibile ex parte rerum ipſarum, quam eſt impoſſibile exiſtere plura infinita extenſa ſolida ſimul.

At enim, intellectus & voluntas Dei ſunt totae *actu*; ergo tota *actu* potentia. Reſpondemus, intellectum, & voluntatem Dei eſſe actiones interiores, quaeque interius ac in natura ipſa Divina totae terminantur, ac proinde neceſſarium eſſe, ut ſint totae ſimul. Contra vero potentia eſt actio, quae in exterioribus terminatur; itaque neceſſe non eſt, ut ſit tota ſimul in eo ente, quod ſibi & ut ſit, & ut beate ſit ſufficientiſſimum eſt, quodque idcirco nulla vi extrinſecus rapi poteſt.

Quod

Quod ſpectat ad ſecundam quaeſtionem, Leibnitius, & Wolfius cenſent, ex omnibus poſſibilibus Mundis hunc, qui exiſtit, eſſe optimum; adeoque non poſſe Mundum a Deo creari meliorem, ſeu perfectiorem. Demonſtrant vero eſſe optimum, quia talis eſt Dei natura, ut ex bonis ſemper melius ſequatur: neque enim regulae Divinae ſapientiae patiuntur, ut Deus melius bonorum minori poſtponat.

Sed diſtinguendum eſt inter perfectionem, quae deſumitur a fine, atque idea, & perfectionem, quae dimetitur a numero, & intenſitate proprietatum realium. Primo modo accepta perfectione omnes Mundi poſſibiles ſunt aeque perfecti, & boni: quia neceſſe eſt ob infinitam Dei ſapientiam, & potentiam, ut omnes ſuis ideis, & finibus aeque reſpondeant. At ſecundo modo ſumta voce perfectionis, quoniam proprietates reales ſingulorum Mundi entium, & numero, & intenſitate ſemper ac ſemper augeri poſſunt; Mundus hoc ſenſu ſemper ac ſemper perfectior fieri poteſt: nam ea eſt rerum finitarum natura, ut ſemper hoc ſenſu perfectiores, & perfectiores fieri poſſint. Quod ſi quis nunc quaerat, cur hoc poſterius Deus non efficiat? Is nimia curioſitate in ſecretas Providentiae Divinae rationes inquirit.

Prop. XIV. Deus non poteſt moraliter efficere, quod ſuis attributis, praeſertim bonitati, & ſapientiae, adverſatur.

D. Deus eſt ens ſimpliciſſimum, & immutabile; ergo nullum ejus attributum alteri adverſatur: itaque voluntas ejus & potentia non poſſunt eſſe contraria ejus ſapientiae, bonitati, ſanctitati, juſtitiae, caeteris; nec proinde ea efficere, quae his attributis adverſantur.

Schol. Animadvertendum vero eſt, id non eſſe ex defectu potentiae phyſicae, ſed potius ex ejus infinita, & immutabili perfectione: neque enim infinita, & immutabilis eſſet Dei perfectio, ſi Deus poſſet mentiri, injuſte, crudeliter, impotenter agere, peccare: haec enim imbecillitatis ſunt, ignorantiae, naturae mutabilis.

Prop.

Prop. XV. Deus eſt providentiſſimus.

D. Cuncta, quae exiſtunt, a Deo ſunt facta, atque ordinata, itaut Mundus hic ſit magnum ſyſtema ex parvis aliis compoſitum, atque mirifico ordine digeſtum. Eodem ordine, quo ſunt facta, perpetuo conſervantur, & quidem ex ſingulorum praeſcientia (ex demonſtratis); ea autem eſt providentia (ex Def. IV.); Deus ergo providentiſſimus eſt.

Schol. 1. Confirmant id res naturae omnes, quarum nulla eſt, quae non ſit velut machina ex aliis machinulis contexta, itaut ſingulae ad communem quemdam finem factae intelligantur, ad quem pergunt, quem conſequuntur; quod ſine directione ſupremae cujuſdam mentis nec eſſe, nec concipi poteſt. Vide dicta in Schol. generali capitis I.

2. Ad haec accedunt argumenta alia deſumta aut a natura humana, aut a natura civilium ſocietatum. Ut hoc in loco nihil dicam de natura hominis phyſica, quae aperte Dei providentiam praedicat; certe regnorum ortus, & interitus, rerum humanarum viciſſitudines, & periodi, etiam contra conatus prudentiſſimorum hominum, miracula, quorum teſtes extant omni exceptione majores, prophetiae, & id genus multa, clariſſima ſuppeditant providentiae Divinae argumenta, quae ex hiſtoriae humanae lectione quivis colligere poteſt. Accedit quoque omnium nationum univerſalis, & perpetuus conſenſus. Antiquiſſimi Graeciae Poëtae ſingulis ferme paginis divinam providentiam praedicant. Jovis voluntate omnia fieri, ſaepiſſime canit Homerus, qui & illud ſubinde uſurpat Θεὸς διὰ πάντα τελέυται, ideſt *Deus perficiebat omnia*; apud Deos eſſe ſummam bonorum malorumque canit Heſiodus verſ. 1438.: *Quid enim abſque Jove a mortalibus perficitur? quid horum Juppiter non gubernat?* Idem canit Ennius vetuſtiſſimus Latinorum Poeta. *Quod niſi ita eſſet* (ſunt verba Tullii) (a) *qui potuiſſet aſſenſu communi dicere* *En-*

(a) *Lib. I. de nat. Deor.*

Digitized by Google

Ennius, *aſpice hoc ſublime candens*, *quem invocant omnem Jovem?* Vigilius quoque (*a*).

. . . . . O qui Rex hominumque, *Deumque*
AEternis regis Imperiis, *&* *fulmine terres*.

Idem nobiliſſimi Philoſophi docuerunt, Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Stoici. Democritici tantum, & Epicurei adverſus omnium hominum, & naturae vocem pertinaciſſimi fuerunt. Nempe jugum divinae legis formidabant, ac excutere volebant homines voluptuoſi & perditi. *Impoſuiſtis*, inquiunt, *cervicibus noſtris ſempiternum dominum*. *Quis enim non timeat omnia providentem*, *&* *cogitantem*, *&* *animadvertentem*, *&* *omnia ad ſe pertinere putantem*, *curioſum*, *&* *plenum negotii deum?* Hinc illae lacrumae! His accedit conſenſus omnium præſentium, etiam barbararum Nationum (*b*).

Duo adverſus hoc theorema oppoſuere olim Epicurei. Primum Providentiam pugnare cum Dei beatitudine. *Nam quod aeternum & beatum eſt* (inquit Lucilius Epicureus apud Ciceronem) (*c*) *id nec habere ipſum negotii quidquam*, *nec exhibere alteri: itaque neque ira affici*, *neque gratia teneri*, *quod quae talia eſſent*, *imbecillia eſſent omnia & mutabilia*. *Deum vero quid niſi quietum dicere licet? at ſi Deus regit curſus Aſtrorum*, *mutationes temporum*, *rerum viciſſitudines*, *ordineſque conſervat*, *terras & maria contemplans hominum commoda vitaſque tuetur*, *nae ille eſt implicitus moleſtis negotiis*, *&* *operoſis*. Sed puerile illud eſt argumentum: Deus enim qui pura mens eſt, quique infinita ſapientia, & potentia praeditus eſt, cujus ſapientia, potentia, voluntas unum idemque ſunt, ut ſine ullo negotio atque ſollicitudine omnia intelligit, ita eadem tranquillitate omnia vult, & volendo continet gubernatque. Nae igitur Epicurei ſtulti, qui Divina humanis metiuntur.

Alte-

(a) *Lib.* 1. *v.* 234.
(b) *Vide Huet. q. Alnet.*
(c) *In* 1. *de Nat. Deor.*

Digitized by Google

Alterum eſt hujuſmodi: ſi eſt providentia, cur boni homines miſeria affliċtantur, mali felicitate gaudent? Vetus eſt haec quaerela, quam in libris Hebraeorum, Graecorum, & Latinorum ſaepe audias. Hinc illa apud Auċtores Veteris Teſtamenti, *cur via impiorum proſperatur?* & *Zelavi pacem videns peccatorum: quaſi commotus eſt pes meus*. Diogenes Cynicus dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis per plurimos annos Pirata fuit, multoſque expoliavit, & occidit, felix ad extremam uſque ſeneċtutem, *contra Deos teſtimonium dicere*. Dionyſius Tyrannus Syracuſanus quum templum Proſerpinae Locrenſis expilaviſſet, hinc ſecundiſſime renavigaverat Syracuſas, *videtis ne*, inquit, *amici quam bona a Diis immortalibus navigatio ſacrilegis detur*. *Thelamon autem* (ſunt verba Cottae apud Ciceronem) *uno verſu locum hunc totum confecit, cur Dii hominis negligant: nam ſi curent bene bonis, male malis, eſt quod nunc abeſt: ſcilicet debebant illi quidem omnes bonos afficere, ſiquidem hominum generi conſulant: ſin id minus, bonis certe conſulere debebant*.

Reſpondemus 1. id non ſemper verum eſſe: nam ſceleratorum infelices exitus magnam faciunt hiſtoriae humanae partem. Deinde quamquam quidam videantur in ſceleribus felicem vitam degere, tamen ſi peċtora pandantur, fortaſſis omnium miſerrimi adpareant. Parva ne miſeria eſt ſcelerum conſcientia dilacerari, quae ultio prima eſt & maxima! Praeterea non ſemper qui adparent boni, revera boni ſunt: ob occulta peccata poenis affici poſſunt. Sed demus tantiſper, bonos homines miſeria affliċtari, eſſe id poteſt, magnum bonitatis Dei & Providentiae argumentum, ſi hujuſmodi malis aut purgentur a veteribus criminibus, aut inſtituantur ad virtutem. Praeclare Auguſtinus (a). *Placuit quippe Divinae providentiae praeparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excru-*

(a) *Lib.* 1. *de Civit. cap.* 8.

excruciabuntur boni. Iſta vero temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia: ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.

Intereſt autem plurimum, qualis ſit uſus vel earum rerum, quae proſperae, vel earum quae dicuntur adverſae. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo hujuſcemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Oſtendit tamen Deus ſaepe etiam in his diſtribuendis evidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc peccatum manifeſta plecteret poena, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla eſſe providentia Divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemque ſi omnibus eas petentibus daret, non niſi propter talia praemia ſerviendum illi eſſe arbitraremur; nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos & avaros. Haec quum ita ſint, quicumque boni & mali pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt quod utrique perpeſſi ſunt. Manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum; & licet ſub eodem tormento, non eſt idem virtus & vitium.

Eſt autem hoc in loco animadvertendum, murmurationes ferme omnes humanas adverſus providentiam Dei ex falſa univerſi ac noſtri natura originem habere. Nam plerique omnes ita ſibi perſuaſere, ſui tantum ergo Mundum a Deo oportere eſſe creatum. Inde conficiunt, nihil in univerſo eſſe debere, quod felicitati ſuae faciendae non ſerviat. Quumque id tum falſum eſſe intelligant, cum plurimis naturae malis affliguntur, rurſus in id convertuntur, aut Mundum nulla providentia regi, aut non ab uno bono Deo gubernari. In quo toto ratiocinio pluries illi & turpiſſime hallucinantur. Nam Deum hominum felicitatem velle, id omni vacat dubio: ſed noſtri tantum ergo Mundum eſſe conditum, id vero eſt, in quo de nobis quidem arrogan-

tiſ-

tiſſime, de Univerſo vero imperitiſſime judicamus. Si totam rerum univerſitatem, ejuſque genericum finem plene intueri poſſemus, nec de nobis tam ſuperbe, nec tam abjecte de Dei operibus ſentiremus. Intelligeremus enim ea ipſa, quae nos mala, & ordinis perturbationes appellamus, omnia eſſe ſapientiae, ac propterea bonitatis Dei plena. Providentiae Divinae accuſatoribus judicium ſuper hac re hominis inſenſiſſimi Divinitatis hoſtis proferam: nequit hoc illis eſſe ſuſpectum, Spinoza enim in Tract. Polit. ſic ſcribit. *Quidquid ergo nobis ridiculum, abſurdum, aut malum videtur, id inde eſt, quod res tantum ex parte novimus, totiuſque naturae ordinem & cohaerentiam maxima ex parte ignoramus, & quod omnia ex praeſcripto noſtrae rationis ut dirigerentur volumus. Quum tamen id quod ratio noſtra malum eſſe dictat, non malum ſit reſpectu ordinis, & legum univerſae Naturae, ſed tantum ſolius noſtrae naturae legum reſpectu* (a).

CAPUT IV.

De Attributis Dei Moralibus,

Prop. XVI. **Deus nullis affectibus animalibus, ſeu naturae commotionibus, ideſt affectibus proprie dictis, obnoxius eſt.**

D. Nam affectus hujuſmodi argumentum ſunt naturae mutabilis, & alicujus externi boni indigentis, ideſt non infinite perfectae (ex Prop. 57. II. P.); eſt autem Deus natura immutabilis, & perfectiſſima (ex ſupra demonſtratis); hujuſmodi igitur affectibus minime ſubjectus eſt.

Schol. Conſulto dixi *affectus animales*: nam, utcumque minus proprie, duo affectuum genera diſtingui poſſunt, ut alii ſint naturae commotiones, & agitationes,

(a) *Cap.* 2. §. 8.

Digitized by Google

quos brevitatis gratia *animales* voco ; alii rationis decreta, ex quibus effecta bona, vel mala conſequantur, quos *rationales* dicere poſſumus . & primos quidem affectus ſempiternae & perfectiſſimae naturae nullo modo convenire poſſe, perſpicuum eſt . I. Non eſſet illa immutabilis & ſimpliciſſima, ſi hujuſmodi affectibus agitaretur . II. Neceſſe eſſet illam aut indigere bonorum externorum, in quae hujuſmodi commotionibus raperetur (affectus enim animales ſunt naturae impetus vehementiores in ea bona, a quibus perfici poſſe putamus); aut ea timeret, ſi inde ab illis averteretur . Ceterum utrum etiam affectus rationales, qui ſine com motione naturae ſunt, reſpuat perfectiſſima illa natura, id nunc diſquirendum eſt . Affectus iſti ad duas etiam claſſes referri poſſunt, ut alii ſint cum voluptate conjuncti, alii cum dolore.

Prop. XVII. Deo tribui nequunt affectus rationales, qui cum dolore conjuncti ſunt, ut odium, ira, invidentia, zelotypia, timor, ſimiles.

D. Primum: hujuſmodi affectus ſunt argumenta naturae indigentis, minime potentiſſimae, aliquid ſibi timentis, ut per ſe eſt manifeſtum; ergo nequeunt Deo proprie convenire. Deinde hujuſmodi affectus, ſi proprie accipiantur, pugnant cum natura beatiſſima, qualis eſt Deus.

Schol. At enim in Divinis Scripturis tribuuntur Deo ira, & odium, item zelotypia, triſtitia, dolor intrinſecus, poenitentia &c. Reſpondemus, & Scripturas Divinas multa de Deo dicere humano ſenſu, & loqui linguam filiorum hominum, ut poſſint ab hominibus intelligi: quae omnia incommutabiliter ſunt interpretanda, & conſentanee Divinae Naturae. Sic quum Scriptura memorat oculos Dei; pedes Dei, manus Dei: quum dicitur Deum deſcendere, aut adſcendere, ea omnia rationaliter capienda ſunt, non carnaliter, inquit Auguſtinus. Ira, quae in Scripturis tribuitur Deo, nihil aliud eſt, quam decretum rationis Dei, quo irrogatur poena peccato, ut loquitur idem S. Auguſtinus. Poeni-

Digitized by Google

tentia item eſt voluntas Dei, qua quod factum eſt, ne amplius ſit, vult, ſed vult incommutabiliter, & ſempiterne. Quae actiones contra leges Dei fiunt, aut homines, qui faciunt, dicuntur odio eſſe Deo, quia ſecundum decreta Dei ſunt puniendi. Ita caetera humano more dicta, ut facilius ab hominibus caperentur.

Prop. XVIII. Affectus rationales, qui cum voluptate conjuncti ſunt, in primis amor, recte Deo tribuuntur, ſed modo eminentiſſimo, ideſt ſine ulla naturae agitatione.

D. Nam hujuſmodi affectus cum nullo Dei attributo pugnant, & praeterea conſentanei ſunt naturae perfectiſſimae, & beatiſſimae; recte igitur Deo tribuuntur, ſed non ex noſtris notionibus, verum eminentiſſimo modo, & qui cum perfectiſſima Dei natura conſentiat.

Schol. Itaque Divinae Scripturae *Deum eſſe ignem*, ideſt amorem, & *caritatem* docent: *caritas eſt Deus*, inquit Johannes Apoſtolus in Epiſt. 1. Meliores quoque Philoſophi, in primis Platonici, id comprobant. *Deus* inquit Plato, *bonus eſt*, *&* *beneficus*. *Bonum*, inquit Pſeudo Dionyſius, *ſui eſt diffuſivum*: eſt autem Deus bonus, & optimus; ergo maxime ſui diffuſivus. Diffunditur autem per amorem, & beneficentiam; ergo plenus amoris eſt, & beneficentiae.

Caeterum hoc eſt maximum inter amorem Dei, & hominum diſcrimen, quod in nobis amor ab extrinſeca bonitate & pulchritudine accenditur, eſtque boni, & pulchri effectus, qui nos in externa rapit objecta, velut naturae & felicitatis noſtrae complementa: in Deo vero ex intrinſeca ſui bonitate & pulchritudine exiſtit, illi eſſentialis, atque idem ſemper, & immutabilis cauſſa totius bonitatis, & pulchritudinis, quae eſt in univerſo.

Prop. XIX. Quum Deo tribuuntur virtutes morales, nequeunt ei tribui ex rerum noſtrarum ideis, ſed eminentiſſimo modo, ideſt naturae infinitae, & immutabili conſentaneo.

D. Virtutes in hominibus morales ex oppoſitione vitio-

tiorum aeſtimantur, juſtitia ex injuſtitia, fortitudo ex imbecillitate, patientia ex animi impotentia, bonitas ex malitia. Praeterea virtutes in nobis exercitatione acquiruntur actuum: ad haec, nunquam perfectiſſimae ſunt, & immutabiles; ergo non poſſunt ex ideis noſtris divinae Naturae tribui, quin tota evertatur. Quocirca quum dicitur, patiens eſt Deus, cave putes, eum mala ſentire, & ferre, quae in nobis eſt patientia, & fortitudo. Praeterea quum dicitur, juſtus eſt Dominus, cave putes, aut ex ſuperiori lege ejus juſtitiam aeſtimari, aut quidquam ex jure, & rigore ulli debere, quibus binis notionibus juſtitia in nobis definitur. Similia eundem in modum accipe.

Prop. XX. Deus non poteſt velle miſeriam creaturarum rationalium; quin mereantur.

D. Velle miſeriam creaturarum rationalium, quin mereantur, aut irae eſt, aut odii, aut malignitatis naturae, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum; talia vero in Deum non cadunt (ex ſuperioribus); ergo Deus nequit miſeriam velle creaturarum rationalium, niſi ipſae mereantur. Praeterea Deus amor eſt, & ſui diffuſivus (ex prop. XVIII.); creaturae rationales opus ſunt Dei, quas idcirco non poteſt non amare, & bonitatem ſuam in illas velle effundere, praeſertim quum & ut ſint, efficit, & conſervat. Ergo non poteſt earum velle miſeriam, quin mereantur; quia haec cum illo amore pugnat.

Prop. XXI. Deus vult creaturarum rationalium beatitudinem.

D. I. Deus non poteſt velle creaturarum rationalium miſeriam, niſi illae mereantur (ex prop. 20.); praeterea earum habet curam, & providentiam (ex ſuperioribus); poſita autem eſt providentia in eo, ut ſingula ad ſuos fines dirigantur (ex Def. IV.); creaturas ergo rationales ad conſentaneos naturae ſuae fines dirigit Deus. Eſt autem finis creaturarum rationalium betitudo (ex demonſtratis ex II. P.); ergo beatitudinem creaturarum rationalium vult Deus.

II. Deus

Digitized by Google

II. Deus Creaturas rationales efficit beatitudinis capaces, & neceſſario beatitudinem appetentes, miſeriam averſantes; naturalia vero creaturarum in Deum immediate refunduntur; ergo Deus creaturarum rationalium vult beatitudinem. Ac vero niſi vellet, dum in iis neceſſarium beatitudinis amorem imprimit, profecto deluderet, tantoque vellet miſeriores, quanto felicitatis appetentiores creat, quod cum natura Dei pugnat. Mirifice autem hoc theorema cum divinis Scripturis conſenrit. Nam praeterquamquod eae aperte docent, *Deum non velle mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*; &, *non eſſe voluntatem Patris, ut unus hominum pereat*; &, *Deum velle, omnes homines ſalvos fieri*; &, *Deum non eſſe acceptorem Perſonarum*; *&c.*: tota quoque oeconomia divinarum Scripturarum eodem ſpectat, ut homines ad beatitudinem inſtruantur.

Prop. XXII. Deus non poteſt efficere creaturas rationales infinite intelligentes, & perfectas, adeoque malum metaphyſicum, ideſt *deficientia a ſumma perfectione*, neceſſariæ creaturis adhaeret.

D. Infinite perfectum eſt neceſſarium eſſentiae, atque exiſtentiae (ex I. P.); eſt autem impoſſibile, intrinſecum, ut creaturae, ideſt contingentia, ſint entia neceſſaria eſſentiae, & exiſtentiae, quia nequit idem ſimul eſſe contingens, & neceſſarium, ideſt conſtare ex iis, quae ſe mutuo deſtruunt; nec poteſt Deus efficere impoſſibilia intrinſeca; non poteſt igitur creaturas efficere infinite intelligentes, & perfectas; ergo creaturae ſuapte natura a ſumma & infinita perfectione deficiunt, quia ejus incapaces: ex quo ſequitur, ut malum metaphyſicum, ideſt deficientia ab infinita perfectione, neceſſario iis adhaereat.

Prop. XXIII. Creaturae rationales ut poſſint recta ſuum finem perſequi, indigent lege morali.

D. Creaturae rationales nequeunt eſſe infinite intelligentes, & perfectae (ex prop. 22.): quum autem ſint eſſentialiter liberae, quia eſſentialiter intelligentes (ex demonſtratis in II. p.); ſequitur, ſine lege morali,

 ideſt

ideſt ſine regula, eas non poſſe recta finem ſuum perſequi. Quia enim non infinite intelligentes, poſſunt a fine aberrare: & quia eſſentialiter liberae, poſſunt deflectere a rectitudine.

Coroll Quum providentiae Dei ſit proprium, ut ſingula ordinatiſſime ad ſuos fines regat, providentiae Dei erat, legem creaturis rationalibus dare, qua illae ducerentur ad ſuos fines. Niſi enim eam legem dediſſet, nec providus, nec bonus fuiſſet. Enim vero ut eas creaturas ad ſuos fines perduceret, nec legibus mechanicis uti poterat, quin regulas ſapientiae ſuae violaret, nec eas infinite perfectas efficere. Scilicet poſterius cum natura ipſa creaturarum pugnat: prius vero, quoniam eſſet vim libertati hujuſmodi creaturarum inferre, ac propterea earum naturas pervertere, pugnat cum regulis divinae ſapientiae. Praeclare Dionyſius (*a*) *corrumpere naturam non eſt divinae providentiae*.

Prtp, XXIV. Deus eſt bonus, & beneficus.

D. Deus omnium, quibus conſtat univerſum, curam gerit, & providentiam, praecipue hominum (ex prop. xv.), quarum non ſolum non vult miſeriam, ſed vult beatitudinem (ex prop. 1. & 20.); eoſque lege morali, quibus illi indigent (ex prop. 23.), regit (ex prop. 47. 1. P.). Praeterea quoniam & ut ſint, & ut conſerventur, efficit; profecto quidquid boni habent, Dei donum, & beneficium eſt; ergo bonus eſt, & beneficus.

Schol. Sed quaeritur, quum Deus ſit bonus, & beneficus, ſapientiſſimus, & potentiſſimus, unde mala originem ducunt, quibus homines perpetuo affligantur? Leibnitius tria malorum genera fecit, *metaphyſicum*, *morale*, & *phyſicum*. Metaphyſicum eſt deficientia a ſumma, & perfectiſſima perfectione: morale eſt legis tranſgreſſio, ſeu peccatum: phyſicum ſunt dolores cum animi, tum corporis. Oſtendemus nunc ex nullo horum

rum

(a) *De divinis nominib. lib.* IV. *apud B. Th.* I. *part.*, *q.* XXII., *art.* VI.

Digitized by Google

rum malorum divinám benificentiam oppugnari, ſimulque eorum malorum originem ita explicabimus, ut ea naturae divinae conſentanea eſſe intelligantur.

Prop. XXV. Malum metaphyſicum, non pugnat cum Dei bonitate, & beneficentia, ejuſque origo in natura ipſa creaturae ineſt.

D. Malum metaphyſicum eſt deficientia a ſumma perfectione (ex Schol. prop. ſuperioris); ſummae autem, ideſt infinitae perfectionis creaturae capaces non ſunt, quia entia dependentia, & contingentia; ergo in earum natura poſitum eſt, cur eas infinite perfectas Deus efficere nequeat (vide prop. 22.); ac proinde origo mali metaphyſici in ipſa creaturarum natura ineſt, nec pugnat cum Dei beneficentia. Quin quum tantò majus beneficium ſit, qualemcumque eſſentiam & realitatem habere, quam nullam, quanto majus bonum eſt eſſe, quam non eſſe; fit ut unde alii argumentum deſumunt contra Dei bonitatem, ubertiſſima argumenta ſumi poſſint divinae beneficentiae, & benignitatis. Ac vero vix hominem reperias, in maximis etiam animi corporiſque cruciatibus, & doloribus conſtitutum, qui non malit eſſe potius qualiſcumque, quam nullus.

Prop. XXVI. Mali moralis origo in natura entium rationalium finita, ejuſque libertate poſita eſt, nec pugnat cum Dei bonitate, & beneficentia.

D. Quoniam enim nulla creatura infinite perfecta eſſe poteſt, adeoque ei malum metaphyſicum neceſſario adhaeret (ex prop. 22.), omnis creatura rationalis errori ſubjecta eſſe poteſt. Ex quo fit, ut lege morali indigeat, qua poſſit recta finem ſuum perſequi (ex prop. 23.), cujus legis promulgatio inter maxima Dei beneficia connumeranda eſt. Jam creaturae rationales ut ſunt *eſſentialiter* intelligentes, & potentes, ita ſunt *eſſentialiter* liberae, quum libertas in ratione ſit poſita eſſentialiter (*a*); adeoque etiam adverſus vitae re-

 gu-

(a) *Part. 2. prop. 43. ſch.*

gulam beneficentiſſime eis a Deo latam agere poſſunt. Hoc vero eſt malum morale (ex Schol. prop. 24.) ; ergo mali moralis origo in natura creaturarum ratio- benignitati non adverſatur. Quid enim? legem dare non debuit? At id cum ejus bonitate, & providentia pugnat. An libertatem auferret? Abſtuliſſet etiam naturam, ut praeclare ratiocinatur B. Baſilius (*a*), id vero Sapientiae divinae regulis contrarium eſt. An tandem nullas creaturas rationales feciſſet? Sed ita nulli ſuam bonitatem communicaſſet, nec proinde bonus & beneficus fuiſſet; nullo ergo modo malum morale cum Dei benignitate pugnat. Quinimmo quum his malis moralibus Deus in bonum finem utatur, nam ea quoque in finem univerſorum ordinata ſunt, ut diſputat S. Auguſtinus (*b*); inde magis etiam, ac magis divina beneficentia apparet.

Prop. XXVII. Mala phyſica ſunt argumentum Dei bonitatis.

D. Mala phyſica ſunt media, quibus Deus nos revocat a nimio praeſentis vitae, ejuſque bonorum amore, quo amore fit, ut aeterna bona contemnamus, atque legem violemus: ſcilicet ſunt aut praeparationes ad virtutem,

(a) Tom. 1. pag. 124. *Quiſquis*, inquit, *conditorem reprehendit, quod non naturaliter peccati nos expertes creaverit, nihil aliud niſi rationis expertem naturam rationali præfert, & immobilem, atque impulſu, ac appetitione carentem ei, quae electione, & actione praedita eſt.* Maximus quoque Martyr in caput IV. de divinis nominibus hoc ſcribit. *Qui hoc ſciſcitantur, cur non tales Deus nos creaverit, ut etſi vellemus, minime peccaremus, itidem facere, atque ſi interrogarent, cur non mentis, & rationis expertes nos produxerit . . . tolle enim a nobis liberum arbitrium, non erimus amplius imago Dei, nec anima ratione, & mente praedita.*

(b) *In libris de Ordine.*

Digitized by Google

tutem, ut non peccemus; aut juſtae punitiones, quia peccamus, ut a peccatis recedamus: ergo mala phyſica ſunt media, quibus Deus utitur ad noſtram perfectionem, & felicitatem faciendam; id vero argumentum eſt Dei in nos benignitatis, & amoris; ergo mala phyſica ſunt argumentum Dei in nos amoris, & beneficientiae.

Schol. Praeclare Salomon: *meliora ſunt verbera diligentis, quam oſcula odio habentis*. Scilicet niſi Deus hujuſmodi animi, & corporis doloribus perpetuo nos admoneret, non eſſe hanc, quam incolimus, noſtram Patriam, eſſe hoſpitium, aeternorum bonorum obliti, praeſentium aequo nimius amatores, terrae proni, & ventri tantum obedientes viveremus; Quemadmodum enim diſſerit B. Auguſtinus (a), *duo amores duas Civitates fecerunt: amor noſtri ad contemtum Dei, civitatem diaboli: amor Dei ad contentum noſtri, Civitatem Dei*. Providentiae ergo divinae eſt, & beneficentiae, quod nos his malis admonet, & revocat. Seneca ex natura Dei, & hominis (b) cogitate pronunciat, *Deum, quos amat, ſibi indurare, & praeparare*. Tacitus quoque naturae humanae genium reputans, ſcribit: *ſecundae res acrioribus ſtimulis nos exagitant; quia miſeriae tolerantur, felicitate corrumpimur*.

AP-

(a) *De Civit. Dei*.
(b) *In lib. de Provid.*

Digitized by Google

APPENDIX

AD SUPERIORA

In qua de Dei beneficentia, & de origine malorum diſſeritur copioſius & accuratius.

§. I. QUae ſuperius a nobis prolata ſunt argumenta, ea non exiſtentiam tantum primae ac ſummae univerſitatis rerum Cauſae demonſtrant, ſed ejus quoque *perfectionem infinitam*, *bonitatem*, *providentiam*, *beneficentiam*. Verum quum hoc in loco totius Religionis principia & fundamenta conſtituere decreverimus, atque adverſus Atheos & Deiſtas tueri; totius vero Religionis praecipuum fundamentum ſit bonitas, providentia, & beneficentia Dei; operae praetium eſſe cenſui copioſius & accuratius rem hanc tractare, ac Philoſophum noſtrum in eo undequaque munire, quod ſi labaſcat, ne reliquum quidem Religionis corpus ſtare poteſt. Agendum autem ob id etiam ſtudioſiſſime, quod non deſierint nuper laſcivientia quaedam ingenia, quae veterum Epicureorum ac Manichaeorum manes perabſurda quadam ambitione ex inferis revocare conati ſunt. Petrum Baelium me in primis ſignificare omnes intelligunt. Nam is ut rationem naturalem, quod ad Religionem attinet, in ordinem cogeret, Epicureorum & Manichaeorum adverſus Dei bonitatem argutationes exornavit, ac nimium quidem exornavit, ut nunc demum, quod eleganter Leibnitius dicit, *rationem ad ſilentium adigeret, quum diu illa impudentiſſime, & procaciſſime adverſus fidem clamitaſſet*, non ignarus, tum facilius repertum iri homines, qui de fide adverſus Deum ſubdubitarent, quam qui rationi tam aſtute inſtructae renunciarent. Et plures quidem viri docti bonitatis Dei cauſam egerunt, quos ego vehementer etiam tum laudare ſoleo, quum intelligo non aeque omnibus rem ex

voto

voto ſucceſſiſſe, certus eadem alios mecum humanitate acturos. Eſt enim profecto aliquid in tam juſta tamque perdifficili cauſa etiam conatus, quo intelligant Athei, ſiqui animo ſunt, quam exiguo numero ſint ii, qui gigantum in morem adverſus Deum praeliantur.

§. II. Deum eſſe intelligens & incorporeum, Ens neceſſitate naturae ſuae exiſtens, Opificem ac Patrem Univerſi mundani operis, conſtat ex ſuperioribus. Quum autem quod naturae ſuae neceſſitate exiſtit, non poſſit non eſſe *quidquid eſſe poteſt*; conſequitur, Deum eſſe *quidquid eſſe poteſt*, ideſt infinitum undequaque, cui nulla ſit nec exiſtentiae, nec eſſentiae limitatio, ideſt qui nec modo ullo terminetur, nec ulla qualitate finiatur. Nam ut modi, ita qualitates argumentum ſunt exiſtentiae & eſſentiae dependentis. Ac vero pone Deum non eſſe quidquid eſſe poteſt, jam poteſt eſſe aliud, quod naturae ſuae neceſſitate non ſit. Id autem eſſe poteſt naturae ſuae ne capacitate, an vi alterius cauſae? non primum: nam ſi natura aeterna & neceſſaria eſſe potuit quid perfectius, quod non ab aeterno fuit, ea ne neceſſario quidem fuit. Nec poſterius. Primum natura aeterna & prima, quae ſit omnium cauſa ab altera pendere nequit. Deinde res, quae natura ſua non poteſt eſſe, niſi quod eſt, ne vi quidem ullius cauſae eſſe aliud poteſt, quam eſt. Natura ergo aeterna & neceſſaria ab aeterno, & neceſſario fuit quidquid eſſe poteſt, ideſt ab aeterno & neceſſario fuit infinite perfecta.

§. III. Praeterea, quae rationes demonſtrant Deum eſſe, ideſt aeternam & primam cunctorum cauſam, eae una opera demonſtrant, in hac exiſtere rationem ſufficientem *exiſtentium omnium* & poſſibilium, quae ſcilicet ratio niſi in Ente aeterno & neceſſario ſit, in nihilo erit, ideſt nulla, quod eſt *contradictorium* (a) exi-

(a) *Vide Auctorem operis* de cognitione veri *inter opera Auguſtini cap* VII. *lib. ult.. Plura quoque habet in eandem rem Franciſcus Suarezius in Metaphyſica diſp.* 30. *ſect.* 2.

exiſtere autem debent hujuſmodi rationes ſufficientes & in ejus intelligentia *intelligibiliter creatrice*, & in ejus eſſentia *eminentiſſime*, & *in potentia*, quod a nobis in prima parte demonſtratum eſt. Niſi autem natura illa undequaque ſit infinita, hujuſmodi rationes nullae erunt, quae tamen ſint neceſſe eſt. Quibus ergo argumentis demonſtratur Deum eſſe, iiſdem conficitur eſſe undequaque infinitum. Quo modo quae argumenta demonſtrent, in data ſuperficie contineri infinitas figuras planas eminenter, quae ſint majores ſemper & majores, ea demonſtrant quoque infinitam eſſe debere hujuſmodi ſuperficiem. Itaque quum poſſibilia infinita ſint, ac majoris ſemper & majoris perfectionis in infinitum; quae natura eorum omium rationem ſufficientem continet, undequaque infinita ſit neceſſe eſt (*a*). Quae adeo explorata ſunt, ut communi omnium ſenſu ſemper comprobatum fuerit, Deum eſſe id, quo majus nihil eſſe poſſit, *optimum* ſcilicet *&* *maximum* (*b*).

§. IV. Quum ergo Deus ſit infinite perfectus, ſequitur eſſe & infinite bonum, ac ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimum. Et primum quidem per ſe eſt perſpicuum: quoniam, ut Philoſophi omnes maxima conſenſione docent, *naturalis perfectio*, & *bonitas abſoluta inter ſe reciprocantur*, ut tantundem ſemper inſit rei *bonitatis abſolutae*, quantum derfectionis, ſeu *realis entitatis*. Quum ergo Deus naturae ſuae neceſſitate ſit infinite perfectus, itidem naturae ſuae neceſſitate ſumme bonus eſt, & undequaque abſolutiſſimus. Id Theologi dicunt *bonum & perfectum per eſſentiam* (*c*). Sed & inde conſequitur eadem perſpicuitate alterum, eſſe nimirum ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimum: *nihil enim aliud* (inquit Beatus Thomas) (*d*) *nomine beatitudinis intelligitur, niſi bonum*

(a) *Suarezius Metaph. Diſp.* 30. *ſect.* 17.
(b) *Vide Petavium lib.* VI. *Theol. dogm.*
(c) *B. Thomas prima parte qu.* 26. *Art.* 1.
(d) *Idem prima part. q.* 26. *Art.* 1.

Digitized by Google

bonum perfectum intellectualis naturae, cujus ſit ſuam ſufficientiam cognoſcere in bono quod habet. Ac vero non quis facile reperiet, unde illi minus perfecta beatitudo ineſſe poſſit. Non defectu entitatis & bonitatis, quae in illo eſt ſumma & abſoluta. Nec aut contrarietate partium naturae ſuae, quae in natura ſimpliciſſima nulla eſt; aut externis contrariis, quoniam naturae infinitae & ſummae, ac unice infinitae & ſummae, omnino nihil eſt contrarium. Jam nec affectibus, qui in Deo nulli eſſe poſſunt: affectus enim naturae ſunt minime quae ſibi ipſa ſufficientiſſima ſit, ſeu naturae, quae erga externa bona rapiatur, quaſi in ſui complementa, aut ſibi ab externis objectis timeat, velut ſibi infeſtis & contrariis: quae nunc duo a natura Dei infinita longe abſunt. Ita neceſſe eſt Deum, Patrem illum ac Opificem cunctorum, eſſe beatiſſimum, nec rei cujuſque externae indigum, qua poſſit eſſe beatior, nec ſibi ab ulla externa re timentem, qua perverti aut turbari poſſit. Uno verbo, plene perfectum, plene tutum; quae duo ubi adſunt, beatiſſima natura illa eſt.

§. V. Ex divinae naturae perfectione infinita ejus conſequitur abſoluta bonitas & beatitudo: ex hac vero *bonitas relativa*, ſeu potius munificentiſſima beneficentia. Scilicet natura iſta beatiſſima nec invidere ulli poteſt, nec iraſci, nec omnino malefacere, nec non eſſe large benefica. Ac principio nihil verius & praeclarius dici poſſe arbitror, quam Platonicorum illud, *bonum eſt ſui diffuſivum, ſummum ſumme*, praeſertim ſi beneficentia nihil de natura benefica demat. Obſervo inter homines, quo quis eſt dignitate ac loco eminentior, bonis affluentior, virtute ac ſapientia ditior, ſuae dignitatis ac ſtatus tutior, eo eſſe publicae felicitatis amantiorem, eoque magis pro virili illam promovere. Neceſſario inde me concludere poſſe arbitror, Deum natura ſua beatum ac perfectum, infinito ſupra creaturas loco ſitum, qui nec timere ſibi quidquam poteſt, nec minor fieri participatione bonorum naturae ſuae, creaturis rationalibus beneficium eſſe debere, potiſſimum,

mum, quas beatitudinis capaces efficit. Intelligo praeterea, quo quis imbecillior eſt, re & mente pauperior, minus loci, & ſtatus ſui tutus, eo eſſe alieni avidiorem, ſui parciorem, invidiae, odii, fraudis plenum; ergo niſi Deum conſtituam bonum, & beneficum, de naturae ſuae majeſtate deturbo.

§. VI. Idipſum ex natura noſtra concludere poſſumus. Nos enim Deus beatitudinis capaces creat, & ita, ut natura ipſa, & neceſſario beatitudinem appetamus & ſequamur, miſeriam averſemur. Praeclare Auguſtinus, *omnes beati eſſe volumus: miſeri non ſolum nolumus, ſed nec velle poſſumus*. Quum autem, quae naturales inſunt rebus & congenitae proprietates, inclinationes, habitudines, capacitates, eae a Deo immediate ſint, ideſt a prima cunctorum cauſa; fit, ut immediate a Deo in nobis ſit & conſervetur naturalis iſte beatitudinis appetitus, aut ſaltem capacitas, miſeriae vero averſatio. Quod ſi nolit beatos; deludit profecto, ac vult miſeros, quod cum natura ſua pugnat. Uult ergo beatos. Eſſe autem nequimus, niſi ſui beneficentia, & bonorum diffuſione: ergo niſi efficiat, quum poſſit, ne vult quidem; atque idcirco ne bonus quidem eſt. Eſt autem bonus, & vult nos beatos, & poteſt, & naturae ſuae eſt velle & efficere; beneficus igitur eſt.

§. VII. Itaque Deus nec invidere ulli poteſt, nec iraſci, nec omnino malefacere, quin is mereatur. Nam invidere & iraſci imbecillitates ſunt naturae aut aliquo bono indigentis, aut quidquam ſibi timentis: nullo vero bono indiget Deus, nec quidquam ſibi timet. Praeterea invidere & iraſci dolores ſunt, qui cum natura beatiſſima pugnant. Quo circa mirum eſt, Lactantium virum alioquin diſertum & acutum, nec Theologiae naturalis imperitum, affectum irae vere ac proprie Deo tribuiſſe in eo libello, in quo id ex inſtituto agit. Poteſt eſſe enim quidpiam aliud, quod penitius naturam beatam tollat? Arnobius Lactantii hujus magiſter inde maxime Homeri Deos ridet; ac jure quidem & merito ridet, quod iracundos illos & contentio-

tioſos faciat, nunquam pacatos, nec ſibi, quod inde conſequitur, conſtantes. Quum ergo nec invidere, nec iraſci poſſit Deus; perſpicuum eſt, nec poſſe alteri malefacere, quod ille non mereatur, aut quod illi non ſit utcumque bonum. Alteri enim malefit, ſiquidem ille non meretur, aut ſi ei utcumque bonum non eſt; vel ex invidentia, vel ex odio, vel ex ira. Quod ſi quis ſuſpicetur, Deum, immota natura ſua, nec turbata pace, ſic velut per jocum, quin & cum voluptate alicui malefacere, quin illi prodeſſe velit, is maximam Naturae hujus malignitatem praedicat. Neque enim malignitas major fingi poteſt, quam gratuitum alteri malum inferre, non ſine ira modo & odio, ſed cum voluptate. Qui autem ſic ratiocinetur, is totam illam Dei naturam, quam ſuperius conſtituimus, evertere quoque debet, ac pro Deo optimo maximo, rerum opifice ac parente, fictitium neſcio quem genium & malignum ſibi obtrudere.

§. VIII. Quae quum ſint, conſequitur, quae hominibus accidere videntur mala, nec mala ea eſſe, niſi *praeſente ſenſatione* aeſtimata, ſed bona, quod bonum procul dubio noſtri finem ſpectent: nec nos pati a maligno Deo, ſed a bono: nec eſſe argumenta Dei in nos irae, ſed ejus potius in nos amoris: nos vero, qui illa non ex fine nec noſtri, nec Dei, ut par eſt, ſed ex praeſente & moleſta ſenſatione aeſtimamus, ut amara medicamenta pueri, mala habere; atque unde Deo gratias habere maximas oportet, inde argumenta capere criminandi. Enim vero cujuſque rei bonum dici non poteſt niſi *ex fine*. Quaecumque rem aliquam ita perficiunt, ut ad finem ſuum ducant rectius & facilius, ſunt illi bona, utcumque moleſta ſentiantur. Contra quae a fine avertunt, utcumque jucunda, mala eſſe neceſſe eſt. Homines ergo, qui ratione ſunt praediti, non ut bruta animantia ex praeſente tantum ſenſu, ſed ex fine de bonis & malis judicare debent. Quae dici vulgo ſolent mala, ea reperientur bona, ſi ea regula uti velimus: ac e contrario eorum plurima, quae bona

habe-

habemus & dicimus, mala eſſe reperientur. Ne Epicurus quidem ab eo Canone diſſenſerit, qui docet, nec omnes omnino voluptates ſectandas, nec omnes ſine ullo diſcrimine fugiendos dolores (*a*). Ita ſi fiet, minus nos materiae divinam providentiam criminandi habebimus. Quod eſt reliquum, ubi mentem intendere velimus, id totum ſui originem non in natura, ſed in noſtra libertate habere deprehendemus, ac ita, ut nec bonitatem Dei, nec providentiam accuſare poſſimus. Sed paulo altius haec res repetenda eſt.

§. IX. Malorum, quae dicuntur, genera tria, ex Leibnitii partitione, conſtituere poſſumus. Eſt enim malum aut *metaphyſicum*, aut *morale*, aut *phyſicum*. Metaphyſicum eſt *defectus a ſumma & infinita entitate:* Morale *peccatum:* Phyſicum *dolor*. Metaphyſicum neceſſario naturas omnes creatas conſequitur, quae hoc ipſo, quod creatae ſunt, finitae ac terminatae ſint neceſſe eſt. Nec vero id defectu divinae potentiae, aut bonitatis contingit, ſed naturarum ipſarum, quae creatae infinitam hanc & ſummam perfectionem, quae entis eſt naturae ſuae neceſſitate exiſtentis, nullo pacto excipere poſſunt: creatae modum exiſtentiae habent, modum eſſentiae (*b*). Praeterquamquod ne ſi potuiſſet quidem Deus ſummam hanc ſui & infinitam perfectionem creaturae *eſſentialiter* communicare, id, quatenus mens noſtra intelligit, ejus ſapientiam & bonitatem decuiſſet: nam pro tam ingenti mundana machina infinitis aliis machinulis mirabili prorſus ordine contextis, quam illum efficere voluiſſe inde conſtat, quod fecit, rem unam creaviſſet, ſeu ſubſtantiam unam, atque in eam bonitatem & perfectionem ſuam totam effudiſſet; quod ille profecto noluit, qui mundum ex infinitis propemodum ſubſtantiis infinitorum ordinum ac ſerierum

(a) *Vide Laertium lib. x., & in eum locum Gaſſendum.*

(b) *Vide hac de re acutiſſime diſſerentem Franciſcum Suarez Metaph. diſp. 30. ſect. 17.*

rum voluit creare, quo pulchrior eſſet, divinaque ſapientia dignior. Itaque illud ab eo poſtulare tantundem eſſet, atque ſi elater ab artifice oraret,pro horologio unum ut conflaret elaterem, in eumque vim totam ac robur partium omnium conferret, quo eſſet ille perfectior & durabilior. Quod qui a Deo exigit, nae is perridiculus eſt, qui rem tam deridiculam ab Artifice ſapientiſſimo expoſtulat.

§. X. Neceſſarium ergo eſt, ut homines ſinguli ſe non velut totam Univerſi machinam, ſed ut ejus partes contemplentur, quae & ſecum, & cum toto harmoniam efficiant: adeoque de bonis & malis non ex ſuis & privatis commodis, ſed ex communi omnium rerum fine judicent. Nec eſt ut quis opponat, potuiſſe homines, ſi non infinita perfectione praeditos creari, at ſaltem majori, quam qua nunc ſunt. Putant enim quidam ita bonitatem & providentiam Dei ab omni criminatione futuram fuiſſe immunem. Nam & hoc imperite ac ſtulte excogitatum eſt. Principio ſi parva, ut iſti ratiocinantur, hominum entitas & perfectio argumentum eſſe poteſt adverſus Dei bonitatem, erit quoque maxima, dummodo finita: quaecumque enim homini tribuatur perfectio, dum illa finita eſt, infinito intervallo ſemper diſtat a ſumma & abſoluta, eique malum metaphyſicum perpetuo adhaeret. Itaque, ſi argumentum quidquam probat, hominis perfectio niſi infinita eidem exceptioni ſemper futura eſt obnoxia. Nequit autem eſſe infinita, ut demonſtratum eſt; ergo ne parva quidem argumentum ullum contra Dei bonitatem ſuppeditat. Quocirca non idcirco Deum minus eſſe bonum fateri poſſumus, quod quum majorem entitatem ſingulis univerſi partibus dare potuiſſet, minorem dederit. In eo potius fatebimur ſapientiſſimum, quod eam tribuerit, quae ſit & cujuſque entis fini aptata, & loco, quem illud in rerum natura obtinet, conſentanea.

§. XI. Deinde nego majorem entitatem animi aut corporis humani majorem quoque eſſe hominis perfectio-

nem, ac nego majorem entitatem argumentum eſſe majoris bonitatis & ſapientiae rerum Opificis, minorem vero minoris, ſed majoris tantum potentiae indicium eſſe contendo. Scilicet rerum perfectio creatarum, quando infinitae eſſe nequeunt, non in majori entitate poſita eſt, ſed in hoc, ut finibus ſuis aptatae ſint, habeantque aptatas his finibus proprietates ac vires, ut & bonae ſint, quocumque in gradu poſitae; &, ſi rationales fuerint, beatae eſſe poſſint. Quo modo horologii perfectio non illa in eo poſita eſt, ut magnum ſit, ſed in hoc, ut partes ſingulae apte inter ſe cohaereant, omneſque finem, ad quem ſunt factae, recta ſpectent, & conſequantur. Eodem modo non homo perfectior, quia corpore major, mente capacior, vita longior: ſibi integra conſtat perfectio, ſi par ſuo fini, par relationibus, quas ex univerſo, cujus pars eſt, ſentire neceſſario debet: ſi iis praeditus viribus ac facultatibus, quae ſui finem ſpectent, quibuſque eum conſequi poſſit. Creatura ergo rationalis adverſus Dei bonitatem argumentum eſt, non ſi minor entitate, quam ſtulte illa majorem exigit, ubi habet loco & fini ſuo parem, ſed ſi ſui relationibus, & creatoris finibus minor ſit. Bonitatem quod attinet divinam tam commendant creaturae entitate maximae, quam entitate minimae, ſi finibus & locis ſuis plene reſpondeant. In eo creaturarum perfectio conſtituta eſt: inde ars, ſapientia, & beneficentia Creatoris dimetienda.

§. XII. Sed reponunt, id ſaltem in hominibus deſiderari, tales ut ii habeant facultates, ac vires, quae ſuis finibus ſint aptatae, quibus eos conſequi poſſint. Nam quum unus ſit naturarum rationalium finis, beatitudo; eaque, quod ad homines pertinet, poſita ſit in corporis indolentia, animi tranquillitate; nullae ſunt in natura noſtra vires, quibus utrumque iſtud conſequi poſſimus: ſunt potius neceſſariae quaedam cauſae, quibus miſeri ſumus, mens errori ſubjecta, animus perturbationibus, corpus morbis ac denique morti, ut ſuſpicari, inquiunt, poſſimus, *non eſſe Deo curae felicitatem*

Digitized by Google

tatem noſtram, *eſſe miſeriam*, quod ſtultiſſimum Taciti verbum ſaepe audias ab hominibus perditiſſimis uſurpari. Atque huc redeunt quaecumque ſunt ab Epicureis & Manichaeis adverſus Dei bonitatem & providentiam prolata. Quae ut quam ſtulta ſint intelligamus, de origine mali moralis & phyſici diſſerendum porro eſt.

§. XIII. Conſtat ex ſuperioribus Mundum ſine malo metaphyſico eſſe non poſſe, ſeu creaturarum nullam undequaque infinitam eſſe poſſe. Atqui haec prima eſt mali moralis ſcaturigo, quod deinde mala phyſica aut juſte conſequuntur, aut ſapientiſſime praeeunt: utrumque certe magna Dei beneficentia. Sed explicemus haec paulatim. Univerſum hoc, quod nomine intelligo compagem rerum, omnium temporum, omnium locorum, non poſſe conſtare creaturis, quae ſingulae infinitam habeant entitatem, id jam, ut dixi, in compertis eſt. Conſequitur ergo, creaturas rationis participes, quae hujus univerſi pars una ſint, nec infinitae entitatis & bonitatis, nec infinitae cognitionis, nec infinitae potentiae eſſe poſſe. Interea ſunt eae cum caeteris naturae creatae partibus conjunctae, loco, tempore, finibus, uſibus, actionibus & paſſionibus, ut ſcilicet Univerſi harmonia ſervetur, nec ſint tot univerſa, quot partes, quae nulla inter ſe concatenatione contineantur. Affici ergo ab iis neceſſe eſt, tum in eas agere, ac iis uti: uno verbo relationes rerum, quibus circumdantur, ſentire. Sunt haec earum naturae conſentanea, & Univerſi ordini. Nam primum ſentire externas res poſſunt, & id ut poſſit ordo Univerſi poſtulat. Dein agere in eas & poſſunt, quia intelligentes, ſentientes, activae; & ut queant, connexio, quam cum caeteris partibus habent, exigit. Quo modo unitatis ratio requirit, ut lapides, quibus fornix coagmentatur, & in ſeſe mutuo agant, & a ſeſe mutuo patiantur. Obtinet idem & in omnibus Univerſi partibus, quarum actiones & reactiones, actiones & paſſiones reciprocae ſunt. Quod ſi ab Univerſo tollas, nihil illud praeter turbidum chaos erit.

Digitized by Google

§. XIV. Sed quando homines nec infinite ſunt intelligentes, nec inter bona infinitae entitatis, & bonitatis verſantur; efficitur, ut nec judicia habere poſſint immutabilia, nec, quamquam cum exteris rebus neceſſariam habent relationem, ab iis rapi neceſſario. Ineſt igitur illis idcirco integra facultas conſultandi, & ſeſe ex ea conſultatione determinandi. Ea facultas non poteſt iis auferri, niſi 1. aut ablata ratione, aut 2. ablata potentia operatrice, 3. aut utraque extrinſeca vi acta in id quod nec intelligit, nec vult, aut 4. earum natura infinite perfecta conſtituta, aut ſaltem cum bonis & inter bona infinitae magnitudinis. Tertium pugnat cum natura rationali, adeoque cum Dei providentia & bonitate: *corrumpere enim naturam non eſt divinae providentiae*, ut veteri ſcito conſtat (*a*). Quarti nulla natura creata capax eſt. Poſtremum eſſe nequit, quouſque partes ſunt Univerſi creati, ut affici ab aliis partibus, & in ilias reagere poſſint. Priora duo qui exigit, is de mentibus lateres crudos fieri vult, nec ullas in Univerſo e ſe naturas rationis participes, de ſuo magis commodo ſolicitus, quam de Dei ſapientia & bonitate. Ita intelligitur, libertatem, ideſt facultatem conſultandi ſuper bonis objectivis, atque ſecundum conſultationem ſeſe determinandi, nec neceſſario, ſed cum indifferentia, naturam humanam conſequi, ut ne intelligi quidem creaturae rationales poſſint, quae in Univerſo ſint, & Univerſi partes ſine libertate. Quamobrem qui eam ſublatam volunt, ut ne ſint mala, ii nullas in Univerſo creaturas rationales eſſe volunt (*b*); id quod eſt dum Dei bonitatem tueri ſtudent, ſapientiam funditus evertere.

§. XV.

(a) *Pſeudo Dionyſius lib.* IV. *de divin. Nominib. apud B. Th. p. part. quaſt.* 22. *art.* 6.

(b) S. Baſilius tom. 1. pag. 429. *Quiſquis*, inquit, *conditorem reprehendit, quod non naturaliter nos peccatis expertes*

§. XV. Jam vero conſtitutis creaturarum rationalium natura & loco, intelligitur facillime eas, niſi ſuperiori ratione regerentur, potuiſſe a fine iis a Deo propoſito aberrare, etſi non neceſſario aberraturas. Ad finem illum nimirum conſequendum nec omnia mundi bona, nec quilibet eorum bonorum uſus, ac propterea non quaevis harum creaturarum actiones, earum omnium, quas edere poſſunt, accommodatae ſunt. Quo modo ad conſervandum ſyſtema planetarium non quaevis corporum, quibus conſtat, motiones aptae ſunt, ſed infinitarum poſſibilium paucae tantum. Itaque ut homines (nam de his tantum deinceps loquemur) recta ad eum finem pergant, inter omnia Mundi individua ea eligere debent, quae ei fini conſequendo aptata ſunt, non quae aut remorantur, aut diſtinent, aut omnino abſtrahunt. Praeterea quum eorum quoque bonorum, quae apta ſunt, multiplex uſus eſſe poſſit, nec vero omnes boni, ideſt fini conſentientes, inter omnes uſus eos debent eligere, qui fini conducunt, atque idcirco ex omnibus poſſibilibus actionibus, eas edere, quae tum finem ſpectant, cavere ab iis, quae quoquo modo fini illi adverſantur. Ad hoc vero examen inſtituendum, & quidem in tota vita perpetuo, infinita pene ſapientia, & infinitus labor adhibenda fuiſſent. Et labor

---

pertes creaverit, *nihil aliud*, *niſi rationis expertem naturam rationali praefert*, *& immobilem*, *atque impulſu & appetitione carentem ei*, *quae electione & actione praedita eſt*. Maximus quoque Martyr in caput IV. *de divinis nominibus* praeclare & ad rem noſtram accommodate ſcribit, *eos*, *qui hoc ſciſcitantur*, *cur non tales Deus nos creaverit*, *ut etſi velimus*, *minime tamen peccemus*, *ſimiliter facere*, *ac ſi interrogarent*, *cur non mentis & rationis expertes nos produxerit*.. *Tolle enim a nobis liberum arbitrium*, *non erimus amplius imago Dei*, *nec anima ratione & mente praedita*. In eandem ſententiam ſcribunt ſaepe veteres alii Patres.

bor quidem hujusmodi omnium certe maximus cum vita humana pugnat, ut non decuit Dei bonitatem ad hanc animi contentionem perpetuam homines vocare. Sapientia vero infinita *eſſentialiter* naturae creatae convenire nequit, nec ſi poſſet, Univerſi natura & ordo patiuntur. Ergo id ſupererat, ut haec hominibus ſapientia per modum *legis* communicaretur. Quo modo cum infantibus ſapientes educatores faciunt, quibus quoniam nequeunt vivendi, & agendi prudentiam *eſſentialiter* communicare, defectu capacitatis, ejus prudentiae & ſapientiae praecipua ſcita ac dogmata per modum legis iis communicant, ut ita ſaltem recte vitam inſtituant. Porro ut in ſyſtemate mundano vires motrices, earumque leges perpetuo conſervandae ſunt, ut Univerſi ordo perpetuo ſervetur; ita ut ordo actionum hominis liberarum, ſeu earum ad finem directio perpetuo conſervetur, perpetuo quoque lex moralis conſervanda.

§. XVI. Jam vero ſuperioris rationis ſcita & dogmata inferiori naturae non *eſſentialiter*, ſed per *modum legis* communicata, niſi addantur motiva quaedam determinantia naturae illi inferiori conſentanea, nullius momenti ſunt in illa permovenda. Quum autem natura humana ita comparata ſit, ac ita eſſe debuit ut voluptate, & dolore determinetur, oportuit ut ſupremus Legislator cum lege illa ſanctionem poenalem conjungeret, ſiquidem ſapientiſſime & providentiſſime agere vellet. Ita fit ut quemadmodum ex bonitate Dei ſequitur, ut creaturis rationalibus leges vitae directrices ad ſui finem communicet; ita ex Dei providentia & ſapientia ſequatur, ut eas leges poenis corroboret, quibus naturae rationales ſibi conſentanee ad fines ſuos ducantur. Apparet igitur, Dei bonitatis & ſapientiae fuiſſe hominibus leges dare morales, eaſque poenis armare: alioquin ut ſine legibus mechanicis corpora viribus inſitis in chaos perturbatum abirent, nec ulli eſſent in univerſo fines, nec ordo atque harmonia; ita ſine legibus moralibus vires hominum activae totam vitam turbarent, atque a fine ſuo abſtraherent.

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII. Interim lege etiam morali lata, homini inter objecta minime infinita agenti integra libertas permanſit. Ac primo libertas a coactione. Hanc enim libertatem ſolus Deus ſupremo ac omnipotente imperio in naturam auferre poteſt; nam caeterae exteriores cauſae quum in voluntatem humanam non agant, niſi ope rationis., nec vero ratio libertatem cogere poſſit, quam potius, ubi recta fuerit, ideſt *ſuprema lege informata*, perficit; eam libertatem auferre nequeunt. Deum vero omnino dedecet rerum naturas, & eſſentias pervertere, atque ſic conſtitutum univerſi ordinem intelligibilem turbare. Qui igitur, ut mala moralia auferrentur, hunc in modum coactam hominis libertatem vellent, ii magis ſuae utilitatis, quam ordinis & naturae totius univerſi rationem habere videntur, atque, dum Dei bonitatem ex privata ſui utilitate metiuntur, ejus ſimplicitatem, immutabilitatem, & ſapientiam oppugnant. Ex quibus patet non jure, nec recte accuſari Dei bonitatem, quod aut homini libertatem, quia praecipitem illum iturum intelligebat, non abſtulerit, aut quod non ita fixerit, ut minime illa indifferens eſſet. Utrumque ſcilicet & naturae humanae contrarium eſt, & contrarium relationibus, quas homo habet cum caeteris mundi partibus, ac propterea ordini univerſi, & conſequenter divinae ſapientiae. Deinde conſtat illi libertas *a neceſſitate*. Scilicet nec a natura ſua cogi poteſt, nec a rerum externarum ideis, & ſenſationibus: illa cogere ſe nequit: iſtae, rerum ſunt, quae infinitam entitatem non habent, ut idcirco non poſſint voluntatem humanam infiniti cupidam, atque infinitum natura ſua ſpectantem, neceſſario trahere.

§. XVIII. Quibus poſitis, nullo negotio mali cum primis moralis, tum etiam phyſici origo intelligitur, non tantum ſine ulla providentiae & bonitatis divinae offenſione, verum potius cum magna Dei beneficentia. Nempe ſunt conſectaria mali metaphyſici, libertatis, & legis, quorum primum Deus auferre non poteſt, poſteriora duo non decet, quemadmodum ex ſuperiori-

bus conſtat. Scilicet quoniam homo neceſſario eſt liber, mente vero finitus; lege, qua ejus libertas regeretur, indigebat. Ea lata, adhuc homini integra conſtitit libertas. Peccare ergo potuit. Ponamus peccaſſe: id ita evenire potuit, ut inde nihil adverſus Dei providentiam & beneficentiam confici queat. Quid enim? Mentem homini dediſſet infinitam? Fieri non poterat. Liberum non feciſſet? Ne intelligentem quidem, nec univerſi partem efficere debebat. Libertatem unum in modum inflexiſſet? Eſt alienum a ſua providentia rerum naturas pervertere. Legem ei nullam promulgaſſet, qua informaretur ad finem? Ita ne curaſſet quidem, nec fuiſſet bonus. Nullum creaſſet hominem? Id eſt divinae ſapientiae regulas praeſcribere, praeſertim, quum hominem, ſi ſapit, conditionis ſuae poenitere nequeat; quemadmodum ex iis, quae inferius dicturi ſumus, intelligetur.

§. XIX. Jam quum ſemel malum morale invaluiſſet, Dei providentiae & bonitatis erat iis mediis hominem inde retrahere, & perpetuo ad vitae regulam adducere, quae vitae humanae ſunt accommodatiora. Ac quando perpetuae felicitatis praemia minus eum tangunt, quam voluptates praeſentium bonorum, in quibus ille contemplandis nimius eſt, oportebat ut poenis, ideſt doloribus, afficeret. Ea duo hominem docere poſſunt. Primum perfectam, quam ille ſequitur, beatitudinem, in poſſeſſione horum bonorum quibus circumdamur, non inveniri. Alterum, nihil ei eſſe tutius, nec felicius, quam ab his bonis abſtractum, aeternorum ſpe, divinae legi adhaerere. Mala ergo hujuſmodi phyſica tantum abeſt ut teſtimonium, quod profani clamant, adverſus Dei providentiam, & bonitem dicant, ut potius mirifice utramque praedicent: quandoquidem nec ſapiens Deus, nec beneficus eſſet, ſi hominem, quem a vitae perfectae regula devium videt, accommodatis naturae ſuae mediis inde retrahere non ſtuderet.

§. XX. Sed mala phyſica in immenſum augent divinae

vinae bonitatis & providentiae hoſtes. Dolores & morbos exaggerant, improborum felicitatem & proſperitatem praedicant: ſcelera ſuper ſceleribus coacervata enarrant. Inſcite omnia, aut non ad rem. Principio dolores, qui homini accidunt, in duas claſſes conferre poſſumus: nam alii a natura ſunt, alii a libertatis & rationis abuſu. Si omnes ad calculum adducamus, reperiemus multo plures eſſe, quos homo homini, homo ſibi conſciſcit, quam qui a natura ſunt. Hos tu in Deum retuleris, quos ille & vetat, & ut ne efficias, majores minatur? Quaeſtio ergo ad eos tantum dolores adducitur, qui ſunt a natura, quos eſſe aliquos, ſeu juſtas ſcelerum poenas, quia peccavimus, ſeu admonitiones ut ne peccemus, ex ipſa Dei providentia & bonitate ſequitur. Sed quantilla haec malorum portio ſunt, ſi cum illis conferantur, quae aut impotentes affectus, aut imprudentia & inſcitia hominibus affert? Interim haec bonorum, intenſitate, duratione, numero longe majorum, copia, non ſolum compenſantur, ſed immane quantum exceduntur. Nam quum duorum generum ſint voluptates, quibus perfruimur, aequabiles, & geſtientes; illae perpetuae ſunt, quoad vivimus, & perennes; hae, ut minus perennes, frequentiſſimae tamen. Confidenter dico, copia dolorum, de quibus loquimur, tantum abeſt ut poſſit cum voluptatibus utriuſque generis conferri, ut a ſolis geſtientibus longe ſuperetur, praeſertim in iis, qui recte & ſapienter vivere didicerunt. Superſunt interea omnes voluptates aequabiles, quas idcirco minus inter bona cenſemus, quod perennes ſint, nec, ut inſolitas, animadvertimus. Uſus ſenſuum, rationis, libertatis, vitae denique totius, ut nullae etiam adſint voluptates geſtientes, aequabiles ſunt & perpetuae voluptates, eoque gratiores, quo minus turbidae. Quamobrem quum major ſit bonorum, quam malorum phyſicorum copia; ac mala etiam illa bona ſint, quippe eo comparata, ut nos ad regulam vitae directricem adducant; ſumme fuerit dementiae Deum inde ut maleficum traducere. Major quo-

que

que. dementia eſt, ex illis malis argumenta in Deo criminando arceſſere, quae ſibi homines conſciſcunt, quaeque, ſi ſapiunt, ac volunt, non ſolum facile, verum etiam magna cum voluptate vitare poſſunt.

§. XXI. Sed improborum, ut ajunt, felicitas, bonorum vero frequentes calamitates demonſtrant, non eſſe curae Deo felicitatem noſtram, eſſe miſeriam. Nihil ego unquam nec ineptius, nec ſtultius ab homine dictum arbitror. Totum id ex turpiſſima ignoratione naturae & hiſtoriae humanae effutitur magis, quam dicitur. Scilicet in perſpicuis eſſe debet, bonorum & voluptatum humanae vitae maximum eſſe interiorem animi tranquillitatem: nec, ſi dum in terris agimus felicitatis capaces ſumus, in alio eſſe poſita illa poteſt. Haec vero animi tranquillitas ex virtute naſcitur, ſcelere turbatur. Itaque quemadmodum maximum hominum bonum eſt

Nihil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa,

ita maximum eſt malum animi inquietudo, aegritudo laniena, etiam in caeterarum rerum apparatu & proſperitate. Ad rem Juvenalis (*a*)

. . . . *Prima haec eſt ultio, quod ſe*
Judice, nemo nocens abſolvitur . . .

Atque id puto Graecos Poetas deſcribere voluiſſe tragicis imaginibus Titii, cujus jecur vultur perpetuo arrodit, Thieſtae lamentantis, Herculis ad Caucaſum affixi, Oreſtis furioſi. Quid aliud eſt, niſi conſcientia criminis, veſtis illa Herculis exitialis apud Sophoclem,

Quae lateri adhaerens morſu lacerat viſcera,
Urgenſque graviter pulmonum haurit ſpiritum?

Audiamus Tacitum dum Neronis ſtatum poſt Matrem Agrippinam interfectam deſcribit (*b*), *Sed a Caeſare perfecto demum ſcelere magnitudo ejus intellecta eſt, Reliquo noctis modo per ſilentium defixus, ſaepius pavore*

(a) *Satyra* XIII.
(b) *Lib.* IV. *Annal. cap.* 10.

te exurgens, *& mentis inops*, *lucem opperiebatur*, *tanquam exitium allaturam*. Hunc tu in ſcelere beatum dicas? Turpiſſima igitur peccant naturae humanae ignoratione, qui ſceleſtos homines idcirco beatos praedicant, quod nullis externis malis plerumque in ſuis ſceleribus turbari videant.

§. XXII. Sed peccant ignoratione hiſtoriae humanae. Ex tota patet hiſtoria, id quod uno verſiculo complexus eſt David, *vidi impium ſuperexaltatum: tranſivi*, *& ecce non erat*. Sceleratorum hominum vix unum aut alterum reperias, qui etiamſi diu vixerit tranquille, tranquillam oppetierit mortem. Plurimorum ac praeſtantiſſimorum Graeciae Philoſophorum vox fuit, quemadmodum ſaepe refert Laertius, id in primis rariſſimum eſſe in Natura, *ut tyrannus pacifice moriatur*. Quid quod id ipſum conſectarium eſt naturae humanae? Eſt enim id ſcelerum proprium, ut ſceleſti homines ne ſceleſtis quidem amici eſſe poſſint, quippe qui ut timent omnes, ita omnibus ſuſpecti ſint neceſſe eſt (*a*). Inde autem fit ut nec tuti ſint unquam, & raro pacifice e vita excedant. Mentiuntur igitur Dei providentiae & bonitatis accuſatores, dum improborum felicem vitam ac exitum praedicant. Mentiuntur autem aut ex ignoratione naturae & rerum humanarum, aut ex attentione ad pauca & externa, aut ex maledicendi pervicacitate.

§. XXIII. Haec quum ſint, intelligitur nunc, quam ineptae ſint argutationes Epicuri apud Lactantium (*b*). Marcionis apud Tertullianum (*c*), Celſi apud Origenem, aliorumque, quae Baelius conſarcinavit. Epicuri in primis apud Lactantium haec ſunt concluſiunculae. *Deus aut vult tollere mala & non poteſt: aut poteſt & non vult: aut neque vult, neque poteſt: aut vult & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt, quod in Deum non ca-*

(a) *Vide Gordon ad Tacitum diſcourſ.* 4. *ſect.* 12.
(b) *De ira Dei cap.* 13.
(c) *Contra Marcionem lib. II. cap.* 5.

nem, ac nego majorem entitatem argumentum eſſe majoris bonitatis & ſapientiae rerum Opificis, minorem vero minoris, ſed majoris tantum potentiae indicium eſſe contendo. Scilicet rerum perfectio creatarum, quando infinitae eſſe nequeunt, non in majori entitate poſita eſt, ſed in hoc, ut finibus ſuis aptatae ſint, habeantque aptatas his finibus proprietates ac vires, ut & bonae ſint, quocumque in gradu poſitae; &, ſi rationales fuerint, beatae eſſe poſſint. Quo modo horologii perfectio non illa in eo poſita eſt, ut magnum ſit, ſed in hoc, ut partes ſingulae apte inter ſe cohaereant, omneſque finem, ad quem ſunt factae, recta ſpectent, & conſequantur. Eodem modo non homo perfectior, quia corpore major, mente capacior, vita longior: ſibi integra conſtat perfectio, ſi par ſuo fini, par relationibus, quas ex univerſo, cujus pars eſt, ſentire neceſſario debet: ſi iis praeditus viribus ac facultatibus, quae ſui finem ſpectent, quibuſque eum conſequi poſſit. Creatura ergo rationalis adverſus Dei bonitatem argumentum eſt, non ſi minor entitate, quam ſtulte illa majorem exigit, ubi habet loco & fini ſuo parem, ſed ſi ſui relationibus, & creatoris finibus minor ſit. Bonitatem quod attinet divinam tam commendant creaturae entitate maximae, quam entitate minimae, ſi finibus & locis ſuis plene reſpondeant. In eo creaturarum perfectio conſtituta eſt: inde ars, ſapientia, & beneficentia Creatoris dimetienda.

§. XII. Sed reponunt, id ſaltem in hominibus deſiderari, tales ut ii habeant facultates, ac vires, quae ſuis finibus ſint aptatae, quibus eos conſequi poſſint. Nam quum unus ſit naturarum rationalium finis, beatitudo; eaque, quod ad homines pertinet, poſita ſit in corporis indolentia, animi tranquillitate; nullae ſunt in natura noſtra vires, quibus utrumque iſtud conſequi poſſimus: ſunt potius neceſſariae quaedam cauſae, quibus miſeri ſumus, mens errori ſubjecta, animus perturbationibus, corpus morbis ac denique morti, ut ſuſpicari, inquiunt, poſſimus, *non eſſe Deo curae felici-*

tatem

tatem noſtram, *eſſe miſeriam*, quod ſtultiſſimum Taciti verbum ſaepe audias ab hominibus perditiſſimis uſurpari. Atque huc redeunt quaecumque ſunt ab Epicureis & Manichaeis adverſus Dei bonitatem & providentiam prolata. Quae ut quam ſtulta ſint intelligamus, de origine mali moralis & phyſici diſſerendum porro eſt.

§. XIII. Conſtat ex ſuperioribus Mundum ſine malo metaphyſico eſſe non poſſe, ſeu creaturarum nullam undequaque infinitam eſſe poſſe. Atqui haec prima eſt mali moralis ſcaturigo, quod deinde mala phyſica aut juſte conſequuntur, aut ſapientiſſime praeeunt: utrumque certe magna Dei beneficentia. Sed explicemus haec paulatim. Univerſum hoc, quod nomine intelligo compagem rerum, omnium temporum, omnium locorum, non poſſe conſtare creaturis, quae ſingulae infinitam habeant entitatem, id jam, ut dixi, in compertis eſt. Conſequitur ergo, creaturas rationis participes, quae hujus univerſi pars una ſint, nec infinitae entitatis & bonitatis, nec infinitae cognitionis, nec infinitae potentiae eſſe poſſe. Interea ſunt eae cum caeteris naturae creatae partibus conjunctae, loco, tempore, finibus, uſibus, actionibus & paſſionibus, ut ſcilicet Univerſi harmonia ſervetur, nec ſint tot univerſa, quot partes, quae nulla inter ſe concatenatione contineantur. Affici ergo ab iis neceſſe eſt, tum in eas agere, ac iis uti: uno verbo relationes rerum, quibus circumdantur, ſentire. Sunt haec earum naturae conſentanea, & Univerſi ordini. Nam primum ſentire externas res poſſunt, & id ut poſſit ordo Univerſi poſtulat. Dein agere in eas & poſſunt, quia intelligentes, ſentientes, activae; & ut queant, connexio, quam cum caeteris partibus habent, exigit. Quo modo unitatis ratio requirit, ut lapides, quibus fornix coagmentatur, & in ſeſe mutuo agant, & a ſeſe mutuo patiantur. Obtinet idem & in omnibus Univerſi partibus, quarum actiones & reactiones, actiones & paſſiones reciprocae ſunt. Quod ſi ab Univerſo tollas, nihil illud praeter turbidum chaos erit.

§. XIV. Sed quando homines nec infinite ſunt intelligentes, nec inter bona infinitae entitatis, & bonitatis verſantur; efficitur, ut nec judicia habere poſſint immutabilia, nec, quamquam cum exteris rebus neceſſariam habent relationem, ab iis rapi neceſſario. Ineſt igitur illis idcirco integra facultas conſultandi, & ſeſe ex ea conſultatione determinandi. Ea facultas non poteſt iis auferri, niſi 1. aut ablata ratione, aut 2. ablata potentia operatrice, 3. aut utraque extrinſeca vi acta in id quod nec intelligit, nec vult; aut 4. earum natura infinite perfecta conſtituta, aut ſaltem cum bonis & inter bona infinitae magnitudinis. Tertium pugnat cum natura rationali, adeoque cum Dei providentia & bonitate: *corrumpere enim naturam non eſt divinae providentiae*, ut veteri ſcito conſtat (*a*). Quarti nulla natura creata capax eſt. Poſtremum eſſe nequit, quouſque partes ſunt Univerſi creati, ut affici ab aliis partibus, & in ilias reagere poſſint. Priora duo qui exigit, is de mentibus lateres crudos fieri vult, nec ullas in Univerſo e ſe naturas rationis participes, de ſuo magis commodo ſolicitus, quam de Dei ſapientia & bonitate. Ita intelligitur, libertatem, ideſt facultatem conſultandi ſuper bonis objectivis, atque ſecundum conſultationem ſeſe determinandi, nec neceſſario, ſed cum indifferentia, naturam humanam conſequi, ut ne intelligi quidem creaturae rationales poſſint, quae in Univerſo ſint, & Univerſi partes ſine libertate. Quamobrem qui eam ſublatam volunt, ut ne ſint mala, ii nullas in Univerſo creaturas rationales eſſe volunt (*b*); id quod eſt dum Dei bonitatem tueri ſtudent, ſapientiam funditus evertere.

§. XV.

(a) *Pſeudo Dionyſius lib.* IV. *de divin. Nominib. apud B. Th. p. part. quaeſt.* 22. *art.* 6.

(b) S. Baſilius tom. 1. pag. 429. *Quiſquis*, inquit, *conditorem reprehendit, quod non naturaliter nos peccatis expertes*

§. XV. Jam vero conſtitutis creaturarum rationalium natura & loco, intelligitur facillime eas, niſi ſuperiori ratione regerentur, potuiſſe a fine iis a Deo propoſito aberrare, etſi non neceſſario aberraturas. Ad finem illum nimirum conſequendum nec omnia mundi bona, nec quilibet eorum bonorum uſus, ac propterea non quaevis harum creaturarum actiones, earum omnium, quas edere poſſunt, accommodatae ſunt. Quo modo ad conſervandum ſyſtema planetarium non quaevis corporum, quibus conſtat, motiones aptae ſunt, ſed infinitarum poſſibilium paucae tantum. Itaque ut homines (nam de his tantum deinceps loquemur) recta ad eum finem pergant, inter omnia Mundi individua ea eligere debent, quae ei fini conſequendo aptata ſunt, non quae aut remorantur, aut diſtinent, aut omnino abſtrahunt. Praeterea quum eorum quoque bonorum, quae apta ſunt, multiplex uſus eſſe poſſit, nec vero omnes boni, ideſt fini conſentientes, inter omnes uſus eos debent eligere, qui fini conducunt, atque idcirco ex omnibus poſſibilibus actionibus, eas edere, quae tum finem ſpectant, cavere ab iis, quae quoquo modo fini illi adverſantur. Ad hoc vero examen inſtituendum, & quidem in tota vita perpetuo, infinita pene ſapientia, & infinitus labor adhibenda fuiſſent. Et la-

---

pertes creaverit, *nihil aliud*, *niſi rationis expertem naturam rationali praeſert*, *& immobilem*, *atque impulſu & appetitione carentem ei*, *quae electione & actione praedita eſt*. Maximus quoque Martyr in caput IV. *de divinis nominibus* praeclare & ad rem noſtram accommodate ſcribit, *eos*, *qui hoc ſciſcitantur*, *cur non tales Deus nos creaverit*, *ut etſi velimus*, *minime tamen peccemus*, *ſimiliter facere*, *ac ſi interrogarent*, *cur non mentis & rationis expertes nos produxerit*.. *Tolle enim a nobis liberum arbitrium*, *non erimus amplius imago Dei*, *nec anima ratione & mente praedita*. In eandem ſententiam ſcribunt ſaepe veteres alii Patres.

Digitized by Google

bor quidem hujusmodi omnium certe maximus cum vita humana pugnat, ut non decuit Dei bonitatem ad hanc animi contentionem perpetuam homines vocare. Sapientia vero infinita *eſſentialiter* naturae creatae convenire nequit, nec ſi poſſet, Univerſi natura & ordo patiuntur. Ergo id ſupererat, ut haec hominibus ſapientia per modum *legis* communicaretur. Quo modo cum infantibus ſapientes educatores faciunt, quibus quoniam nequeunt vivendi, & agendi prudentiam *eſſentialiter* communicare, defectu capacitatis, ejus prudentiae & ſapientiae praecipua ſcita ac dogmata per modum legis iis communicant, ut ita ſaltem recte vitam inſtituant. Porro ut in ſyſtemate mundano vires motrices, earumque leges perpetuo conſervandae ſunt, ut Univerſi ordo perpetuo ſervetur; ita ut ordo actionum hominis liberarum, ſeu earum ad finem directio perpetuo conſervetur, perpetuo quoque lex moralis conſervanda.

§. XVI. Jam vero ſuperioris rationis ſcita & dogmata inferiori naturae non *eſſentialiter*, ſed per *modum legis* communicata, niſi addantur motiva quaedam determinantia naturae illi inferiori conſentanea, nullius momenti ſunt in illa permovenda. Quum autem natura humana ita comparata ſit, ac ita eſſe debuit ut voluptate, & dolore determinetur, oportuit ut ſupremus Legislator cum lege illa ſanctionem poenalem conjungeret, ſiquidem ſapientiſſime & providentiſſime agere vellet. Ita fit ut quemadmodum ex bonitate Dei ſequitur, ut creaturis rationalibus leges vitae directrices ad ſui finem communicet; ita ex Dei providentia & ſapientia ſequatur, ut eas leges poenis corroboret, quibus naturae rationales ſibi conſentanee ad fines ſuos ducantur. Apparet igitur, Dei bonitatis & ſapientiae fuiſſe hominibus leges dare morales, eaſque poenis armare: alioquin ut ſine legibus mechanicis corpora viribus inſitis in chaos perturbatum abirent, nec ulli eſſent in univerſo fines, nec ordo atque harmonia; ita ſine legibus moralibus vires hominum activae totam vitam turbarent, atque a fine ſuo abſtraherent.

§. XVII.

§. XVII. Interim lege etiam morali lata, homini inter objecta minime infinita agenti integra libertas permanſit. Ac primo libertas a coactione. Hanc enim libertatem ſolus Deus ſupremo ac omnipotente imperio in naturam auferre poteſt; nam caeterae exteriores cauſae quum in voluntatem humanam non agant, niſi ope rationis., nec vero ratio libertatem cogere poſſit, quam potius, ubi recta fuerit, ideſt *ſuprema lege informata*, perficit; eam libertatem auferre nequeunt. Deum vero omnino dedecet rerum naturas, & eſſentias pervertere, atque ſic conſtitutum univerſi ordinem intelligibilem turbare. Qui igitur, ut mala moralia auferrentur, hunc in modum coactam hominis libertatem vellent, ii magis ſuae utilitatis, quam ordinis & naturae totius univerſi rationem habere videntur, atque, dum Dei bonitatem ex privata ſui utilitate metiuntur, ejus ſimplicitatem, immutabilitatem, & ſapientiam oppugnant. Ex quibus patet non jure, nec recte accuſari Dei bonitatem, quod aut homini libertatem, quia praecipitem illum iturum intelligebat, non abſtulerit, aut quod non ita fixerit, ut minime illa indifferens eſſet. Utrumque ſcilicet & naturae humanae contrarium eſt, & contrarium relationibus, quas homo habet cum caeteris mundi partibus, ac propterea ordini univerſi, & conſequenter divinae ſapientiae. Deinde conſtat illi libertas *a neceſſitate*. Scilicet nec a natura ſua cogi poteſt, nec a rerum externarum ideis, & ſenſationibus: illa cogere ſe nequit: iſtae rerum ſunt, quae infinitam entitatem non habent, ut idcirco non poſſint voluntatem humanam infiniti cupidam, atque infinitum natura ſua ſpectantem, neceſſario trahere.

§. XVIII. Quibus poſitis, nullo negotio mali cum primis moralis, tum etiam phyſici origo intelligitur, non tantum ſine ulla providentiae & bonitatis divinae offenſione, verum potius cum magna Dei beneficentia. Nempe ſunt conſectaria mali metaphyſici, libertatis, & legis, quorum primum Deus auferre non poteſt, poſteriora duo non decet, quemadmodum ex ſuperiori-

bus conſtat. Scilicet quoniam homo neceſſario eſt liber, mente vero finitus; lege, qua ejus libertas regeretur, indigebat. Ea lata, adhuc homini integra conſtitit libertas. Peccare ergo potuit. Ponamus peccaſſe: id ita evenire potuit, ut inde nihil adverſus Dei providentiam & beneficentiam confici queat. Quid enim? Mentem homini dediſſet infinitam? Fieri non poterat. Liberum non feciſſet? Ne intelligentem quidem, nec univerſi partem efficere debebat. Libertatem unum in modum inflexiſſet? Eſt alienum a ſua providentia rerum naturas pervertere. Legem ei nullam promulgaſſet, qua informaretur ad finem? Ita ne curaſſet quidem, nec fuiſſet bonus. Nullum creaſſet hominem? Id eſt divinae ſapientiae regulas praeſcribere, praeſertim, quum hominem, ſi ſapit, conditionis ſuae poenitere nequeat; quemadmodum ex iis, quae inferius dicturi ſumus, intelligetur.

§. XIX. Jam quum ſemel malum morale invaluiſſet, Dei providentiae & bonitatis erat iis mediis hominem inde retrahere, & perpetuo ad vitae regulam adducere, quae vitae humanae ſunt accommodatiora. Ac quando perpetuae felicitatis praemia minus eum tangunt, quam voluptates praeſentium bonorum, in quibus ille contemplandis nimius eſt, oportebat ut poenis, ideſt doloribus, afficeret. Ea duo hominem docere poſſunt. Primum perfectam, quam ille ſequitur, beatitudinem, in poſſeſſione horum bonorum quibus circumdamur, non inveniri. Alterum, nihil ei eſſe tutius, nec felicius, quam ab his bonis abſtra&um, aeternorum ſpe, divinae legi adhaerere. Mala ergo hujuſmodi phyſica tantum abeſt ut teſtimonium, quod profani clamant, adverſus Dei providentiam, & bonitem dicant, ut potius mirifice utramque praedicent: quandoquidem nec ſapiens Deus, nec beneficus eſſet, ſi hominem, quem a vitae perfectae regula devium videt, accommodatis naturae ſuae mediis inde retrahere non ſtuderet.

§. XX. Sed mala phyſica in immenſum augent divinae

vinae bonitatis & providentiae hoſtes. Dolores & morbos exaggerant, improborum felicitatem & proſperitatem praedicant: ſcelera ſuper ſceleribus coacervata enarrant. Inſcite omnia, aut non ad rem. Principio dolores, qui homini accidunt, in duas claſſes conferre poſſumus: nam alii a natura ſunt, alii a libertatis & rationis abuſu. Si omnes ad calculum adducamus, reperiemus multo plures eſſe, quos homo homini, homo ſibi conſciſcit, quam qui a natura ſunt. Hos tu in Deum retuleris, quos ille & vetat, & ut ne efficias, majores minatur? Quaeſtio ergo ad eos tantum dolores adducitur, qui ſunt a natura, quos eſſe aliquos, ſeu juſtas ſcelerum poenas, quia peccavimus, ſeu admonitiones ut ne peccemus, ex ipſa Dei providentia & bonitate ſequitur. Sed quantilla haec malorum portio ſunt, ſi cum illis conferantur, quae aut impotentes affectus, aut imprudentia & inſcitia hominibus affert? Interim haec bonorum, intenſitate, duratione, numero longe majorum, copia, non ſolum compenſantur, ſed immane quantum exceduntur. Nam quum duorum generum ſint voluptates, quibus perfruimur, aequabiles, & geſtientes; illae perpetuae ſunt, quoad vivimus, & perennes; hae, ut minus perennes, frequentiſſimae tamen. Confidenter dico, copia dolorum, de quibus loquimur, tantum abeſt ut poſſit cum voluptatibus utriuſque generis conferri, ut a ſolis geſtientibus longe ſuperetur, praeſertim in iis, qui recte & ſapienter vivere didicerunt. Superſunt interea omnes voluptates aequabiles, quas idcirco minus inter bona cenſemus, quod perennes ſint, nec, ut inſolitas, animadvertimus. Uſus ſenſuum, rationis, libertatis, vitae denique totius, ut nullae etiam adſint voluptates geſtientes, aequabiles ſunt & perpetuae voluptates, eoque gratiores, quo minus turbidae. Quamobrem quum major ſit bonorum, quam malorum phyſicorum copia; ac mala etiam illa bona ſint, quippe eo comparata, ut nos ad regulam vitae directricem adducant; ſumme fuerit dementiae Deum inde ut maleficum traducere. Major quo-

que

te exurgens, & *mentis inops*, *lucem opperiebatur*, *tanquam exitium allaturam*. Hunc tu in ſcelere beatum dicas? Turpiſſima igitur peccant naturae humanae ignoratione, qui ſceleſtos homines idcirco beatos praedicant, quod nullis externis malis plerumque in ſuis ſceleribus turbari videant.

§. XXII. Sed peccant ignoratione hiſtoriae humanae. Ex tota patet hiſtoria, id quod uno verſiculo complexus eſt David, *vidi impium ſuperexaltatum: tranſivi, & ecce non erat*. Sceleratorum hominum vix unum aut alterum reperias, qui etiamſi diu vixerit tranquille, tranquillam oppetierit mortem. Plurimorum ac praeſtantiſſimorum Graeciae Philoſophorum vox fuit, quemadmodum ſaepe refert Laertius, id in primis rariſſimum eſſe in Natura, *ut tyrannus pacifice moriatur*. Quid quod id ipſum conſectarium eſt naturae humanae? Eſt enim id ſcelerum proprium, ut ſceleſti homines ne ſceleſtis quidem amici eſſe poſſint, quippe qui ut timent omnes, ita omnibus ſuſpecti ſint neceſſe eſt (*a*). Inde autem fit ut nec tuti ſint unquam, & raro pacifice e vita excedant. Mentiuntur igitur Dei providentiae & bonitatis accuſatores, dum improborum felicem vitam ac exitum praedicant. Mentiuntur autem aut ex ignoratione naturae & rerum humanarum, aut ex attentione ad pauca & externa, aut ex maledicendi pervicacitate.

§. XXIII. Haec quum ſint, intelligitur nunc, quam ineptae ſint argutationes Epicuri apud Lactantium (*b*). Marcionis apud Tertullianum (*c*), Celſi apud Origenem, aliorumque, quae Baelius conſarcinavit. Epicuri in primis apud Lactantium haec ſunt concluſiunculae. *Deus aut vult tollere mala & non poteſt: aut poteſt & non vult: aut neque vult, neque poteſt: aut vult & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt, quod in Deum non ca-*

(a) *Vide Gordon ad Tacitum diſcourſ. 4. ſect. 12.*
(b) *De ira Dei cap. 13.*
(c) *Contra Marcionem lib. II. cap. 5.*

cadit. Si poteſt & non vult, invidus, quod aeque alienum a Deo. Si neque vult neque poteſt, & invidus, & imbecillis eſt, adeoque nec Deus. Si vult & poteſt, quod ſolum Deo convenit, unde ergo ſunt mala? Aut cur illa non tollit? Narrat hinc Lactantius, pleroſque Philoſophorum, qui providentiam defendebant, hoc argumento perturbari ſolitos fuiſſe, ac invitos pene adigi, ut Deum nihil curare faterentur. Eos conjicio, qui de bonitate Dei ex commodis ſuis diſſerebant, aut qui Deum *de ſola utilitate cenſebant, non de omnibus proprietatibus*, quod Tertullianus eleganter dicit (*a*). Marcionis vero argutationes hunc in modum narrat Tertullianus. *Si Deus bonus & praeſcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem & quidem imaginem & ſimilitudinem ſuam, immo & ſubſtantiam ſuam, per animae ſcilicet cenſum, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circumventum a diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet, & praeſcius, qui eventurum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet, quod ſub his tribus conditionibus divinae Majeſtatis evenire non poſſet. Quod ſi evenit, abſolutum eſt e contrario, Deum neque bonum credendum, neque praeſcium, neque potentem.* Utrumque hoc argumentum repetit Celſus apud Origenem. Qua autem ratione haec exornaverit Baelius, non eſt operae pretium dicere, quando nihil addidit novi.

§. XXIV. His argumentis non una eſt veterum Philoſophorum, & Theologorum reſponſio. Platonis quidem Sectatores, ac in primis Plutarchum, hunc in modum ratiocinatos conſtat (*b*). Deus fuit ex omni aeternitate, nec ullo contaminatus vitio, a quo propterea nihil mali proficiſci potuit. Exiſtit etiam ex infinito tempore materia, omnis qualitatis, omniſque motus in ſe ſpe-

ctata

(a) Tertull. *lib. I. contra Marcionem cap.* 25.

(b) *Ita haec digeſſit Moſhemius ad Cudvvorthum Tom. I. pag.* 233.

Digitized by Google

ſtata expers. In hac autem materia latuit ab omni aevo vis & natura quaedam ratione carens, & malefica, inordinatis atque turbulentis motibus brutam illam materiam ciens. Haec Plutarcho (a) eſt anima *contraria*, *& contrariorum opifex*: anima mente carens & malefica. Haec vero anima quum conſilii, cognitionis, & rationis inops ſit, evidens eſt, eam minus proprie vocari animam, nec quae mala facit, conſilio & data opera facere, verum neceſſitate quadam naturae. Quapropter Plutarchus non dubitat eam ἀνάγκην neceſſitatem nominare, atque eam illud ipſum eſſe fatum, de quo & Poetae cecinerint, & Philoſophi toties loquantur, contendere. Jam certo tempore Deus ad mundum ex hac materia conſtruendum acceſſit. Hunc vero quum omni ex parte pulchrum & ſecum concinentem efficere vellet, & materiam, quam animae illius ratione carentis impetus mirifice conturbaverant, componendam ſibi & dirigendam, & maleficae mentis materiam adminiſtrantis a recti & pulchri regula vehementer devios ſibi corrigendos & temperandos eſſe perſpexit. Utrumque igitur fecit. Materiam primum digeſſit, & ſuum elemento cuilibet locum aſſignavit. Deinde ne recte conſtituta denuo convellerentur, Mundi animam emendavit quantum potuit, & de ſua illi eſſentia partem addidit, ideſt ſpiritum ei indidit, qui varios ejus motus ita dirigeret, ut ſumma rerum omnium pulchritudo, & admirabilis totius univerſitatis concentus naſceretur. Itaque mundana anima duabus quaſi partibus conflata eſt, ex antiqua illa natura malefica, & ex parte divinae Naturae, quam Deus cum iſta ſociavit, quum mundum omni ex parte abſolutum facere vellet. Illa pars, quidquid mali vides oriri, producit: haec, ne quid inde detrimenti capiat rerum univerſitas, providet, aequabilique quadam lege coercet omnia & continet.

(a) *Plut. lib. de Iſide & Oſiride*: *item in lib. de Pſychogonia*.

Digitized by Google

net. Ex hac porro mundi anima animi noſtri fluxerunt materiae portioni colligati. Itaque id ed natura noſtra dictum puta, quod de toto univerſo dictum eſt. Haec Platonici.

§. XXV. Non ego dubito conatus eſſe hujuſmodi magnorum ingeniorum: ſed interea ſunt tales, qui tantum abeſt, ut divinae naturae majeſtatem tueantur, ut potius Pantheiſmo viam aperiant, conjugio illo naturae Dei & animae mundanae. Accedit eodem quod materiam, rem inertem, mutabilem, nec ulla attributa neceſſariae exiſtentiae habentem, Deo coaequent. Tum tandem Manichaeiſmum inducunt, conſtituto aeterno & malefico mundi principio. Ac ſervari quidem ea hypotheſi Deo ſua bonitas videtur: ſed majeſtas de loco ſuo turbatur, ſapientia & potentia laeduntur. Neque vero in defendenda Dei natura, ita minus attributi ratio haberi poteſt, ut alia ſuſque deque habeantur. Nam quemadmodum Dei natura res una eſt ſimplex, & ſibi conſtans, ita Theologi oratione tota conſtituenda eſt & defendenda; quae ſi tota eſſe nequit, ne per partes quidem. Quamquam ne bonitas quidem Dei hoc ſyſtemate undequaque illibata ſervatur, qui quum ſit potentiſſimus & ſapientiſſimus, totam, ubi vult, mundanam animam ad obſequium fingere poteſt, quod nunc non efficit, ſi Platonicis credimus.

§. XXVI. Cudworthus, ut erat ille Platonicae Philoſophiae ſtudioſiſſimus, ſibi perſuaſit, omnia ex ſuperiori doctrina abſurda removeri poſſe, ſi ponantur materia, & materiae anima, ſeu *natura genetrix*, ut vocat interpres, a Deo fuiſſe creatae. Non negaverim abſurda quaedam eliminari: nego vero, omnia auferri. Nam ut caetera ſibi conſonent, illud in Cudworthi ſyſtemate abſurdius quoque eſt, quam in Platonico, *naturam* hanc *genetricem*, ſeu mundi animam, non omnino regulis divinae artis obtemperare, ſed reluctari in pleriſque, unde ille malorum originem repetit. Scilicet minus abſurde dicas, quod a Deo creatum non eſt, id illi non omnino eſſe obſequens, quam quod a Deo eſt, quaſi obſe-

obſequentius creari nequiverit. Naturae enim creatae, quae nec a ſe exiſtit, nec ipſa ſe conſervat, *potentia*, ut vocant, *obedientialis*, ſumma ſit neceſſe eſt, ut nempe id ſit continuo, & eo modo, quod artifici ſuo placuerit, & quo modo, placuerit, ubi id non ſit intrinſecus impoſſibile.

§. XXVI. Lactantius hunc in modum rationes ſubduxit. Deus, inquit, poteſt quidem auferre mala, ſed non vult: nec ideo tamen invidus. *Idcirco enim non tollit, quia & ſapientiam, qua bonum & malum diſcernere poſſit, homini tribuit: ſublatis vero malis, inutilem eſſe ſapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere veſtigia, cujus ratio in ſuſtinenda ac ſuperanda malorum acerbitate conſiſtit*. Eſt hoc ſyſtema, quod adverſus Manichaeos ornavit plurimum, & promovit nuper apud nos vir acutus & doctus (*a*) Sparckius ad eum Lactantii locum, tum Baelius in Dictionario Art. *Pauliciani* vehementer hanc Lactantii doctrinam exagitant. Ego non negaverim quaedam eſſe in Lactantii ratiocinio minus commoda, minuſque apta tantae quaeſtioni, ut videantur illa arrepta potius, quando nihil melius ei ſuppeteret, quam rei, de qua agitur, ideſt Dei hominumque naturae conſentanea excogitata.

XXVII. Rectius Origenes, & Tertullianus mala moralia, ex quibus phyſica nata ſint, libertati primi hominis tribuunt, quam illi adimi, aut vi adigi, Deo indignum cenſent. Sine libertate negant Deum decuiſſe homines creare; neque, libertate poſita, non dare legem. Itaque cum tota ſuperiori noſtra ratiocinatione bona ex parte conſentire videntur. Audiamus Tertullianum. (*a*) *At enim, non ita ille* (homo) *inſtitui debuit, ſi libertas & poteſtas arbitrii exitioſa futura eſſet*. Reſpondet, *ita omnino inſtitui debuiſſe. Oportubat Deum cognoſci, bonum hoc utique & rationale. Opor-*

(a) *Piro in L' Antimanicheiſmo*.
(b) *Contra Marcionem lib.* II. *cap.* 6.

Oportebat dignum aliquid eſſe, quod Deum cognoſceret .... Oportebat igitur imaginem & ſimilitudinem Dei, liberi arbitrii, & ſuae poteſtatis inſtitui. Sapientiae ergo divinae conſentaneum fuit hominem liberum creare. Quum autem quod rationi divinae conſonum eſt, id bonitati contrarium eſſe nequeat; ſi homo liber divinae ſapientiae & rationi conformis eſt, eſt & bonitati: praeſertim quum quod erat neceſſarium ad libertatem regendam, lex nempe, pleniſſime Deus dederit: quo redit tota Tertulliani doctrina. Sed legi meretur integer Auctoris liber: nemo enim antiquorum ſuperiora illa argumenta penitius convellit, ac diſſipavit latius. Quum autem nos Tertulliani principia in ſuperiorem diſputationem inſeruerimus, plurimumque illuſtraverimus, ex iis nunc ſuperioribus argutationibus reſponſionem adornare operae pretium eſt.

§. XXVIII. Sed in primis diſtinguendae in Deo ſunt duae potentiae, *phyſica*, & *moralis*. Phyſica eſt tota vis agendi, quae naturae infinitae ineſt. Moralis vero vis agendi ſuae ſapientiae, bonitati, juſtitiae, ſanctitati, aliiſque attributis conſentanee. Illa ad omnia pertingit poſſibilia: haec ad eam tantum poſſibilium partem, quae ſuae ſapientiae, juſtitiae, bonitati conſ... ſunt. Ex phyſica pugnantia tantum excipiuntur; ideſt *intrinſecus impoſſibilia*: ex hac *pugnantia moraliter*, id eſt quae cum ſuis attributis non ſatis conſentiunt. Quaeris exempli gr. poſſit ne Deus hominem innocentem velut reum excruciare? Phyſica potentia poſſe concedo, nego morali. Ideſt ſi illud cum Dei potentia conferam, illam non excedit: ſi conferam cum ejus juſtitia & ſanctitate, illis adverſatur. Tam ergo immutabiliter Deus non facit *pugnantia moraliter*, quam non poteſt *pugnantia phyſice*. Exemp. gr. non faciet Deus circulum quadratum, quia is non eſt exiſtentiae capax: ſed eadem conſtantia non puniet innocentem veluti rerum, quia naturae ſuae adverſum.

§. XXIX. Porro potentiae divinae moralis ſumma regula eſt infinita ejus ſapientia: quippe fieri nequit ut ſum-

Digitized by Google

ſummus rerum omnium Artifex quidquam ſine ratione & ſapientia efficiat. Ergo quodcumque divinae hujus ſapientiae regulis adverſatur, id tam immutabiliter non efficiet Deus, quam immutabiliter non poteſt quae intrinſecus ſunt impoſſibilia. Jam vero quum Deus ſit ſimpliciſſimus, quodcumque divinae ſapientiae adverſatur, idipſum cum divina Natura pugnat, ac proinde cum caeteris, quoque Dei attributis; ut quod ſapienter non fit, id nec liberaliter, nec juſte, nec ſancte fiat. Quod tale vero eſt, ne velle quidem poteſt Deus; quia ſi quod eum non decet, vult, naturae ſuae adverſatur voluntas; nec propterea ſimpliciſſimus eſt & immutabilis. Tandem quae nec poteſt phyſice, nec poteſt moraliter, adeoque quae velle non poteſt, ubi non efficit, non idcirco minus bonus, niſi de utilitate noſtra Dei velimus bonitatem cenſere.

§.XXX. Quaerit nunc Epicurus, *poteſt ne Deus tollere mala & non vult? Vult, & non poteſt?* Si de malis metaphyſicis intelligit, nec poteſt, nec vult. Nam quum ens creatum entitate infinitum tam ſit natura ſua pugnans, quam circulus quadratus, id Deus non potentiae ſuae defectu, neque defectu bonitatis, ſed rei ipſius interna pugna non poteſt: quod vero non poteſt, id nec velle poteſt. Non igitur idcirco minus potens, aut minus bonus. Si vero de malis loquitur phyſicis, poteſt quidem phyſice, neque enim id ſuam potentiam excedit; ſed nequit moraliter, quia juſtus, quia bonus: neque enim juſtus eſſet & bonus, ſi, exiſtente malo morali; nullis nos ab eo poenis continenter revocaret. Quin ne ſapiens quidem eſſet ſi nullis ſanctionibus poenalibus leges ſuas armaret. Sed cur, inquit aliquis, non blandioribus remediis nos revocat ad regulam? Quia nempe quum tria tantum ſint hujuſmodi remedia, doctrina & lumen intellectus, vigor voluntatis, dolor naturae; qui priora duo reſpuimus, qui iis reluctamur, par eſt ut tertio agamur. In hoc non minus Dei ſapientiam admirari poſſumus, quam ejus bonitatem commendare. Quid ſi negem,

 haec

Digitized by Google

haec, quae Epicurus dicit, ſi ea demas, quae homo homini infert, eſſe mala? Neque enim ſunt mala, niſi ſenſu aeſtimata: ex fine vero ubi cenſeantur, bona eſſe conſtat. Itaque, quod ſaepe dictum, ſapientis Dei & benefici ſunt argumentum. Quod ſi tandem mala intelligit moralia, nego Deum potentia moralia auferre poſſe. Nam ut ea velit auferre, neceſſe eſt ut aut libertatem auferat, aut legem libertatis normam, quae non modo cum divina ſapientia pugnant, ſed etiam cum bonitate, ut demonſtratum eſt. Moraliter ergo auferre nequit. Nec idcirco aut imbecillis, quia non poteſt moraliter, aut invidus, quia non vult. Sed potius quia non poteſt moraliter, & juſtus, & ſapiens; quia non vult, bonus.

§.XXXI. Quid, inquit aliquis, peccavere infantes, ut ſint illi etiam hujuſmodi poenis revocandi ad legem? Non videtur in illis hoc ſyſtema locum habere poſſe. Ego contra nulla in re magis perſpicua Dei bonitatis argumenta reperio, quam in malis, quibus infantes ſubjecti ſunt, ideſt, quibus natura humana ab origine ſua exercetur. Conſtat enim, eos mortalium vel leviſſimis malis vehementiſſime concuti, deque ordine ſuo deturbari, & officiis humanae vitae inhabiles reddi, qui nullis unquam hujuſmodi ſunt exerciti. Quo modo novelli milites nec ullo pacto praeparati, ad pugnae quoque adſpectum non contremiſcunt modo toti, ſed & ordines deſerunt, ac ſua aliorumque officia pervertunt. Quando ergo in hanc vitam deſtinantur infantes, eae initiandi erant: erat eorum natura ita modificanda, ut nihil illa novi & inſolentis, quo opprimeretur, reperiret: ita mala & ferre fortius poteſt, & in ſuam utilitatem convertere. In ea igitur re, qua conturbantur nonnulli, magnam ego Dei erga nos providentiam agnoſco. Ponamus enim ita infantes ad juvenilem aetatem provenire, ut praeter vitae voluptates nihil ne minimae quidem aegritudinis ſint experti, quid fiet his delicatulis, ſi vehementiori aliquo dolore ſint coërcendi? Dio Syracuſanus filium ita corruptum potius, quam

edu-

educatum, quum ad regulam revocare vellet, perdidit: *is enim uſque eo vitae ſtatum commutatum ferre non potuit, ut ſe de ſuperiore parte aedium dejecerit, atque ita interierit* (*a*). Nam, quod alia in re graviſſime Fabius Quintilianus pronunciat, *frangas citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt*, id in vita potiſſimum humana quotidie experimur.

§. XXXII. Eodem prorſus modo Manichaeorum argutationes infringuntur. Rogant, praeſcius ne erat Deus Adae criminis? Utique praeſcius. Voluit, ne laberetur? Voluit profecto, quia vetuit. Sed ita voluit, ut naturam ſuam, ut naturam Adae decebat. Pugnabat cum Adae natura, eſſe eum rationalem, entitatis finitae, inter finita, & finitorum portionem unam, nec liberum. Rurſus dedecebat Deum, aut liberum hominem non rationis ope, ſed exteriori vi impellere, aut alia ratione mechanica, ne laberetur, atque libertatis compotem, non ut liberum gubernare: aut quia liberum, non lege morali regere: quorum illud ſapientiae, hoc bonitati adverſatur. Quod bonitati ſupererat & ſapientiae, lege illuminare, intrinſeco vigore juvare, omni modo monere, id fecit totum, quemadmodum Moſes narrat. Quum de Scriptura divina illud argumentum informent Manichaei, aequum eſt, ut ex illa diſcant divinae bonitatis & ſapientiae cum primis mortalibus argumenta. *O Canes* (Tertulliani in Marcionitas verbis concludam) *quos foras Apoſtolus expellit, latrantes Deum veritatis, haec ſunt argumentationum oſſa, quae obroditis.*

CAP. V.

De Officiis creaturae rationalis erga Deum.

Prop.XXVIII. DEo debetur Religio.

D. Religio eſt cultus ſummi amoris, ſummi obſequii, & ſummae ſervitutis, ei exhibitus, cui debetur

(a) *Cornel. Nep. in Dion. c.* 4.

(ex def. v.): Deo autem debetur ſummus amor, quum ſit ſumme bonus, atque totius noſtrae bonitatis, & felicitatis cauſa; & ſummum obſequium, quum ſit ens perfectiſſimum, & infinitum, & noſtri amantiſſimus parens: & ſumma ſervitus, quum ſit omnium abſolutus Dominus jure creationis, & conſervationis; ergo Deo debetur religio. Ii ergo Deo religionem denegare poſſunt, qui aut eum eſſe negant, aut negant univerſitatem rerum creaſſe, & conſervare.

Schol. Sunt autem duae totius religionis partes arctiſſimo inter ſe nexu colligatae, & conjunctae, theoretica nimirum, & practica. Illa continent, quae de Deo ſciri oportet; haec vero quae agere, ut Deo placeamus. Lactantius Firmianus priorem partem *ſapientiam* appellat, poſteriorem tantum *religionem*. Ex priori naſcitur poſterior, nec ſine illa recta eſſe poteſt. Itaque niſi quis Deum eſſe cognoverit, eſſe Univerſi opificem, & parentem, eſſe ſapientiſſimum, providentiſſimum, optimum, juſtum, ſupremum legislatorem, ubique praeſentem, omnia inſpectantem, & quae ſunt hujus generis, aut nullum ei cultum tribuere poteſt, aut non ſanum, vel rectum. Porro theoretica illa, ut & haec practica, aut ex ratione naturae intelligitur, aut ex divina revelatione. Ex iſta uberius, & perfectius, ex illa minus ample, minuſque perfecte. Prima dicitur naturalis religio, poſterior revelata. De poſteriori Theologi diſſerere proprium eſt officium; priorem etiam Metaphyſicus attingit.

Sed quaeret fortaſſe hic aliquis, cur religionem Deus a nobis exigat, poenaſque acres minetur, niſi praeſtiterimus, & quidem incorrupte, & ſancte? Quum Deus ſit ens perfectiſſimum, ſibique ad beatitudinem ſufficientiſſimum, minime noſtri indigum, profecto ob nullam ſuam utilitatem, aut voluptatem, quae inde ei accedere poſſit, obedientiam, & religionem ab hominibus exigit. Eam tamen illi nos deberemus, etiamſi minime exigeret, ac praeciperet, quum ſcilicet ob eminentiſſimam ejus naturam, tum ob infinita benefi-

cia,

cia, quae ab illo continenter excipimus, tum ob ſupremum ejus in res omnes imperium, tum tandem ob noſtri ab illo dependentiam, ſine qua homines nec intelligi, nec eſſe poſſunt. In primis haec dependentia inter nos, & Deum neceſſariam relationem conſtituit, ex qua porro fit, ut illi nos ſervitutem, & religionem debeamus. Quocirca ut eſſe nequit homo niſi a Deo, ita abſurdum eſt, ut ſine auctoris ſui cognitione, & cultu vivat. Uno verbo, religio noſtri erga Deum, naturam Dei, & noſtram neceſſario conſequitur.

Sed exigit eam Deus atque impetat, non quia utilis ei, aut neceſſaria, ſed quia neceſſaria, & utilis nobis, adeoque quia bonus, & beneficus. Superius enim demonſtratum eſt, homines, ut recte vivere poſſint, vitae regula indigere: Praeterea inferius demonſtrabitur, ſolam legem, & religionem naturae ſufficere non poſſe. Ex quo conficimus neceſſariam eſſe revelationem: Ergo quum Deus legem, ac religionem, & naturae via, & via revelationis promulgat, noſtrae felicitati conſulit, atque in eo ſe bonum, & beneficum oſtendit. Se bonum, ac beneficum magis etiam oſtendit, dum poenas acres minatur rebellibus; quia poenae ſunt neceſſaria motiva, quibus creaturae liberae ad legem colendam impelluntur.

Accedit, quod ſine religione ne in hac quidem vita homines tranquille vivere poſſunt. Enim vero homines vivunt tranquilli, quum ex recta vivunt vitae regula, quum juſtas rerum, quibus circumdantur, opiniones habent, ut ſciant, quantum exiſtimationis, & amoris, & ſpei mereantur; quum officia cuilibet debita praeſtant, cumque conſpirant in eumdem omnes finem: quum tandem & in proſperis utili timore continentur, ne diffluant; & in adverſis tutum habent perfugium. Haec autem omnia, nec ſine certa regula homines ſcire, & exequi poſſunt, nec poſſunt ſola naturae lege, & religione. Itaque quum ex naturali, tum ex revelata religione didicerunt homines, quantum rebus hujus vitae confidere liceat; qui earum ſit uſus,

Digitized by Google

qui omnium hominum finis, quae honeſta, & juſta, quanto caeteros amore amare debeamus. Quae quum praeſtent, tum amice conſpirant, & vivunt. Praeterea inde quoque didicerunt homines, & ut ne ſuperbirent in proſperis, quum Deus omnibus imperet, omniumque actiones expendat, vindicemque habeat oculum; & ut non deſperent in adverſis, dum ſub juſto potentiſſimi, & amantiſſimi Patris imperio ſumus.

Ex quibus patet, delirare eos, & furere, qui contendunt, in ſtatu irreligionis feliciores futuros homines, quam nunc ſunt ſub religione. Id contendit Lucretius. Enim vero in ſtatu religionis homines ſecum Dei ſapientiam, providentiam, amorem reputantes, & in adverſis alacres vivunt, atque ſpe futurorum bonorum laeti, quod exemplo primae reipublicae Chriſtianae in tormentis beatiſſimae, comprobare poſſumus. At impii, ſiquidem in adverſis ſint, nullum reperiunt fortunae ſuae praeſidium; ſi in proſperis, quum in hac tantum vita confidere poſſint, quam mortalem eſſe ſciunt, anguntur miſerrime mortis expectatione. Itaque delirat, ut iterum dicam, Lucretius, quum conatur docere, non poſſe hominum vitam eſſe tranquillam, dum omnia inſpectans atque puniens Numen timetur. Nam Numen hoc non Tyrannorum more gubernat, ut utilitatem tantum ſuam ſpectet, ſed more Patris optimi, qui amat, & qui ſi punit id efficit, ut morigeri ſint filii atque idcirco ut boni.

Accedit eodem, quod ſublato Numine, & providentia, ne leges quidem ullae eſſe poſſunt, niſi quas utilitas imperat, nulla eſſe poteſt juſtitia, ſed *id juſtum quod validius*. Quocirca homines lege brutorum vivent, ut id juſtum, & honeneſtum habeant, quod fames, quod libido, quod ira, quod vis imperaverit. Eſt autem quiſquam, qui in hac ferarum ſocietate ſe poſſe eſſe tutum & tranquillum putet? aut quis potius non hanc vitam exhorreat?

Coroll. I. Religio haec ſoli Deo debetur. Nam debetur ei, qui ſummo amore, ſummo obſequio, ſumma

ma ſervitute eſt dignus: is autem eſt ſolus Deus, quippe is tantum eſt ſumme bonus, ſumme perfectus, ſumme Dominus. Interim hoc nihil prohibet, quominus Angelos, aut ſanctos viros, Deo ob virtutum merita cariſſimos, pia veneratione proſequamur, non quidem ut Deos colentes, in quo errarunt Gentiles, ſed ut Dei amicos, & ſervos religioſe venerantes. Caeterum perfectus ille, & ſummus cultus impartibilis eſt, quemadmodum unica eſt, & impartibilis Divinitas. Ut idcirco quicumque illum alteri, quam Deo tribuit, magni criminis Divinae laeſae majeſtatis reus eſt.

Coroll. II. Omnis Religio, in qua aut ſummus animi cultus, ideſt maximus, cujus eſt homo capax, Deo non tribuitur, aut plures Dii aequali religione & cultu adorantur, aut in qua non recte de Deo ſentitur, falſa eſt. Patet ex ſuperioribus.

Schol. Hinc ſequitur Ethnicam, & Muhammedanam religiones falſas eſſe: ſunt enim foediſſimae ſuperſtitiones. Superſtitio autem quamquam ſpeciem religionis mentiatur, tamen eo eſt Atheiſmo deterior, quo ſpecie pietatis aut Atheiſmum continet, aut ad Atheiſmum ducit, & quidem ita ut incautos facillime fallere poſſit. Audiendus eſt Plutarchus, qui in libello de ſuperſtitione copioſe hoc explicat. *Superſtitio*, inquit, *Atheiſmo ut naſceretur principium praebuit, & nato praebet defenſionem, non veram quidem, neque honeſtam, praetextu tamen non carentem. Non in Coelo quidquam reprehenſibile, neque in ſideribus circum Terram, quae diem noctemque efficiunt, neque in animalium victu, neque in fructuum foeneratione quidquam erroneum & inordinatum conſpicientes, Divinitatis abnegationem in Univerſum decreverunt: ſed ſuperſtitionis facta, ridiculaeque perturbationes, & verba, & praeſtigia, & incantationes, & circumcurſationes, & cruciatus, & impurae purificationes, immundaeque mundationes, barbaraeque & iniquae prope Templa punitiones, & injuriae, quibuſdam cauſam praebent, ut dicant, ſatius eſſe non exiſtere Deos, quam exiſtere talia probantes, talibus gaudentes, & ita*

 inju-

injurioſos , *& ita ſordidos* , *parvaque de cauſa iraſcentes*. Haec Plutarchus . Plurima in eandem rem ſcribit Antonius Wandalius in libris de origine & progreſſu idololatriae .

§. 2. Superſtitio autem omnium foediſſima Ethniciſmo continetur . Et cum duplex ſit ſuperſtitio , una *cultus falſi* , altera *cultus indebiti* , ut in Scholis loqui amant , utraque illa ſuperſtitio apud Paganos regnavit , regnatque etiamnum . Demonſtrarunt id copioſiſſime antiquiſſimi illi & eruditiſſimi Chriſtianae religionis Apologiſtae , Juſtinus martyr , Clemens Alexander , Origenes , Tertullianus , Arnobius , Lactantius , Auguſtinus , aliique . Nos rem in pauca conferemus verba . Ut autem dilucide diſſeramus , Gentilem Theologiam poſt Varronem in tria genera diſpeſcemus , Philoſophicam , Poëticam , & Civilem . Quod pertinet ad primam , ea quod ad partem theoreticam vera quidem continet aliqua , ſed ita ut plurimis falſis depravata ſint . V. g. Philoſophi , ſaltem nobiliores , Dei exiſtentiam , ſapientiam , potentiam , bonitatem , providentiam , unitatem ; tum & leges naturae , & animorum immortalitatem , adeoque poenas , & praemia alterius vitae adgnoverunt . Adgnoverunt & Theologiam Poeticam atque Civilem corruptiſſimam eſſe , ut ex ſolis libris Ciceronis de Nat. Deor. abunde patet . Sed errarunt in graviſſimis capitibus partis theoreticae , & in practica omnes populi errores amplexi ſunt . Ita Philoſophi omnes materiam Deo coaevam poſuerunt ; & Deum Fato ſubjecerunt . Eorum quidam Deum malum bono aſſociarunt , ut demonſtrat Plutarchus in lib. de Iſide & Oſiride . Plurimos quoque errores circa animam promulgarunt , praeſertim *metempſychoſin* , ſeu tranſmigrationem . At in practica , ne rigido quidem Socrate , & Divino Platone exceptis , omnes populi coeno volutati ſunt : aliud ſcilicet in templis cum populo adorabant , aliud in Scholis docebant , inquit Auguſtinus . Moribus praeterea fuerunt corruptiſſimis , ut de Pythagora , Socrate , Platone , Catone , Zenone , Seneca ,

neca, & aliis celebrioribus demonſtrat Auctor hiſtoriae philoſophicae Paganorum cap. 36. Itaque de omnibus omnino Gentilibus intelligenda ſunt verba Apoſtoli ad Rom. 1. 18. & ſeqq. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de Coelo. ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit . . . ita ut inexcuſabiles ſint, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Toto ergo Coelo aberrant ii, qui Philoſophos quoſdam ſalvos eſſe putant.

§. 3. Illud quaeſitum eſt, utrum Philoſophi Gentiles fuerint Athei? Gentiles omnes Atheos appellat Apoſtolus, hoc ſenſu, quia ſine cognitione veri Dei, cujus ideam foedis commentis depravaverant, vixerunt. Clemens Alexandrinus in Stromatis, & Euſebius Caeſarienſis in praeparatione Evangelica ex inſtituto conantur probare, Gentiles fuiſſe Atheos, quod nullum alium Deum adgnoverint, praeter Naturae partes, aut omne Univerſum. B. Athanaſius in eadem fuit ſententia, eo permotus argumento, quod *pluralitas Numinum nullitas ſit Numinum*: nam perinde eſt, ſeu plures Deos aequales colas, ſeu nullum, cum verus Deus non poſſit eſſe niſi unus. Sed quid quid ſit de imperito Gentilium vulgo, certum eſt Philoſophos plures unum ſupremum rerum omnium opificem & Dominum adgnoviſſe; atque de eo in ſcriptis ſuis luculentiſſime teſtificatos fuiſſe, quod ipſe adgnoſcit Apoſtolus in loco ſuperius laudato. Interim quoniam Philoſophi omnes Deum, & materiae coaevum, & Fato ſubjectum fecerunt, atque alia doctrinae illi admiſcuerunt, quae cum natura veri Dei pugnant; ſuſpicione Atheiſmi liberari nequeunt. Praeſertim cum ſi voluiſſent ſibi eſſe conſentanei, procul dubio omnes fuiſſent Pantheiſtae, quod ego alias animadverti.

§. 4. Jam Poeticam & Civilem Gentilium Theologiam foediſſimam fuiſſe ſuperſtitionem, doctiſſimi ve-

Digitized by Google

veterum Philoſophorum adgnoſcunt. Quamquam quid neceſſarium eſt ad Philoſophorum auctoritatem adpellare, cum extent Poetarum & Hiſtoricorum libri, qui abunde id demonſtrant? Quum Homerum, alioſque Graecos Poetas lego, non poſſum non mirari, qua fronte homunciones tanta de Diis ſuis mentiri ſint auſi, tanta illis humana vitia tribuere, ita quidem, ut bonus Plato in III. de Republica coactus ſit, Poetas e Republica ſua exterminare velut corruptores religionis, ipſoſque primipilos Poetarum Homerum, & Heſiodum interis addicere. Quis enim vero ferat Jovem, hominum Deumque Patrem, puellarum & puerorum raptorem, foederum ruptorem, bellorum architectorem: Mercurium latronem, Martem adulterum, Venerem meretricem; ita ut Spartae in Veneris honorem Meretrices magno ſumptu alerentur, quae rem ſacram tanto Numini facerent? Porro quis ferat ſacrificia Bacchi, Cereris, Priapi, quae enarrare homines paulſo honeſtiores pudet? praeterea Deos omnes Deaſque fecere vinolentos, helluones, iracundos, invidos, plebejorum in morem rixantes, malorumque facinorum ſuaſores.

§. 5. Ad haec, animantia bruta, elementa, fontes, fluvios, tum vitia, aut morbos, velut impudentiam, febrim, pallorem, venerem inter Deos retulerunt, itaut Lucianus induxerit Momum clamitantem, ſe, niſi Coelum tot monſtris purgetur, abiturum. Porro quis ferat adoratos ut Deos ſpiritus malignos, & ſceleſtiſſimos homines? nec dicant Gentilium Patroni eſſe haec Poetarum commenta. Primum enim Arnobius lib. 4. adverſus gentes ſolide probat, Poëtas haec a populo accepiſſe. Ac ſane veriſimile non eſt, Poëtas populis probari potuiſſe, niſi eadem cum populis docuiſſent. Deinde quidam Philoſophi, velut Anaxagoras, Socrates, Protagoras, Ariſtoteles, quod haec riſiſſent, aut morte, aut exilio mulctati ſunt.

§. 6. Illud vero ſtupiditatem omnem ſupergreditur, quod aut Deos ignotos adoraverint, quos ne nomine quidem vocare ſcirent, aut certe vocabula inania,

nia,

nia, ſeu nihili. Quod ſpectat ad primum, teſtificatur Lucas in Actis cap. XVII. 23. Athenienſes Aram poſuiſſe ignoto Deo. Habebant praeterea Græci Aras poſitas Diis exteris & ignotis; habebant & Romani, ut Diis Aſiae, Diis Europae, Diis Lybiae. Nempe quum plerumque ignorarent a quo potiſſimum Deo res aliqua eſſet petenda, ne aberrarent in precationibus, ignotis etiam Diis, ne ullus exciperetur, ſacrificabant. Quod ad alterum, adorabant modificationes quaſdam rerum, ut Tempus, Ventos, Sanitatem, Fortunam, Amorem Metum, & ſimilia, de quibus copioſe diſſerit Voſſius in Theologia Gentili, Clemens Alex. oratione ad Gentes, Arnobius adverſus Gentes, & Auguſtinus de Civitate Dei infinita hujuſmodi deridicula Numina ſuppeditabunt. Proferamus aliquot ex Arnobio, & Auguſtino, qui ea ex Varronis libris deſcripſerunt.

Portunus praeſtat commeatibus navigationes.
Conſus ſalutaria & fida conſilia ſuggerit.
Flora curat ut arva floreſcant.
Segetia ut Segetes felices proveniant.
Unxia praeeſt unxionibus.
Cinxia cingulorum replicationi.
Victua, & Potua ſanctiſſime victum potumque procurant.
Laverna ſurum protectrix.
Bellona diſcordiarum, bellorum, & rixarum.
Fluviona praeeſt fluviis.
Pomona hortis.
Februttis febribus.
Panda, vel Pantica viis aperiundis.
Pellonia hoſtes pellit.
Lateranus praeeſt focis & laterculis.
Perfica Venereas voluptates perficit.
Portunda thoris genialibus praeſto eſt.
Puta putationes curat.
Peta petitiones.
Nemeſtrinus nemora.
Terminus agrorum limites.

No-

Nodutis ad nodos perducit ſata.
Vibilia ab erronibus viarum liberat.
Oſſilao oſſa infantibus durat.
Mellonia apum mel. &c.

Pauca haec ſatis ſunt ſuperque ad foediſſimam Romanorum ſuperſtitionem intelligendam. Quam enim Divinitatis notionem habebant ii, qui iis rebus plura Numina praeficiebant, quas apud nos unus homo procurat, ut perſpecte ratiocinatur Auguſtinus?

§. 7. Sed videamus quid ad haec Gentilium patroni Celſus, Porphyrius, Julianus protulerint. Poſſunt, inquiunt, omnes gentilium Dii Deaeque ad quinque claſſes referri. Prima continentur Elementa, & Aſtra: 2. Plantae: 3. Bruta: 4. Homines: 5. Daemones. Ut a prima exordiamur, Coelum, & Tellus primi Dii Poetis vetuſtiſſimis habentur ex quorum connubio caeteri ſunt orti. Coelum faciunt antequam homines vitiis vitam depravaſſent verſatum cum Tellure, unde minores alii Dei ſint geniti. Id vero non aliud ſignificat, niſi primos mortales, & res alias, e tellure genitos; ſuppeditante Coelo humorem & calorem. Ad Tellurem referuntur Ceres, quae Graecis Δημήτηρ; quaſi magna mater dicebatur; teſte Platone in Cratilo, & Ops, & Pluto, ideſt partes Telluris inferioris. Veſta quoque & Juno, & Venus idem ac Terra (Voſſius in 2. Idololatriae cap. 59.) Proſerpina quoque idem ac Tellus (Voſſius ibidem cap. 60.) Praeterea Maja, Faunus, Flora, Pales, Puta, Pomona, Segetia, Tutulina, Nodinus, Nodutis, Lactucinia, Hoſtilina, Volucrina, Deverrona, Runcana, Spinenſis, & maxima pars eorum Numinum, quae ſuperius memorata ſunt, Terrae erant aut partes, aut vires, quae nominibus divinis adpellabantur, quod primum Chryſippus in lib. de Nat. Deor., nuper Voſſius in laudato loco demonſtravit.

§. 8. Ad Cœlum infinitos Deos tanquam Coeli partes referebant. Sol omnibus ferme nationibus cultus idque ab antiquo, ut Moſes Deuter. cap. IV., & Jobus cap. XXXI. teſtantur, infinitam Deorum turbam com-

complectitur. Bal & Bel (quae verba Dominum ſignificant) Phoenicum, & Chananaeorum Dii, Solem referebant, ut idem demonſtrat Voſſius. Tradit Servius, Aſſyrios pro eodem habuiſſe Solem, Saturnum, Bal, & Bel. Hinc inferunt docti, Saturnum Carthaginenſem eundem eſſe ac Solem. Quum vero Moloc Chananaeorum idem ſit ac Saturnus Carthaginenſis, Moloc idem ac Sol. Hinc Infanticidia Saturno apud Carthaginem, & Moloco apud Chananaeos eadem. Legatur Voſſius lib. 2. cap. 5., & Calmet in Diſſert. de Numinibus Chananaeorum. Idem Voſſius demonſtrat, Adonem Phoeniciorum, Priapum, Bacchum, alioſque Deos, Camum Mohabitarum, Mitram Perſarum, Oſirim Aegyptiorum, & alios Deos unum eſſe Solem. Plurimae quoque Deae Gentilium Lunam referunt.

§. 9. His poſitis, Gentiliſmi Patroni ſic concludunt, tot nempe Deos, Deaſque, quae aut ad Tellurem aut ad Coelum pertinent, unum eſſe ſupremum Deum, pro diverſis adſpectibus, attributis, viribus, effectibus adoratum ſub diverſis vocabulis. Nec vero haec interpretatio nudius tertius inventa eſt. Eam enim reperimus adhibitam a Platonicis & Stoicis. Audiendus eſt Maximus Gentilis epiſtola ad Auguſtinum ſcripta, quae eſt 43. veteris editionis. *Equidem*, inquit, *unum eſſe Deum ſummum ſive unicum, quis tam demens, tam mente captus neget eſſe certiſſimum? hujus nos virtutes per Mundanum opus diffuſas multis vocabulis invocamus*. Eadem dixerat Seneca pluribus locis.

§. 10. Veniunt ad alteram Deorum claſſem, Plantas nempe. Eas cultas eſse non tanquam Deos, ſed tanquam humano generi utiles, & divinas potius, quam Deos habitas, contendunt. Veteres enim utilia omnia, ut quae in genere ſuo eſſent excellentiſſima, divina vocabant, quod praeſentibus quoque nationibus in uſu eſt. Idem dicunt de animantibus brutis, quae tertia eſt deorum claſſis. Praeterea, addunt, quaedam Plantae atque animantes Diis quibuſdam ſacratae, velut

lut res ſacrae colebantur, quae imperiti poſteriores velut numina introduxerunt. Pleraque etiam Animantia, plurimaeque plantae erant arcanarum rerum Symbola. Plutarchus in lib. de Iſide & Oſiride audacter adfirmat: *in Sacris Aegyptiorum nihil inſtitutum eſſe a ratione alienum, nihil fabuloſum, nihil a Superſtitione profectum, ut nonnulli cenſent; ſed alia habere morales utileſque cauſas, alia vero expertia non eſſe ſignificationis cujuſdam aut hiſtoricae, aut naturalis. Id declarant Aegyptii Sphyngas ante Templa collocantes, ut oſtendant eorum Theologiam aenigmaticam eſſe.*

§. 11. Tres Deorum recenſitae claſses adpellantur Deorum naturalium, & animalium. Superſunt nunc Dii rationales, Homines nempe, & Daemones. Quod ſpectat ad homines, quae eſt quarta Deorum claſſis, aperte dicunt veteres Gentiles, eos inter Deos relatos virtutum merito, quemadmodum Sancti apud nos, quos & novendalibus Sacris & omni pompa colimus, Divoſque adpellamus. Legi poteſt Cicero de Legibus in 3. Ceterum tantum abeſt, ut hos Divos ſummo Jovi aequiparaverint, ut potius aperte docuerint, eos omnes Jovis numen revereri, & timere, quod ex Homero colligas facillime. Reſtant Daemones. Hi referuntur ad duas claſses, bonos ſcilicet, & malos. Utroſque in rerum gubernatione, potiſſimum humanarum, & ut homines regantur, & ut exerceantur a Deo adhiberi, Scripturae noſtrae docent, & Beatus Thomas aperte ponit. Legem ipſam & omnem Reipublicae Hebraicae oeconomiam Deum per Angelos gubernaſse aperte dicit Paulus ad Galatas III. verſu 15., & Stephanus Actorum VII. verſu 38. Auguſtinus ex inſtituto hanc ſententiam libro III. de Trinitate cap. XI. demonſtrat. *Illa omnia*, inquit, *quae Patribus viſa ſunt, quum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus congruis praeſentaret, per Creaturam facta eſſe manifeſtum eſt . . . . Sed ait aliquis, cur ergo ſcriptum eſt, Dominus dixit ad Moſem? quia quum verba judicis praeco pronunciat, non ſcribitur in geſtis, ille praeco dixit,*

ſed

ſed ille judex. Haec ipſa credidere Gentiles. *Sunt quaedam Divinae mediae poteſtates* (inquit Apulejus in libro de Deo Socratis) *inter ſummum aethera & infimas Terras, in iſto interſitae aeris ſpatio, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant*. Idem docuerunt Plato & Platonici omnes, aliique Philoſophi, quemadmodum Petavius, Cudworthus, & Petrus Daniel Huetius obſervant.

§. 12. Huic tam longae orationi paucis reſponſum ſit. Nempe non negamus origines Idololatriae acute & docte ab his explicari. Sed tantum abeſt ut ſubtiles haſce interpretationes populus intellexerit unquam, ut potius Atheos eos habuerit, qui haec praedicabant. Tum poſteriora multo ſunt haec Philoſophorum interpretamenta, ut Epicureus ille apud Ciceronem in I. de Natura Deorum recte obſervet, admitti non poſſe, niſi ſimul ſtatuatur, veteres homines Homeri & Heſiodi tempore Stoicos fuiſſe & Platonicos. Praeterea negari non poteſt & plures homines ſceleſtos atque ſanguinarios inter Deos relatos, & multa indigna de ipſo ſummo Jove conficta, quum ſint ea manifeſta, & adgnoſcant Plato, Tullius, Seneca, Lucianus. Tandem perſpicuum quoque eſt adoratos Daemones malos ne nocerent, quod Beatus Auguſtinus in libris de Civitate Dei, & Grotius de veritate religionis Chriſtianae lib. IV. cap. 3. pluribus probant. Non ſolum igitur theoretica verum etiam & practica Gentilium Theologia foediſſima fuit ſuperſtitio. Itaque Varro Latinorum doctiſſimus ne ipſam quidem Romanam Theologiam probabat, in qua ille natus, & educatus erat. *Non ego* (inquit apud Auguſtinum de Civitate lib. IV. cap. 31.) *illa judicio meo ſequor, quae Civitas Romana inſtituit: nam ſi eam Civitatem novam conſtituerem, ex naturae potius formula Deos, normamque Deorum eſſem dedicaturus*. In Religione igitur Gentili ſalus nullo modo eſſe potuit. Quumque praeſentes Gentiles veteribus illis ſimillimi ſint, ſunt & hi, ut illi, extra veram Religionem. Neque opponant, Religionem ſuam miraculis & Pro-

phe-

phetiis confirmatam fuiſſe; nam ea qualia ſint inferius dicetur.

§. 11. Dicamus jam pauca de Mahummedana ſuperſtitione. Habet Mahummedana religio auctorem Mahummed. Is natus eſt Meccae ex conſpicua inter ſuos familia circa finem ſaeculi ſexti epochae Chriſtianae. Pater ejus Abddallah filius Abdalmitalid qui inter Arabiae Reges refertur, de tribu Koreiſchitarum, qui Meccae imperitabant. Natus eſt poſthumus duobus a patris morte menſibus. Quum autem eſſet ei res familiaris admodum tenuis, adoleſcens factus mercaturam exercuit, & *Caravanarum* caput egit, unde nata inter noſtros fabella, fuiſſe eum Camelorum paſtorem. Ea ex occaſione Cadigae locupletis viduae conjux evaſit. Ab adoleſcentia magnos animos, & dominandi effraenem cupiditatem prae ſe tulit. Sed cum diſſimulandi artifex a natura videretur factus cautè omnia agebat. Cum tandem ad maturam fraudibus aetatem perveniſſet, longo cum Judaeis, Gentilibus, & Chriſtianis commercio edoctus, aptus evaſit, qui novam religionem comminiſceretur, & fruſtra tentatum ambitu ac largitione Imperium, ſuperſtitionis via adquireret. Magnam ergo ſanctitatem ſimulare coepit, & cum Angelo Gabriele congreſſum: & quia morbo comitiali laborabat, perſuaſit id primum uxori, quippe feminae, mox caeteris amicis & clientibus, ſeu id ſtupiditate gentis crederent, ſeu, quod ſua intereſſe putabant, credere ſimularent.

§. 12. Interim religionis novitas, & vetus ſuſpicio, adfectari ea via regnum, ita Populares ſuos offenderunt, ùt impoſtor de vita periclitaretur. Ergo anno Chriſti 622. die 16. Julii fugam arripuit, quam Hegiram Arabes vocant, quaeque celeberrima eſt Mahummedanorum epocha. Quum conceſſiſſet Medinam ſceleſtorum manu collecta, ſpecie propagandae religionis finitimis bellum intulit, & incredibili celeritate, quaſi belli fulmen, Arabias ferme omnes, pervaſit atque occupavit. Nec multo poſt ſeu occulto veneno, ſeu morbo

bo lentiori laborari coepit. Poſt ejus mortem inter praecipuos gregales ſuos Regni & Superſtitionis cura diviſa. Tanto autem cum ſucceſſu ea ſecta propagata eſt, maxime poſt quam Turcae e Tartaria oriundi immenſo propemodum numero ei nomen dedere, ut ab ultimis Sinarum oris ad Hiſpaniae, & orbis tum cogniti fines, cuncta terrarum gentiumque in Mahummedanorum ritus, mores, linguam, corrumperentur. Atque niſi inſuperabilis Caroli Martelli virtus obſtitiſſet, ruptae impetu Galliae, totuſque Occidens occupatus fuiſſet, cum jam immenſis copiis in Pyrenaeos effuſi uſque ad Ligerim, & Turonum urbem cuncta Francorum invaſiſſent. De vita Mahummedis legatur Humphridus Prideaux: de Religione Mahummedanorum Relandus (*a*).

§. 13. Mahummedanorum religio, leges, inſtituta, dogmata libro continentur, quem Alkoran Turcae vocant. Ejus libri ſtamina prima, prout ſors offerebat, aut res exigebant, Mahummedes ipſe ſcripſit, aujutoribus, ut eſt fama, docto quodam Perſa, & transfuga Monacho. Sed & multa traditione veterum, atque doctorum ſuorum interpretatione tenent Mahummedani. Elmacinus in initio hiſtoriae Saracenicae circa duodecim recenſet capita, quae Mahummed in exordio praedicationis ſuae potiſſimum ſpectavit. Nempe, quod credere homines juſſit in ſolum Deum: eum colere & adorare: quod deſtruxit cultum Idolorum: praecepit circumciſionem: inſtituit jejunium menſis *Ramadam*: quinque orationes: peregrinationes ad templum Meccanum: prohibuit eſum ſanguinis, morticinii, & carnis porcinae: voluit credi Prophetis, & Apoſtolis: Chriſtum Filium Mariae Prophetam fuiſſe, Se vero majorem illo: Legem & Evangelium a Deo eſſe *tradita*. Quae demonſtrant Mahummedanam religionem novam eſſe interpolationem Hebraicae & Chriſtianae. Gaſpar

(a) *Vide & Gragnier in vita Machomedis.*

Digitized by Google

Calvorius *de variis orbis Religionibus* lib. 18. cap. 7. §. 11. in quinquaginta capita Mahummedanam religionem confert.

I. Revelationem eſſe neceſſariam.

II. Deum proinde Myſteria ſua Prophetis, ac inprimis Moſi & Chriſto manifeſtaſſe.

III. Legem Moſi, Pſalterium Davidi, Jeſu Evangelium a Deo datum.

IV. Hinc & illos, qui Moſi & Jeſu crediderint tunc temporis, ſalvari potuiſſe.

V. Moſis autem Legem, Davidis Pſalterium, Jeſu Evangelium hominibus fuiſſe nimis difficile, ac importabile onus.

VI. Judaeos porro, aut Chriſtianos Scripturas corrupiſſe.

VII. Mahummedem igitur miſſum, qui Scripturas reſtitueret, novamque legem ferret.

VIII. Ipſum Deum propterea Mahummedi revelaſſe, quid docere deberet.

IX. Conſignatas eſſe revelationes iſtas Divinas in Alkorano.

X. Secundum has divinas Alkorani revelationes unum tantum eſſe Deum.

XI. Non dari proinde Trinitatem in Divinis.

XII. Nec Jeſum filium Mariae eſſe verum Deum, ſed eſſe Dei Apoſtolum, Verbum Dei, & Spiritum de Deo.

XIII. Deum porro eſſe corporeum ac finitum (*a*).

XIV. Creatum autem eſſe Mundum a Deo ſine Filio ſine Spiritu Sancto.

XV. Et quidem Diabolum factum eſſe ex igne peſtilente.

XVI. In formatione autem hominis Deum ex luto collegiſſe pulverem multicolorem, indeque quaedam

(a) *Sed hoc negat jure Mahummedanis tribui Relandus*.

dam hominis individua ex albedine, quaedam ex nigredine, quaedam ex colore medio formaſſe, unde orti ſint varii variarum gentium colores. Quaedam etiam de malitia, quaedam de bonitate participaſſe.

XVII. Animam hominis eſſe portionem Divinae ſubſtantiae.

XVIII. Angelos non eſſe Spiritus ſed Corpora.

XIX. Hinc & generare poſſe.

XX. Et lapſui eſſe obnoxios.

XXI. Attamen poenitentiam agere, ac ſalutem denuo adipiſci eos poſſe.

XXII. Fatali neceſſitate omnia a Deo regi.

XXIII. Vitae proinde terminum adeo fatalem eſſe conſtitutum, ut nec anteverti poſſit, nec prolongari.

XXIV. Hominem porro neceſſario vel bene vel male agere,

XXV. Adeoque neceſſario vel ſalvari, vel damnari.

XXVI. Hominem conſtitutum eſſe a Deo Chaliſam ſive Vicarium Dei in terris.

XXVII. Hominem obligatum eſſe ad legem Hebraicam ſervandam.

XXVIII. Hinc & circumcidendos eſſe maſculos.

XXIX. Offerenda etiam Sacrificia.

XXX. Nec non ſervanda tempora ſacra.

XXXI. Eaque tam privata quam publica.

XXXII. Uti ſunt quotidianae preces.

XXXIII. Et Sacra hebdomadaria, praecipue in die Veneris.

XXXIV. Et Anniverſaria, quorum praecipuum eſt jejunium *Ramadam*.

XXXV. Obſervandos porro eſſe ritus privatos, & primum lotiones.

XXXVI. Et diſcrimen ciborum.

XXXVII. A vino abſtinendum.

XXXVIII. Et ab uſuris. Hinc ſura ſecunda, *qui lucrantur foenus, non reſurgent, niſi ſicut reſurgit, quem corripuit Satan*.

XXXIX. Juramenta eſſe ſervanda.

XL. Magiſtratum ſummo honore eſſe afficiendum.

XLI. Adeoque quae Imperator & Lex jubet eſſe facienda.

XLII. Quod ſi tranſgreſſus ſit homo legem, poenitentia expiari poſſe.

XLIII. Hominem qui ita vitam inſtituat ſalvari.

XLIV. Antequam vero homo ad vitam alteram perveniat interfici ab Angelo mortis.

XLVI. Purgari quoque hominem priuſquam Coelum ingrediatur a peccatorum ſcoriis & reliquiis.

XLVII. Juvandas igitur eſſe animas precibus atque ſatisfactionibus.

XLVIII. Futuram quoque reſurrectionem mortuorum & extremum judicium.

XLIX. Et quidem incredulos & impios ad Infernum detruſum iri.

L. Fideles contra & pios Paradiſum ingreſſuros. Haec eſt analyſis doctrinae Mahummedanae, cujus ſingula capita ex Alkorano, & doctoribus Mahummedanis confirmat laudatus Calvorius. Conſuli poteſt & Cathecilmus Mahummedanorum, quem Relandus exhibuit.

§. 14. Quae quum ſint facillime demonſtrabitur Mahummedanorum religionem veram non eſſe. Primum in Alkorano Religio Chriſtiana vera eſſe ſtatuitur: quod autem veritati opponitur falſum eſt; ergo Mahummedana Religio in iis quae docet Chriſtianae contraria falſa eſt. Eſſe autem plurima in Maummedana ſuperſtitione Chriſtianae religioni contraria mox oſtendemus quum majorem propoſitionem demonſtrabimus. Religio Chriſtiana ea eſt, quae in libris prophetarum, & Apoſtolorum continetur: Prophetae autem, Chriſtus, & Apoſtoli quum fuerint a Deo miſſi, ut Mahummedes ipſe docet, eorum doctrina vera eſt. Enim vero, Moſem alioſque Prophetas a Deo miſſos adgnoſcit Mahummed, Sura v. & XXI. item Jeſum Chriſtum, Sura v. & XII.. Viros Sanctos fuiſſe qui primi Jeſu diſciplinam propagaverunt, Sura v. & 71.

Jeſum

Digitized by Google

Jeſum fuiſſe Meſſiam illum in Lege & Prophetis promiſſum Sura 29. Vocat etiam Jeſum Dei Verbum Sura 5. & 11. & Mentem Dei, Sura 4. 11. 29., & Sapientiam, ibidem. Praeterea Sura 31. ſcribit, Jeſum nullum ex hominibus Patrem habuiſſe. Sura 5. & 13. adgnoſcit, Jeſum viſum coecis, claudis greſſum, vitam mortuis reſtituiſſe, & Sura 11. in Coelum evectum eſſe. Ex Mahummedis igitur ſententia divina eſt & vera Chriſtianae Religionis doctrina. Nec reſpondeant Mahummedani non amplius extare veteres Hebraeorum & Chriſtianorum libros, ſed hos, quos habemus, interpolatos eſſe & depravatos, adeoque praeſentem Chriſtianorum doctrinam longe eſſe diverſam a doctrina Prophetarum & Apoſtolorum: eſt enim haec exceptio puerilis & inepta, nec locum ullum habere poteſt niſi apud gentem imperitam, & vetuſtatis incurioſam, quales ſunt Mahummedani. Vide quae ſuper ea re inferius dicta ſunt.

§. 15. Veniamus ad argumenti aſſumptionem, atque demonſtremus plurima eſſe in Alkorano Chriſtianae Religioni contraria. Principio Deum facit Mahummed corporeum & finitum, quod manifeſte ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum adverſatur. Praeterea negat Trinitatem, & Meſſiae Divinitatem, quae in libris Apoſtolorum praedicantur aperte. Deinde Deum fato ſubjicit, quod omnem Dei naturam ſubvertit. Jam vero Jeſum non fuiſſe mortuum, ſed clam ſubductum in Coelum, cruci autem affixum, quoddam ejus ſimulacrum ſcibit Sura 9. quod Evangelio contrarium eſt. Accedit quod magnam religionis partem in ceremonialibus ponat Hebraicis, quae ſunt ab Apoſtolis rejecta. Poligamiam ſimultaneam probat, quae exemplo ipſius Mahummedis, qui xv. circiter uxores ſimul habuit, hodie defenditur, quam rem Chriſtus diſerte improbat. Non adgnoſcunt fidem in mediatorem neceſſariam eſſe ad ſalutem, quae in toto novo Teſtamento praedicatur. Tandem Alkorani praeceptum eſt, religionem ferro & igne propagandam, quod toti doctrinae Jeſu Chriſti ad-

verſatur. Et vidit haec Mahummedes, atque impoſturae conſcius, moriens dixiſſe fertur: *tamdiu legem ſuam duraturam, quandiu victoriam ſuorum*, quod retulit Ludovicus Vives de verit. Religionis lib. 4., confirmatque Sultetus in Eccleſia Mahummedana pag. 22.

§. 15. Tandem quum Mahummedes nullis argumentis miſſionem ſuam probaverit, non miraculis, non Prophetiis, non vitae integritate & ſanctitate; ſequitur merum fuiſſe impoſtorem. Profecto quis ſibi perſuaſerit, virum raptorem, iracundum, fraudolentum, mulieroſum, Dei fuiſſe prophetam ad religionem reformandam miſſum? Sed extant, inquiunt, Mahummedis miracula. Quae nempe? De Camelo nocte ei locuto; de ſubvectione in Coelum, de ſciſſione Lunae, eique reddita integritate, quae omnia praeterquam ludicras fabulas eſſe ipſa per ſe manifeſtant, nullis teſtibus probari poſſunt. Bene autem habet, quod ipſe Mahummed in Alkorano paſſim dicat ſe non fuiſſe miſſum ut miracula faceret, ſed ut vi armorum Religionem propagaret, qua re nulla fingi poteſt abſurdior & Dei providentia indignior: Religio enim in animi obſequio poſita eſt, quod obſequium cum ex intellectus perſuaſione naſcatur, non externa vi, ſed ſanae doctrinae praedicatione, miraculis, aliiſque veritatis argumentis obtineri poteſt. Itaque Chriſtus & Apoſtoli etiamsi divina virtute potentiſſimi eſſent, nunquam tamen vim in religione perſuadenda adhibendam eſſe cenſuerunt, memores, vi, ſine intellectus emendatione, ac ſine vera doctrina, fieri hypocritas.

Prop. XXIX. Religio naturalis vera eſt, & ſancta, minime tamen ſufficiens, quia non integra.

D. Religio naturalis, quum quod ad theoreticam partem, tum quod ad practicam, nihil docet, niſi quod recta ratio omnibus hominibus praeſcribit. In theoretica enim parte haec continentur praecipua. I. exiſtere mentem quamdam aeternam: II. & incorpoream, atque immutabilem: III. & omniſciam, atque ſapientiſſimam: IV. potentiſſimam, Univerſi creatricem, &

con-

conſervatricem: V. optimam, & beneficam: VI. providam & remuneratricem, ideſt bona bonis, mala malis re, praeſentantem: VII. animam eſſe immortalem, adeoque ſupereſſe alteram vitam, in qua poſſit eſſe beata, vel miſera: VIII. eſſe in natura legem vitae moralis directricem divinitus promulgatam. In practica vero parte ſe quentia continentur: hanc Mentem ut optimam amandam, & quidem puro, & ſincero amore: ut dominam timendam: ut patrem venerandam: ut gubernatricem invocandam, atque ab ea veram beatitudinem ſperandam: ejus legibus obtemperandum, atque idcirco omnes homines ſpectandos ut fratres, adeoque amandos: nullam illis propterea moleſtiam inferendam, nullam injuriam, omni potius officio colendos. Haec vero, & plurima alia, quae ex his conſequuntur, non ſolum evidentia ſunt, verum etiam ſancta, hominum naturae accommodata, ſocietatem inter ſe hominum foventia, beatitudinem noſtram continentia; ergo religio naturalis, quae haec docet, vera eſt, & ſancta.

D. II. P. Primum, Religio naturalis accurato & recto uſu rationis diſcitur: non autem omnes homines hanc accuratam inquiſitionem inſtituere poſſunt; aut quod non omnes ea ſunt mentis perſpicacitate praediti, quae neceſſaria eſt; aut quod non omnes huic ſtudio vacare poſſunt ob vitae neceſſitates. Itaque neceſſarium eſt, ut religio per modum legis omnibus promulgetur, quandoquidem religio omnium omnino eſt; non igitur ſufficit naturalis, quae ope rationis diſcitur (*a*).

II. Ratio naturalis ſine revelationis ſubſidio in hominibus corruptis, quales omnes ſunt nationes notae, longe aberrare poteſt a vero: id exemplo omnium ferme Philoſophorum Ethnicorum comprobare poſſumus. Quum enim ſolam naturae rationem ſectarentur ut religionis ducem, in quantam aut impietatem, aut ſuper-

(a) *Vide ut praeclare hoc argumentum pertractat Origenes in* 1. *contra Celſum*.

ſtitionem iverunt? Legatur Lactantius (*a*). Ratio ergo naturalis ad homines in religione vera continendos minime eſt ſufficiens. Utrumque hoc argumentum accurate perſecutus eſt Foſterus (*b*).

III. Nemo hominum eſt, qui non agnoſcat, naturam ſuam eſſe corruptam, in primis in eo, quod perpetuo contra rationem affectibus agitamur, quodque videamus bona, probemuſque, mala ſequamur. Hinc facile deducere poteſt, genus humanum aliquo ſui crimine eo corruptionis evaſiſſe, & tam alte deſcendiſſe. Ex quo illud etiam conficiet, indigere nos aliquo medio potentiſſimo, ut naturae integritatem recuperemus. Quum autem nec ſola illud ratione noſtra excogitare poſſimus, nec viribus praeſtare, id quod tot irriti Legislatorum & Philoſophorum conatus oſtendunt; a Deo utrumque excipere debemus. Religio ergo naturalis, ut ſit perfecta revelatione & gratia Dei indiget.

IV. Natura Dei incomprehenſibilis eſt finitae rationi: ergo ſola ratione naturali nec adaequate intelligere poſſumus, quae Deo debemus, nec inter tot poſſibiles extrinſecos Deum colendi modos (nam & hi in ſocietate ſunt neceſſarii) quinam ſit Divinae Naturae accommodatior, eique gratior. Itaque & ad haec neceſſaria omnino eſt divina revelatio. Theologica ſunt bina haec argumenta.

Schol. Vetus eſt haec inter ipſos Chriſtianos Philoſophos quaeſtio, an ſola lex, & religio naturalis ſufficiat homini ad aeternam beatitudinem perducendo. Prolixam ſuper ea re diſſertationem edidit vir eruditiſſimus Auguſtinus Calmet. Fuere quidam veteres Chriſtiani, qui exiſtimaverunt, eas gentes, quae aut ante natum Chriſtum vixerunt, aut poſt natum, ſed inſciae Evangelii, ſi perfecte legem naturae & naturalem religionem

(a) *Lib.* III.

(b) *In opere de verit. Relig. adverſus Tindal.*

Digitized by Google

nem obſervaverint, ſalvari potuiſſe; quia ſcilicet vixiſſent ex ratione recta, quae Dei ſapientia eſt. Ita Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, ac plures alii hos ſequuti. Idem deinceps placuit quibuſdam doctis recentioribus, qui opinati ſunt veteres quoſdam Sinenſes, qui ex recta ratione vitam duxerunt, naturalemque legem & religionem ſtrenue coluerunt, beatos eſſe potuiſſe. Sed haec ignoſci poſſunt philoſophis ex ſola ratione diſſerentibus: Theologus vero Chriſtianus, qui affirmate docere poſſit non intelligo. Nam quantumvis hominis vitam ad rationem naturae exactam ſupponamus, nec naturae lex, nec vires hominum a peccato originali liberare poſſunt. Itaque Paulus Apoſtolus cum Hebraeis diſceptans, concludit, ne Hebraeos quidem per legem Moyſis ſalutem habere potuiſſe, tantum abeſt ut potuerint gentes per ſolam naturae legem. Ac revera, ſi id fieri potuiſſet, fruſtra Chriſtus veniſſet, quod eſt Pauli ipſius ratiocinium. Hinc Petrus Apoſtolus rotunde pronunciat, *non eſſe in alio quoquam ſalutem, praeterquam in Chriſto, nec aliud fundamentum poni poſſe, praeter quam quod poſitum eſt*. Quocirca hujuſmodi Auctores ſi ſibi conſentanei eſſe volunt, inutilem revelationem omnem pronunciabunt. Ea ergo opinio quum per ſe ipſa ſit falſa, tum eſt in Chriſtiano potiſſimum Theologo abſurdiſſima. Jam vero Deiſmus, & Naturaliſmus, qui neſcio diſſerendi magis, an perdite vivendi libidine inter nos longe lateque graſſari coepit, in hoc totus eſt, ut etiam inter Chriſtianos ſolam legem, & religionem naturalem ad ſalutem ſatis eſſe doceat. Primi hujus nefandi erroris & impietatis Auctores Pelagiani fuiſſe videntur, nimium elatis naturae humanae viribus: mox Sociniani longe provexere. Apud Anglos Tindal An. 1730. edito libro (a), *Chriſtianiſmus tam antiquus, quam creatio*, Dei-

(a) *Titulus eſt Chriſtianity as Old as the creation, or, the Goſpel a Republication of the Religion of nature.*

Deiſtarum ſignum publice erexit. Inde tot impii libri nati ſunt, qui revelationem oppugnaverunt; ſola, ut videri volunt, naturali religione contenti. Sed eum horum temerarium conatum viri plurimi doctiſſimi maſcule repreſſerunt, egregiis pro religione revelata editis libris; inter Anglos, Samuel Clarkius, Forſterus, Dicton, Syckes, Stackhouſe, aliique plures: Inter Gallos Huetius in demonſtratione Evangelica, Abbadia, & Utvillus. Sed Utvilli liber in primis egregius & doctus. Is enim & revelatam religionem ſtrenuiſſime adſerit, & Deiſtarum ſophiſmata evidentiſſime diluit, magna & ſtili elegantia, & argumentorum vi. Nos ſuperius rationis naturalis imbecillitatem demonſtravimus, in ſequentibus Theorematis religionis revelatae neceſſitatem & divinitatem adſtruemus: brevius pro rei dignitate, ſed Elementorum anguſtiis accommodate: tirones enim inſtituimus, non Theologos docemus.

Prop. XXX. Revelatio eſt neceſſaria humano generi ut exacte ex fine ſuo vivere poſſit.

D. Nam ad hoc neceſſaria eſt Religio, ut patet ex ſuperioribus: quum autem Religio naturalis utut vera minime tamen ſufficiens ſit (ex prop. ſuperiori); conficitur, doctrinae a Deo revelatae hominem indigere.

Schol. Sed diſſeramus hac de re paulo fuſius: exigunt enim id tempora noſtra, in quibus Deiſmus immane quantum provectus eſt.

§. I. Ex iis, quae in ſuperioribus demonſtrata ſunt, ſatis intelligitur, nec homines ſine communicatione divinae rationis & ſapientiae recte vivere poſſe, ideſt recte & conſtanter media ſequi, quibus conſtitutum ſibi a Deo finem conſequantur: nec bonitatem Dei decere, ſine ſuprema hac vitae humanae regula eos ſibi committere, & quaſi derelinquere. Ea autem duo demonſtrant non *neceſſitatem* tantum divinae Revelationis, ſed ipſius praeterea *exiſtentiam*. Ac neceſſaria quidem eſt, quandoquidem homo, qui infinitam ſapientiam per modum *proprietatis eſſentialis* excipere nequit, non poteſt regi, niſi eadem ſapientia *per modum*

legis ei communicata (*a*). Exiſtere vero, Dei bonitas & ſapientia nullo modo nos addubitare ſinunt: nam quia bonus, & ſapiens, quodcumque naturae pulchritudini, ordini, & regimini operum ſuorum neceſſarium, eſſe intelligit, id procul dubio efficit: nec enim ei aut voluntas deeſſe poteſt, quia bonus; aut potentia, quia maximus; aut ſapientia, quia intelligentiſſimus. Sed quo clarius res haec tota explicetur, unaque opera Deiſtarum inſcitia & arrogantia demonſtretur, altius repetenda eſt.

§. II. Qui aut humanam naturam attentius contemplantur, aut purgata mente Dei proprietates perpendunt, poſſunt ii facillime ex utroque fonte quum *neceſſitatem*, tum *exiſtentiam* Revelationis cognoſcere. Exordiamur a natura humana. Poſſunt ejus duo ſtatus concipi, *integer*, & *corruptus*. Humanae naturae integrum ſtatum appello eum, in quo hominis ratio, & quae dicitur pars ejus ſuperior, Deo penitus ſubjecta ſit, appetitus vero & ſenſus rationi rectae. Nihil enim in hujuſmodi homine diſcors, nihil turbatum eſt. Nam ratio ſupremae Dei rationi parens, ejuſque vehementi amore ſuſtentata, ab errore immunis eſt: appetitus vero & ſenſus rationi huic ſubjecti nec tumultuant, nec deſciſcunt, nec per devia praecipitem hominem agunt. Nihil hoc homine pulchrius, nihil beatius concipi poteſt. Statum vero hominis corruptum eum dico, in quo ratio humana ab appetitu & ſenſu illecta ab incommutabili ratione diſsentit, appetitus & ſenſus a ratione humana, itaut ejuſmodi homo aut non ſemper recte judicat, aut ſi quandoque bona videt, probatque non illo ſupremo amore ſuffultus, deteriora ſequatur, toto vitae ordine diſcors, ſecum ipſe perpetuo pugnans, atque perpetuo inquietus. Nihil hoc homine deformius, nihil miſerius.

§. III. Hominem in ſtatu integro fuiſſe a Deo creatum

(a) *Vide App. ad prop.* 27.

Digitized by Google

cum qui dubitat, is etiam aut de Dei ſapientia, aut bonitate, aut potentia dubitet neceſſe eſt. Nam quum is tantum ſtatus hominis fini aptatus ſit, mirificeque ei conducat, quem finem natura ipſa ſectatur, & ad quem a Deo eſt factus, niſi in eo creatus homo ſit, id factum neceſſe eſt, aut quia neſcivit Deus, aut quia noluit, aut quia non potuit. Ac neſciviſſe Deum, ideſt non ante operum ſuorum fines, mediaque finibus iis aptata mente comprehendiſſe, quam procrearet, nemo dicet, niſi qui aut omnem divinam naturam ſublatam vult, aut ejus nondum infinitam intelligentiam ſibi perſuaſit. Jam & voluit, quia ſapiens, quia bonus. Scilicet quod ſapientiae ſuae regulis, quod bonitati & ſanctitati ſuae conſentaneum eſt, id Deus velit oportet, citiuſque id, quod conſtituerat, non efficit, quam regulis ſuae ſapientiae & ſanctitatis efficit contrarium. Illud libertatis erat, nihil omnino rerum creare: hoc *hypotheticae neceſſitatis*, nihil creare, niſi ex regulis aeternae ſuae intelligentiae & bonitatis. Tandem quum & quaecumque exiſtunt, & ea ſint, quae Deus ab ipſa aeternitate intelligens *intelligibiliter creavit*, quaeque ſuo tempore ut eſſent voluit: & poſſit Deus *phyſice* quidem quantum intelligit, *moraliter* vero quantum vult; dubitari non poteſt, quin & potuerit. Quoniam ergo intelligebat Deus ſtatum hominis integrum ſapientiae & bonitati ſuae eſſe conſentaneum, & quia talis volebat, & poterat; feciſſe conſequitur. Itaque in hoc capite rationi ipſi naturae divina Scriptura conſentit, idque aperte omnes docet, quod ratio quoque ipſa, ſi attente incumbat, intelligere poſſit, quum ex hominis, ut dixi natura, tum ex natura & proprietatibus Dei. Nec quod ejuſmodi veritates animi indagine indigeant, qua comprehendantur, minus ſunt illae verae: niſi ea tantum inter certa & vera ponere velimus, quae primo intuitu intelligimus, quod qui docet, nae is ſolemniter inſanit.

§. IV. Quid quod ejus ſtatus veſtigia quaedam in ipſis quoque antiquis nationum traditionibus reperire

eſt?

eſt? Quod quum viri plures eruditi demonſtraverint, minus orationem noſtram deſiderat. Nam vix dubitare poſſumus, quin *aetas* illa Saturni *aurea*, *& ver aeternum*, ut appellat Ovidius, primaevum illum hominis ſtatum deſignent, quem deſcripſit Moſes. Accedit eodem aetas Deorum AEgyptiorum, quae non poteſt ad alium ſtatum ſpectare. Inſignis eſt apud Strabonem locus in xv. Geographiae libro, quo in loco Calanum Indum loquentem introducit, ac utrumque hominis ſtatum delineat, integrum, & corruptum. Meminere & ejus ſtatus Huttentotti, qui in tanta morum barbarie, majorum ſuorum antiquiſſimas quaſdam traditiones velut e naufragio conſervarunt (*a*). Meminere & Americae ſeptemtrionalis incolae, quorum teſtimonium tanto minus eſſe debet ſuſpectum, quo minus illi in literis culti, minuſque ex aliorum moribus habent (*b*). Obſervarunt haec omnia Veteres rei Chriſtianae Apologiſtae, in primis Clemens Alexandrinus, & Euſebius Caeſarienſis. Plura eam rem attinentia collegere Grotius, Burnetius, Huetius, aliique (*c*).

§. V. Qui vero ſtatum hunc attente perpenderit, is intelliget, & in hoc quoque ſtatu neceſſariam homini fuiſſe divinam Revelationem, ſeu communicationem divinae ſapientiae, legis, gratiae. Nam quandoquidem hic ſtatus poſitus erat in ſubjectione humanae rationis rationi & legi Dei, appetitus vero ac ſenſum rectae rationi; perſpicuum eſt, rationem & legem Dei perpetuo obverſari debuiſſe humanae menti; & perpetuo quoque appetitum animalem ac ſenſus interiori quadam & divina virtute in obſequium rationis contineri. At quoniam hic ſtatus non diu duravit, ſaltem nunc

(a) *Andreas Kolbi in deſcriptione capitis bonae ſpei.*

(b) *Voyages au Nort tom.* 5. *de la Luiſien.*

(c) *Grotius de veritate Religionis Chriſtianae lib.* 1. §. 15. *Burnetius in Archeologiis Philoſophicis, Huetius in Alnetanis quaeſtionibus.*

Digitized by Google

nunc inter homines nullus eſſe deprehenditur, illique generalis haec & intima hominis corruptio ſucceſſit, hanc primum paucis expendamus, mox demonſtraturi, quam praeſenti hominum ſtatui neceſſaria ſit Dei Revelatio (*a*). Ac ab eo integritatis ſtatu, in quo homo conditus fuit, deſciviſſe, & ſe in eum conjeciſſe, quum corruptum diximus, teſtes, heu miſeri, tot ſumus, quot ſumus. Quamcumque enim hominis partem conſideremus, nihil in illo reperiemus, niſi intellectus tenebras, voluntatis inconſtantiam, & perturbationem, imperium ſenſuum in rationem, naturam ſecum diſcordem ac pugnantem. Hinc ſcelerata animi conſilia, furentiſſimi affectus, mores depravatiſſimi, vitae quum privatae tum publicae longe lateque graſſantes calamitates. Uno verbo, hominem omnino alium, quam quem a Deo creari par fuit. Locus eſt egregius Leonis Magni. *Haec*, inquit, *voluntas* (hominis) *vaga incerta*, *infirma ad efficiendum*, *facilis ad audendum*, *in cupiditatibus caeca*, *honoribus tumida*, *curis anxia*, *ſuſpicionibus inquieta*, *gloriae quam virtutum avidior*, *famae quam conſcientiae diligentior*, *&* *per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his quae concupiverit*, *quam carendo*, *nihil in ſuis habet viribus*, *niſi periculi facilitatem*: *quoniam voluntas mutabilis*, *quae non ab incommutabili voluntate regitur*, *tanto citius propinquat iniquitati*, *quanto acrius intenditur actioni* (*b*).

§. VI. Hic hominum poſt beatam illam integritatem ſtatus. Inde vero mihi perſpicuum eſt, homines omnes, niſi eos manifeſtata a Deo doctrina & lex inſtituat, intimuſque vigor regat, & in praeſente vita, & perpetuo miſeros eſſe futuros. Ex quo conficio commentum humanum non eſſe, verſari inter eos divinam hu-

(a) *V. Thomas Burnet's Demonſtration of true Religion*.

(b) *De vocat. Gentium lib.* 1. *cap.* 6.

Digitized by Google

hujuſmodi inſtitutionem (*a*). Nam quum confero inter ſeſe quae homines ſola ſua ratione duce de Deo, mundo, religione, officiis excogitarunt, aut doctrinarum, quas primum quum conditi eſſent a Deo acceperunt, interpolationes & depravationes ex ſuo genio, cum iis, quae, qui divinitus docti dicuntur tradiderunt, tanto haec illis praeſtare intelligo, quanto lucem tenebris. Ex quo concludo, non ſolum neceſſariam homini eſſe hanc divinae ſapientiae ſcholam, verumetiam extare aliquam.

§.VII. Sed opponit Tindal novus ille Deiſtarum Patronus: Naturalis Religio Deum auctorem habet; perfecta ergo eſt & omnibus numeris abſoluta, niſi dicere velimus, minus Deum providiſſe, quum illam homini daret, quid homini ad finem ſuum perducendum eſſet neceſſarium, idque deinceps experientia doctum. Praeterea quum ea Religio in aeternis & immutabilibus rerum eſſentiis fundata ſit, tam eſt immutabilis, quam aeternae illae rerum

---

(a) *Mihi ſic videtur, conſiſtere non poſſe Dei providentiam cum hoc, quod Deiſtae noſtri generi humano perſuadere conantur, nullam inter homines Dei eſſe revelationem. Et conſtat inter Deiſtas ipſos, ſuprema Dei cura quum caetera, tum homines in primis conditos eſſe. Tanta eſt, ut demonſtravimus, humani corporis effectrix ars, ut a nulla alia cauſa, niſi ſapientiſſima & potentiſſima ſtrui potuerit. Qui tantam ergo curam in hominis corpore machinando contulit, quique perpetuo ſervat ac tuetur, nullam is animi procurationem habebit? Quoniam ergo conſtat, mentem humanam ſuperiori quadam indigere ratione, qua totam hominis naturam ſapienter regat, quis ſibi perſuaſerit, Deum, a quo tantum hoc praeſidium ſperare poſſumus, quum caetera hominem tanta diligentia accuret, in hoc, quod eſt potiſſimum, deſerere? Itaque aut utrumque hoc pernegandum, id quod nullo fieri pacto poteſt, niſi ab iis, qui omni ratione deſtituuntur; aut agnoſcendum utrumque.*

Digitized by Google

rerum eſſentiae. Neceſſaria ergo nullo pacto eſt religio revelata (*a*). Quae ille ita jactat confidenter, ut oracula fundere videatur. Nihil autem minus conſiderate, minuſque cogitate dici potuit. Nam quod dicitur perfectum & ſufficiens id relationem habet neceſſariam non ad rei tantum naturam, ſed ad ſingulas quoque ejus *περίστασεις*: quae ſi immutentur, poteſt minus eſſe illud perfectum, minuſque ſufficiens. Integro homini ac primaevo Dei favore praedito, & facultatibus ſuis recte utenti potuit naturalis illa religio eſſe ſatis: in eo hominis ſtatu perfecta erat. Sed eo ſemel immutato, nec ſufficiens illa fuit, nec perfecta, ideſt omnibus numeris abſoluta. Eſt humana ratio oculo perſimilis. Oculus ſi nihil efficiat, aut corrumpat, iis viribus, quibus primum eſt praeditus, objecta intra ejus athmoſphaeram poſita percipiet: ſi nervus opticus obſtruatur, ſi humor chryſtallinus denſior evadat, aut ſi ab objectis removeatur longius; & morbis purgari oportet, & novis indiget viribus ac mediis. Itaque hominis ratio in Adae filiis & corpori mancipata, ab aeternis objectis remotior evaſit; & vanis erroribus depravata medici indiget; & imbecillis facta corroborari & ſuſtineri debet. Quare quae integro adhuc homini perfecta & ſufficiens fuit naturalis Religio, corrupto ſatis eſſe nequit (*b*).

§. VIII. Sed vero quae ſit hominum eorum mens, qui hujuſmodi Scholam aut non agnoverunt, aut velut confictam repudiaverunt, quantum in ea ad beate vivendum ſit praeſidii, opiniones & mores gentium abunde demonſtrant. Neque vero nunc hominum hujuſmodi errores in ſcientia Naturae perridiculos memoro: nemo enim, qui in hiſtoria Philoſophiae vel mediocriter verſatus eſt, ignorare poteſt, in quantis profana iſthaec Philoſophia ine-

(a) *Chriſtianity as Old &c. cap.* 1. *&* 2.
(b) *Vide Stakhouſe le ſens litteral de l' Ecriture Sainte cap.* 23.

ineptiat, quot contineat abſurda, quot ſecum pugnantia, quam in ipſis rebus, quas ſenſibus contrectamus, caecutiat. Operam eſſet perdere, in his revincendis occupari. Socrates, quo nemo inter Graecos doctior habitus, majorum Phyſicorum opiniones ac diſputationes conſiderans, *vaticinari eos ac furere* dicere ſolebat, quemadmodum retulit Xenophon *in memorabilibus*. Eos tantum hoc in loco errores ſpecto, qui *Religionem*, & *Moralem* adtinent. Si ab inſtitutione divina diſcedamus, non dico nunc in populo, ſed in ipſis Philoſophis, errores reperiemus, quibus naturalis illa Dei notio, quae ex humanis mentibus penitus deleri nequit, foede depravata eſt, atque totius pietatis, religionis, ſcientiae moralis principia corrupta. Id nunc demonſtrandum nobis eſt, quo intelligamus, quantopere homini ad recte de Deo cogitandum, recteque vivendum, quibus tota continetur pietas & religio, hujuſmodi inſtitutio ſit neceſſaria.

§. IX. Origo Mundi Philoſophis, qui ſolam rationem naturae conſulebant, aut ignota, aut infinitis erroribus commaculata, id quod ſatis patet ex Scholio prop. IV.. Mundus aeternus ac ſine principio Democriticis & Eleatenſibus: neceſſitate aeterna factus Peripateticis: caſu pluries genitus Epicureis. Homines ipſi e Tullure nati velut fungi, quibuſdam: aliis animi delapſi ex aſtris, aut e mundana anima hauſti: & mortales quidem plurimis cum corpore: aliis longaevi quidem, ſed aut vagi per corpora etiam brutorum, aut tandem interituri: aliis incertae naturae & originis. De natura Dei nihil apud hujuſmodi Philoſophos ſani, Chaldaeis, Heracliticis, Stoicis igneus eſt, & quidem anima Mundi: immenſus Pythagoreis, ſed item Mundi anima informans, ex quo animi noſtri capiantur: Fato illigatus pene amnibus, ut ne poſſit quidem, quod vult: cum pervicaci & obſtipa materia, ac mundana anima perpetuo decertans ipſis quoque divinis, ſi Diis placet, Platonicis. Providentia aut imbellis, quia Fato acta, ipſis Stoicis, qui providentiae vindices videri volebant; aut

noſtra ideſt ſublunaria, non attingens, ut Ariſtoteli; aut nulla, ut Epicureis; aut cum fortuna & caſu conjuncta, ut Politicis & populo. Jam ne Monarchia quidem Dei, niſi admodum paucis cognita. Et deriſere Philoſophi Deorum turbam popularium, ſed aut Deo malorum Principium coaeternum coaequarunt, aut Mundi fabricam, & regimen in plures diviſere, ut ſcilicet ignari homines originis ſuae Auctorum, per plura & incerta vagarentur, nec quid colendum ſibi eſſet ſcirent. Uno verbo, *qui Deos eſſe dixerunt tanta ſunt in varietate ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias*, inquit Cicero. Agnoverunt id Potamonici Scholae Alexandrinae alumni, poſtquam diſputationibus Chriſtianorum ad incitas redacti fuerunt. Itaque ut ſuppetias labenti Philoſophiae ferrent, diſtinguendum cenſuere inter *Philoſophos*, & *Philoſophiam*, ut ſic honeſtius & Philoſophos coarguerent, defenderent interea Philoſophiam, quaſi aliud illa ſit, quam Philoſophorum opiniones & diſputationes (*a*).

§. X. Quid nunc errores in Morali Philoſophia recenſere attinet? tot ſunt ac tales, ut merito Philoſophia pudere poſſit imbecillitatis ſuae. Ac quum ea potiſſimum Philoſophiae parte genus humanum indigeat, ut recte & praeclare vivat, intelligitur quam parum ſit in ipſa humana ratione ab omni divina inſtitutione, & vi deſtituta ad beate vivendum praeſidii. Principio de fine bonorum & malorum incerta omnia apud Philoſophos, qui ſolam ſunt naturam ducem ſequuti. Unus Cicero in iis libris, quos ſuper ea re conſcripſit elegantiſſimos, id copioſe docebit, & Laërtius qui in nulla veteris philoſophiae parte enarranda copioſior fuit, quam in hac, quae de *fine eſt*. Ignorato autem ultimo hominis fine, quod recte Ariſtoteles dixit, neceſſe eſt,

(*a*) *Vide Moſhemium in diſſertatione* de deturbata per Recentiores Platonicos Eccleſia, *ad calcem Syſtematis intellectualis Cudvvorthi*.

Digitized by Google

eſt ut & in mediis eligendis haeſitemus, ac incerti perpetuo ſimus: ex quo illud etiam efficitur, ut tota hominum vita perturbata ſit. Deinde illud etiam accedit, quod de vitae humanae norma aut nihil docuerunt certi, aut omnino eam abſtulere, aut, quod tantundem eſt, eas conſtituerunt regulas, quae perdendae vitae aptiores ſunt, quam regendae, id quod conſectarium eſt ignorationis *finis* humanae vitae: nam vivendi regulas humana ratio, niſi divinitus hauriat, ex fine tantum inveſtigare poteſt. Itaque nihil eſſe natura *juſtum*, aut *injuſtum*, *honeſtum*, aut *turpe*, ſed omnia ea conſuetudinibus & legibus humanis originem debere, plures horum Philoſophorum dixerunt. Celebre eſt illud Calliclis *in Gorgia Platonis*, qui quae Philoſophi de juſtitia & injuſtitia velut ex naturae fontibus diſſerunt, vocat hominum *deliramenta*, *&* *nugas*. Eadem vox fuit Ariſtippi perpetua: eadem Epicureorum, qui juſtitiam & injuſtitiam ſola utilitate metiendam eſſe docebant, quo quid humanae ſocietati perniciaſius excogitari poteſt? Et diſſeruere quidam Philoſophorum de Jure naturae, & Officiis, Platonici, Stoici, Peripatetici, ſed incerti de fine bonorum, incerti de norma, ſibi non conſtantes. Praeterea aut ea excogitarunt, quae, quod ſuperiora natura humana ſint, inutilia prorſus ſunt, ut Stoici, & Platonici, quorum praecepta non iis hominibus qui ſunt, ſed iis, quos illi comminiſcebantur, magna ex parte aptata erant: aut omnia ad inane quoddam honeſtatis idolum accommodarunt: aut in Cive formando intenti, pietatis negligentes, impium fecere, quod de Ariſtotele adnotavit Picus Mirandolanus comes (*a*). Hanc igitur tu Philoſophiam vitae magiſtram aſſumes? Equidem nihil incogitantius unquam ſcriptum reperio, quam illud Ciceronis (*b*), ſi ad hanc Philoſophiam pertineat, *o vitae Philoſophiae dux! o virtutis* in-

(a) *Lib.* IV. *de Notionibus*.
(b) *Lib.* V. *Tuſculanarum cap.* II.

indagatrix, *expultrixque vitiorum*! Quod ſi eſſet verum, qui idem Cicero ſcribere potuit (*a*), *quotus quiſque Philoſophorum invenitur*, *qui ſit ita moratus*, *ita animo*, *&* *vita conſtitutus*, *ut ratio poſtulat*? *qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiae*, *ſed legem vitae putet*? *qui obtemperet ipſe ſibi*, *&* *decretis ſuis pareat*? Qui Juſtinus Trogi, *profuiſſe plus apud Barbaros ignorationem vitiorum*, *quam apud Graecos cognitionem virtutum* (*b*)? nam Philoſophi, ut eleganter Auguſtinus loquitur, *ad loquendum faciles*, *ad efficiendum ineptiſſimi erant* (*c*).

§. XI. Jam quod plenius id quod volo demonſtrat, inter ipſos Hebraeos & Chriſtianos, qui paulo liberius philoſophari voluere, & hanc rationem ſecuti ab inſtitutione Prophetarum & Apoſtolorum diſceſſere, in iisdem ſe erroribus implicuerunt, in quibus Ethnici ſine revelatione. Cujus quae eſſe alia poteſt cauſa, niſi quod ſola humana ratio, quae ex naturae notionibus informatur, homini ad pietatem plene inſtituendo inepta ſit? Enim vero ut apud Ethnicos abſurdiores de Deo, pietate, natura in ſcholis Philoſophorum reperias opiniones, quam in vulgo ipſo Philoſophis & Poetis antiquiore, quod nempe veterum traditionum tenaciores populi, ut non innovare, ita ne corrumpere quidem facile ſciant; ita inter Hebraeos & Chriſtianos peſtilentium dogmatum iis fuere Auctores, qui plus ex jecore ſuo ſcire voluerunt, quique majori Philoſophiae ardore, quam *divinae regulae*, ſe rapi paſſi ſunt! Ac mitto nunc Hebraeos, quorum Cabaliſtae, Caraitae, aliique ex quo tempore Ariſtotelis & Platonis Philoſophiam admiſerunt, dici nequit quanta aut inanium ſomniorum farragine, aut ſuperſtitione, aut impietate doctrinam Dei foedaverint (*d*): Chriſtianorum, ut videri voluerunt, quoſdam conſideremus.

Nam

(a) *Ibid. Lib.* II.

(b) *Lib.* II. *cap.* II.

(c) *Lib.* VIII. *de Civit. Dei*. *Vide Lactantium Lib.* III.

(d) *Buddeus in introductione ad Hiſtoriam Philoſophiae Hebraeorum*.

Nam unde nata deliria Valentini & Marcionis? Quorum qui apud Irenaeum, & Tertullianum legit ineptias, atque delirantium aegrorum formas, ſe taedeat rationis humanae neceſſe eſt. De eodem fonte prodiere Pelagiani, quos Semi-Epicureos dicere poſſis, aut primum inter Chriſtianos, quod cenſuit Bodinus, Deiſtarum germen. Quum in Italia XIV. & XV. ſaeculo Peripatetica & Platonica Philoſophia nimis pleriſque admirationi eſſet, in quot ridicula, abſurda, impia ivere Patricius, Cardanus, Pomponatius, Ceſalpinus, Berigardus, Coſmus Rugerius, Brunus Nolanus, Vaninus? Unde autem & Macchiavelliſmus, & Hobbeſianiſmus, peſtilentiſſimae Philoſophorum ſectae? Jam quum in tota Europa haec philoſophandi ratio non ita pridem invaluiſſet, qua revelationis incurioſi ſola naturae ratione niti homines coeperant, inde Socinianiſmus, Deiſmus, atque Atheiſmus denique longe invaluerunt. Nempe omnibus eadem cauſa: una ſola & corrupta ratio dux: una nimia Philoſophiae admiratio: unus divinae inſtitutionis contemptus. Intelligo nunc, qui factum ſit ut divina oracula breviter ac nude proponerentur. Scilicet non ſolum, *quod non decebat aliter, ut quum Deus ad hominem loqueretur argumentis aſſereret ſuas voces, tanquam fides ei non haberetur, cujus eſt non argumentari, ſed pronunciare verum*, quod cenſuit Lactantius (*a*): ſed ut ne occaſionem curioſius inveſtigandi animantium omnium maxime curioſo homini ſeppeditaret: ut doceret, quod Germanicus apud Tacitum pronunciat, *ſanctius eſſe de Deo credere, quam ſcire*: ut noſtrae rationi diffidendum aſſuefaceret in iis rebus, unde vitae beatitudo pendet: ut rationem noſtram divina inſtitutione rectam efficeremus.

§. IX. Opiniones hominum de Deo, de Natura, de Legibus, perridiculae, abſurdae, impiae perſpicue demonſtrant quam inepta ſit humana ratio, niſi divinis

(a) *Lib.* III. *cap.* I.

Digitized by Google

notionibus informetur & regatur ad hominum vitam pietati conformandam. Mores nunc ſpectemus populorum, ut inde videre poſſimus, quo tandem foeditatis ſine divina inſtitutione evadere queamus. In duplici claſſe ſunt mores omnes poſiti: nam aut vitam civilem ſpectant, aut religionem. Quod pertinet ad poſteriores, eae nationes, quae ſine divina revelatione vixerunt olim, aut nunc etiam vivunt, in tam deridicula, nefanda, impia ſuperſtitione fuere, aut nunc ſunt, ut cum animo mecum reputo, ſatis mirari non poſſum, animantes rationales tot numero, tamdiu, ac in tanto mentis ſtupore eſſe potuiſſe; itaut verendum eſſet, ne commenticiae fabulae videantur, niſi tanta contentione graviſſimorum teſtium narrarentur, ut ſtupidius eſſet non credere. Civilem & Poeticam Theologiam apud Ethnicos unam eandemque fuiſſe, Poeticam nempe theoricam, Civilem vero Poeticae practicam, ut quod illa de Diis narraret, haec publice exhiberet, & Ethnica hiſtoria cum Poetis collata demonſtrat, & pluribus evicerunt veteres Chriſtianae Religionis Apologiſtae, in primis Arnobius, & Auguſtinus (*a*). Itaque qui Poeticam noverit, Civilem quoque novit. Deorum, Dearumque amores ſceleſtiſſimos, raptum puerorum ac puellarum, mendacia, iras, ac omnem vitae corruptionem in ſcenis exhibebant Poetae, populo belle plaudente. Ac graviores Philoſophi quidam fuiſſe videntur, qui haec improbarunt (*b*), quam Dii ipſi, Deorumque adminiſtri, quibus Auctoribus haec publice credebantur, & exercebantur.

§.XIII. Jam vero quis turpitudinem myſteriorum Eleuſinorum, Orphicorum, Dianae, aliorumque enarret? Clemens quidem Alexandrinus ſe pudere ſcribit minutatim illa narrare, quae tot gentes facere non puduit (*c*).

Bac-

(a) *Arnobius Lib.* II. *Aug. in* 6. *de Civit.*
(b) *Plato de Legib. lib.* III. *Cic. lib.* II. *de Nat. Deor.*
(c) *Exhortat. ad Gentes.*

Digitized by Google

Bacchanalia ludos fuiſſe Baccho ſacros ignorat nemo: quum tamen ebrietatis, impudicitiae, omnigenaeque ſpurcitiae exercitatio eſſent, ut jure Varro apud Auguſtinum (a) *emotae mentis homines* bacchantes appellaverit, Senatuſque Romanus quum primum Romam inducerentur, velut foedam Civitatis corruptionem vetuerit (b). Jam quis ferat ſceleratiſſimos homines inter Deos relatos? Eſt quod magis cum Religione ac Religionis fine, ideſt vitae honeſtate, ſanctitate, felicitate pugnet? Ut ecce meretrices ipſae publice cultae, Laena ab Athenienſibus, Lupa, Faula, & Flora a Romanis, quas Lupanaris magiſtras fuiſſe ex veteri hiſtoria demonſtravit Lactantius (c). Nihil ego nunc dicam de Venere, cujus impuriſſimos amores theatra omnia perſonabant. Pudet quoque me *Floralia* deſcribere: nam *praeter verborum licentiam, quibus obſcoenitas omnis effundebatur, exuebantur etiam veſtes, populo flagitante, meretrices, quae tunc Mimorum fungebantur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis moribus detinebantur*, quae Lactantius ita narrat, ut ad tempora uſque ſua continuata indicet. Interim honeſta haec dicere poſſis, ſi cum Graecorum myſteriis compares. Praeterea quis Mutuni, aut, ut Arnobius vocat, Tutuni Dii, ſeu Priapi, obſcoena facta, quae illi ſacrificia habebant, commemoret libenter? *In cujus ſinu* (Lactantii verbis potius dicam) *pudendo nubentes praeſident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur* (d). Id quod hodieque plures Aſiae Nationes efficiunt (e). Et eſt praeterea, qui vitae humanae regulam, qui veram religionem ab hominibus ſibi ſuaeque rationi & affectibus commiſſis expe-

(a) *Aug. de Civit. lib.* VI. *cap.* IX.
(b) *Livius lib.* XXXIX.
(c) *Lact. lib.* I. *cap.* XX.
(d) *Vide & Aug. lib.* VI. *de Civit. cap.* IV.
(e) *Voyages de la compagnie orientale de l'Indie.*

Digitized by Google

ctet? Potuiſſent gentes illae obſcoeniora & profaniora exercere ſacrilegia, ſi uni huic rei tota vita ſtuduiſſent? Quae igitur pietatis & religionis verſabatur in hujuſmodi animis notio? Itaque ego non miror publice Atheos a Paulo Apoſtolo, mox etiam a vetuſtis Patribus habitos.

§. XIV. Sed eſt praeterea quod magis exhorreamus. Nemini ignotum & hoſtiis humanis ſacrificatum apud Ethnicos, ut religio, quae hominibus conſervandis de Coelo delata eſt, in foedam ſuperſtitionem verſa iis extirpandis incubuiſſe videatur. Mirum dictu eſt, quot gentes in haec parricidia velut furioſae irruerint. Pluſquam triginta nationes his ſacrilegiis ſe polluere ſolitas enumeravit Euſebius *in Praeparatione Evangelica*, pluresque alias novelli viatores detexere (*a*). Inter Romanos ipſos Lactantii tempore Latialis Jupiter ſanguine humano colebatur, ut merito is exclamaverit, *o dementiam inſanabilem? Quid illis iſti Dii amplius facere poſſent ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitii? Quorum ſuos Auctores parricidiis inquinent, orbitatibus mactent, humanis ſenſibus ſpolient? Quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter Aras Deorum ſumma ſcelera committunt. Nonne ſatius eſt pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere?* Enim vero Religionis eſt homines manſuefacere, alios in aliorum opem excitare, virtutem in pectoribus humanis gignere, non de hominibus belluas immanes reddere. Itaque inſigne hoc criterium verae & divinae religionis eſt, quod Euſebius adnotavit. Cujus locum, cum egregius ſit, etſi paulo longior, producam tamen, ſed ſemel tantum.

§. XV. *Ex quo ejus* (Servatoris noſtri) *doctrinae per univerſum orbem diffuſae verbis & concionibus hominum aures*

(a) *Lomejerum de gentium luſtrat. cap.* XXII. *Jo-* [illegible] *ad Origenem pag.* 22. & 23., & *Petrum* *Anthropophages cap.* IX. & X.

tures afflari coepere, continuo factum eſt, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus, & humanioribus inſtitutis manſueſcerent. Itaque nec Perſae, qui ſemel ejus diſciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt, nec Schytae, quod in eorum quoque regionem Chriſti ſermo penetravit, humana jam carne paſcuntur: nec alia barbarorum genera inceſto filiarum ac ſororum concubitu polluuntur: nec ad mares furioſae libidinis aeſtu mares ipſi rapiuntur: nec caeteras, quae naturae leges violant, corporis voluptates perſequuntur: nec canibus atque volucribus neceſſariorum ac propinquorum ſuorum cadavera, quibus id quondam in more fuerat, objiciuntur: nec ſenio jam confectis, ut antea, laqueos injiciunt: nec ſibi amiciſſimorum carne poſt obitum antiquo ritu ſaginantur: nec majorum inſtituto daemonibus tanquam Diis homines immolant, nec ſibi cariſſimos jugulant falſa pietatis opinione deluſi. Haec nimirum illa ſunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infeſta quondam hominum vita habebatur. Haec Euſebius. Qui haec barbara facta cum Chriſtianae Religionis praeceptis comparaverit, is duo intelliget. I. quam imbecillis ſit natura humana ad ſe formandum & regendum ſine coeleſti doctrina. II Religionem Chriſtianam, quae tam brevi tam immanes mores diuturnitate temporis firmatos delevit, coelo vim ſuam atque ortum habere.

§.XVI. Nec vero nunc nobis quiſquam opponat, etiam ſi Chriſtiana religio praedicata non fuiſſet, paulatim tamen Gentes ad ingenii, opinionum, ac morum culturam perventuras fuiſſe: nam hoc eſt, quod omnino conficit, rationem naturalem nullo modo ſine divina inſtitutione ad haec pertingere poſſe, quod nulla temporis diuturnitate meliores homines efficiat: id quod etiam probat, niſi Chriſtiana Religio praedicata fuiſſet, nos tam immanes, & publice corruptos futuros fuiſſe, quales veteres ante Chriſtum nationes fuere. Videamus, ut haec demonſtremus, qui mores, quae dogmata apud praeſentes nationes, quae Chriſto non adhuc dedere nomen.

men. Idololatria in omnibus: ceremoniae neſandae ac impiae. In Philippinis Inſulis Sacerdotes foeminae: quae, ut olim in Floralibus, nudae, ac pudorem, quod majus quoque, exutae, quae apud Orientales Indos, & Tartaros ſe publice praeterea proſtituunt, eumque Deorum cultum habent. Naſingae in India fruſta carnis ſuae obtruncant ac palpitantem intrepide Diis ſacrificant. Sacrificia humana pluribus in locis uſitata, ut in Inſula Ceylon, Mexico, Peru, Terra Firma, Virginia. Solem, Lunam, Aſtra apud ommes ferme culta: ſed addita bruta ipſa magis nefanda, velut Simiae & Elephanti in Ceylon, Serpentes ac Tigres in pluribus Africae locis; aves ac piſces in Guinea. Nec minus abſurda dogmata. Alibi duo Dii crediti, alter Coeli, Terrae alter, velut in Tartaria: in Inſula Formoſa, ut inter Huttentottos, boni ac mali Dii ſtatuti. Siamenſes quemdam Deum agnoſcunt, ſed non natura, verum vi ſua ac merito factum, poſtquam ſcilicet, per infinita propemodum corpora pertranſierit. Apud Malabares mutabiles Dei, ac, ut Romani Conſules, minime perpetui: providentia praeterea praecipuarum, non omnium rerum, ut videantur Principum jura ac poteſtatem tranſtuliſſe ad Deos. Metempſychoſis vulgata apud Orientales omnes, nec quidpiam aliud confidentius aſſertum. Plerique apud Malabares & Indos perpetuo veſci Deos, ut antiqui Chaldaei, ſibi perſuaſum habent, ſeu antiqua diſciplina, ſeu Sacerdotum vafricie. Tartari, Guineenſes, Canadenſes defunctorum quoque animas vitae omnibus ſubſidiis indigere credunt. Sed Lectores obtundo.

§. XVII. Quid mores? Minime illi quidem meliores. Apud Orientales Indos, ut & Guineenſes uxores viventes cum corporibus virorum igni traditae. Quum occumbunt Reges, familiares occiduntur, qui illis in altera vita adminiſtrent. Pluribus in locis Americae eorum, qui vulnere moriuntur, ſcatentem ſanguinem exugunt, ut ita ſcilicet ferociae aſſueſcant. In Africa, Braſilia, & Hiſpaniola humana carne veſci non exhorreſcebant. Re-

latum

latum quoque eſt, Canadenſes humanis praedis velut venatione victitare ſolitos. Sint haec viatorum fabellae: ſed illud certum, quod infantes, ut apud Veteres, multis in locis hodie exponantur, ac in primis apud Sinenſes. Quod mihi non humanitatis modo leges omnes violare videtur, ſed naturae quoque animanti adverſari: ſiquidem video id inter feras ipſas nunquam uſurpatum, quae pro partubus ſuis ita ut pro vita dimicant. Mitto alia ferociae & barbariei exempla, quae copioſe collegit Epiſcopus Londinenſis (*a*). Haec niſi oſtendant, quam imbecillis ſit humana ratio ad vitam & pietatem conformandam, non video quid evidentius in rebus humanis reliquum ſit.

§. XVIII. His nunc addo, quod etiamſi conſtituere velimus, rationem humanam, quae ad Religionem & Moralem pertinent, plene omnia intelligere poſſe, ut nihil omnino, quod ſcitu ſit neceſſarium, eam lateat; inutilem eam adhuc reperiemus in genere humano ad moralem & pietatem inſtituendo. Neque enim idem eſt, purgatam hominum exercitatorum rationem intelligere quidquam poſſe, & eandem aut omnes generatim poſſe ad idem inſtituere, aut eorum etiam flectere naturam, & quaſi ad agendum inducere, qui id intellexere. Principio ratio utcumque clara & diſtincta intellectum coget, naturam aut non omnino, aut vix commovebit. Vix ea momentum aliquod habet, aut exiguum habet ad naturam emolliendam, atque ad pietatem, juſtitiam, honeſtatem inflectendam. Naturam doctrina meliorem non effici, tota hominum doctiſſimorum vita me docet. Quantumvis enim perfecta ſit ratio, haud tamen minus odio, amore, ira, metu, ambitione, avaritia, ſuperbia, aliiſque affectibus perturbamur. Iis ſemel excitatis, aeque ſtulti ac docti, aut prope eundem in modum, agitantur, addo, aeque plerumque homines ac belluae. Ratio ergo intellectum cogit ad

(a) *Praeſervatif contre l' incredulitè, & le libertinage lettre paſtorale* II.

ad aſſenſum, naturam non movet, niſi admodum imbeciliter, ad actionem: ac quum movet, non ipſa per ſe, ſed affectuum inſtrumentis utens, movet. Ad vitam igitur & pietatem ipſa per ſe ſola non ſufficit. Opus eſt ergo doctrina, quae vigorem praeterea naturae tribuat, quae nos emolliat, quae ad virtutes promptiores efficiat. Intellexere Veteres quidam, in primis Plato, qui in Menone virtutem non acquiri, ſed a Deo demitti docet. Eſt & Epicteti locus ſuper hac re egregius, quem alibi nos deſcripſimus (*a*).

§. IX. Deinde demus tantiſper, eam eſſe humanae rationis vim, ut & ſingula divini cultus officia, & officia vitae quum privatae tum publicae docere poſſit, & voluntatem praeterea ipſam permovere, atque perturbationes compeſcere; concedent profecto nobis Deiſtae, id praeſtari non poſſe, niſi a mente exercitio & ſtudio exculta: omnium enim ignorantes naſcimur omnes, nec niſi exercitio & ſtudio rationem augemus & perficimus, ut ad id, quo natura tendimus, habilis eſſe poſſit. At nunc quotus hominum quiſque eſt, qui ita intellectum ſtudio & exercitio excolere poſſit, ut his omnibus ſit aptus? In ea quam vivimus vita humana, plures artibus vitae neceſſariis incumbere neceſſe eſt, quam meditationi. Ita maxima hominum pars ut non excolere mentem, ita ſibi ad pietatem & juſtitiam ſatis eſſe non poteſt. Ex quo conficitur, ad genus humanum his in rebus inſtruendum, ſine generali quadam & ſuprema inſtitutione, rationem humanam aut nullam, aut admodum exiguam vim habere (*b*). Eſt porro Deus bonus & beneficus, ut hominibus deeſſe in neceſſariis minime eum deceat; dubitari ergo nequit, extare aliquam divinam revelationem, qua homines ad pietatem & juſtitiam informentur, ac divinitus

---

(a) *Part. II. Append. ad cap. ult.*

(b) *Eſt haec praeclara Origenis ratiocinatio in I. contra Celſum, cujus locum vide.*

Digitized by Google

nitus vigorem accipiant, quo pii & juſti ſint.

Prop. XXXI. Libri novi teſtamenti genuini ſunt.

D. Liber genuinus eſt, qui ab omnibus qui Scriptoris aetatem conſecuti ſunt, genuinus eſt habitus: tales autem ſunt libri Novi Teſtamenti; nam non Chriſtiani modo omnes, qui tempora Apoſtolica conſecuti ſunt, ſed Ethnici quoque Scriptores Apoſtolis, ideſt Jeſu-Chriſti Diſcipulis, tribuerunt; ſunt ergo genuini.

Schol. §. I. Poſtquam demonſtratum eſt, homines ſuapte ratione & vi ſine Divina revelatione nec inter ſe recte ac ſapienter vivere poſſe, nec cum Deo ſancte; conſequens eſt, ut in illud inquiramus, verſetur ne inter homines divina aliqua doctrina ac lex, qua homines officia ſua rite poſſint componere? Ac verſari aliquam tria probant, 1. hominis indigentia, 2. Dei ſumma bonitas ac providentia, 3. nationum omnium maximus conſenſus. Nam nec homo beatitudinem ſine Dei doctrina aſſequi poteſt, nec ſumma Dei beneficentia pati, ut homines ſic incerti vagentur: & nationum omnium temporum, omniumque locorum mirifica ſuper hac re conſenſio, unde proficiſci potuit, ſi nihil divinitus unquam acceperint ad vitam & religionem quod pertineat? Quum autem vulgatum ſit inter eos, qui chriſtano nomine cenſentur, non ſolum eſſe aliquam inter homines doctrinam divinitus revelatam, quae nos ad mores, ac Dei cultum & pietatem plene inſtituere poſſit, verum quoque eam iis libris contineri, qui idcirco divini habentur; ut Deiſtis morem geramus, ad publicam hanc atque perantiquam tot gentium perſuaſionem perpendendam aggrediamur, ac ita aggrediamur, quaſi heri aut nudiuſtertius in has regiones devenerimus, ne quidquam ex anticipatione concluſum profanum genus obmurmuret. Rem autem ita partiemur, ut quoniam chriſtiana pietas & religio libris his potiſſimum contineatur, qui Novi Teſtamenti dicuntur, eorum primum genuinitatem, veracitatem, divinitatem explicaturi ſimus, deinde in libros Veteris Teſtamenti inquiſituri.

§. II.

§. II. Principio autem librorum Novi Teſtamenti genuinitas iis argumentis demonſtratur, quibus inter homines nulla eſſe poſſunt certiora. Liber genuinus is eſt, qui ab eo Auctore ſcriptus eſt, a quo ſcriptus eſſe dicitur, & eo circiter tempore, quo ſcriptus eſſe fertur. Omnis autem liber eſt genuinus, qui genuinus habitus eſt omnibus proxime & continuata ſerie ſequentibus cum aetatibus. Ita Caeſaris Commentarios genuinos eſſe non dubitamus, quum & proxime conſequentium aetatum, & aliorum iis ſuccedentium conſtanti teſtificatione conſtet: nam & genuinos agnoſcunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Svetonius & Pluthareus & Grammatici poſtmodum veteres, ac reliqui ſubinde ad hanc uſque aetatem Scriptores. Sunt autem libri Novi Teſtamenti genuini habiti ab omnibus ſequentibus Apoſtolos Jeſu Chriſti aetatibus ad nos uſque perenni conſenſione, uti conſtat non ex traditione tantum popularium omnium Chriſtianorum, ſed nobiliſſimorum Scriptorum, Clementis Romani Pontificis, Ignatii, Polycarpi, Papiae, Quadrati, Ariſtidis, Agrippae, Hegeſippi, Juſtini Martyris, Melitonis, Theophili Anthiochenſis, Apollinaris, Irenaei, aliorumque ſecundi a Chriſto ſaeculi Auctorum. Tum Tertulliani, Clementis Alexandrini, Apollonii, Policratis, Origenis, Hyppoliti, Cipriani, Dionyſii Alexandrini, aliorumque tertii ſaeculi Auctorum. Poſtremo omnium quotquot Eccleſia Chriſtiana Scriptores habuit nobiliſſimos ac celeberrimos. Genuini ergo ſunt libri Novi Teſtamenti. Utitur hoc argumento ſtrenue Auguſtinus adverſus Fauſtum Manichaeum, qui adulteratos eſſe Novi Teſtamenti libros effutiebat: *Platonis*, inquit, *Ariſtotelis*, *Ciceronis*, *Varronis aliorumque ejuſmodi Auctorum libros, unde noverunt homines quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua?* (*a*) Quod ſi quis ne id quidem ad fidem

(a) *Lib. 33. cap. 6.*

ſidem faciendam ſatis firmum putet, videat quo argumento probare poſſit proavita bona haereditario jure ad ſe pertinere. Vide hiſtoriam textus Novi Teſtamenti Milii per omnia ſaecula continuatam in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum, & Ricchardum Simonium (*a*).

§ III. Audiamus quibus argumentis tantam chriſtianorum perſuaſionem ac tam ſolide conſtabilitam Deiſtae noſtri evertere conentur. Primum, Chriſti, inquiunt, Diſcipuli, qui horum librorum Auctores feruntur, homines erant analphabeti, ideſt litterarum inſcii: ſcribere igitur ipſi libros iſtos non potuerunt; genuini ergo non ſunt. Sed litterarum omnium inſcios eos eſſe oportet, qui hunc in modum argumentantur. Primo plures Chriſti Diſcipuli, eorum, qui Auctores feruntur librorum Novi Teſtamenti, litteras ſciviſſe conſtat. Nam Matthaeus cum Telonio praeeſſet litterarum erat haud dubium peritus. Lucas Philoſophus erat & Medicus, ut Hieronymus teſtificatur (*b*). Paulus in Moſaica lege a Gamaliele fuerat eruditus. Marcus ab Apoſtolis in Philoſophia chriſtiana inſtitutus, ac Alexandriae Epiſcopus Praefectus, & ipſe litterarum peritus eſſe debuit; ſaltem ita vetus perſuaſio fert, quam nullo argumento ex antiqua hiſtoria deprompto refellent Deiſtae. Controverſia ergo redit ad Jacobum, Johannem, Petrum, & Judam, quod fuiſſe piſcatores traditum eſt in his ipſis libris. Sed primum id non obſtat, quominus legere & ſcribere ſciverint, cui Hebraei ferme omnes ſtudebant, utpote qui legem deberent ediſcere. Ac Origenes quidem ea de re adverſus Celſum diſputans (*c*) piſcatores, ait, fuiſſe Apoſtolos, ſed non profeſſione & inſtituto nautas, ut neceſſarium fuerit litteras ignorare.

Deinde

(*a*) *Hiſtoire critique de texte de nouveau Teſtament cap.*1. *tum Stackouſe le ſens litteral de l' Ecriture S.tom.*2. *cap.*1.

(b) *De Scriptoribus Eccleſiaſt. in Luca.*

(c) *Lib.* 1. *adverſus Celſum.*

Digitized by Google

Deinde demus eos amanuenſibus uſos, eſt quod deroget eorum librorum genuinitati? Neque enim vero minus genuinus liber erit, quem ego dictavi, quam quem ego ſcripſi. Jeremias Propheta Baruc Amanuenſi eſt uſus. Perridiculum autem fuerit idcirco ejus ſcripta minus habere genuina.

§. IV. Sed (videant quam liberaliter agere decrevimus) demus tantiſper, nihil conſtare ex antiquis monumentis, ſcribere ne Apoſtoli ſciverint, quum interim conſtet vetuſtiſſima omnium Chriſtianorum traditione, hos libros, de quibus agimus, ab iis fuiſſe ſcriptos, quibus tandem argumentis eam perſuaſionem convellent Deiſtae? Neceſſe enim eſt ut hujuſmodi argumenta ejus ſint ponderis, quo vetus illa fides elevari poſſit: alioquin ſtultum fuerit ab ea deſciſcere nulla alia ratione motos, praeter quam a libidine contradicendi. Jam quae ſunt haec argumenta Deiſtarum? Legere, inquiunt, ac ſcribere neſciverunt Apoſtoli. Unde id reſciverunt Deiſtae? Nam tota iis adverſatur vetuſtas. Scilicet erant piſcatores. An idcirco litterarum inſcii? Potuere, inquiunt, eſſe analphabeti. Perbelle prorſus. Quaſi vetus hiſtoria tanta Teſtium concordia confirmata nullo alio argumento, niſi vanis hiſce hypotheſibus rejici poſſit. Quod ſi in caeteris columina iſta criticae & dialecticae faciant, nae ii puerorum luſus ſunt.

§. V. Opponunt ſecundo, pleroſque Novi Teſtamenti libros ab antiquis aliquot repudiatos fuiſſe ut ſpurios, veluti Evangelium Lucae a Cerintho, & Carpocrate: Johannis Evangelium ab Alogis: Acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas a Severianis, & Cerinthianis; alia ab aliis: non conſtat igitur de horum librorum genuinitate. Sed mirum eſt a viris Critices peritis, ut videri volunt, poſſe urgeri paucorum impudentiam, aut potius rabiem, contra Veterum omnium conteſtationem! Nam ſi hujuſmodi argumenta vim habent aliquam, dicamus etiam Herodoti hiſtoriam Conſtantini temporibus confictam fuiſſe, quod id Jacobo

Gau-

Gauderio placuerit, AEneidem Virgilii a Benedictinis elucubratam, quod id velit Arduinus. Non pudet Deiſtas inteſtabiles homines pro cauſa ſua appellare? Nimirum mos fuit haereticorum omnium, eos divinae Scripturae libros repudiare, quos erroribus ſuis contrarios eſſe intelligebant, quod adnotatum Irenaeo. Ita Vetus Teſtamentum repudiaverunt quicumque inde arguebantur. Alogi quum negarent Chriſtum eſſe λόγον Dei, Joannis Evengelium rejecerunt, unde revincebantur (*a*). Cerinthiani quum circumcidi oportere Chriſtianos arbitrarentur, in libros Paulinos invecti ſunt. Similibus ex cauſis alii agitati Eccleſiae ſeſe opposuere. In quibus idcirco quid praeſidii Deiſtae noſtri reperire poſſunt? Niſi una cum illis inſanire velint.

§. VI. Jam opponunt tertio, libros iſtos corruptos eſſe, ac plane diverſos ab iis, quos Apoſtoli ſcripſerunt. Id vero ſic nituntur probare. Primum haec narrat Victor Tununenſis Epiſcopus Africanus Auctor coaevus: *Meſſala Conſule, Anaſtaſio Imperatore jubente, Sancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangeliſtis compoſita reprehenduntur & emendantur*. Victoris hujus Chronicon, in quo haec leguntur, primum editum fuit Ingolſtadii per Caniſium Anno 1600. deinde a Scaligero ad Chronicon Euſebii. Refert porro Victor, idem factum narrari ab Iſidoro Hiſpalenſi in ſuo Chronico. Et leguntur haec eadem verba in Chronico Iſidori Hiſpalenſis edito Pariſiis Anno 1607. Non dubito quin hinc Mahummedani Alkorani conditores acceperint id, quod ſaepe ſcribunt, nos corrupiſſe Evangelia. Deinde infinitae, inquiunt, propemodum ſunt variae lectiones in libris novi Foederis, id quod Novum Teſtamentum Millii abunde demonſtrat. In praefat. Novi Teſtamenti editi a Weſtenio triginta mille variae lectiones numerantur. Vix tot ſunt verba Novi Teſtamenti. Tertio vero ſic argumentantur: pleraque ſunt,

(a) *Vide Epiphanium haereſi* 51.

quae veteres Patres ex ſcriptis Apoſtolicis citant, quae non ſunt in libris, quos habemus, aut diverſa ſunt. Prioris generis eſt illud, quod apud veteres plures reperitur uſurpatum: *eſtote probi nummularii*, quodque in Novi Teſtamenti libris nullibi extat. Poſterioris generis eſt hoc in Epiſtola 2. Clementis: *Si exiguum non ſervaſtis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis, qui fidelis eſt in minimo, & in multo fore fidelem*. Quae verba leguntur quidem apud Lucam, ſed plane diverſo modo.

§. VII. Quaſi triumphat his argumentis Collinus (*a*) Sed pudet me hic Deiſtarum ingenii: quid enim produci potuit ineptius? Primum, quid conatus fuerit Anaſtaſius (neque enim factum illud negare nunc oportet) non inquiram (*b*). Demus, quod iſti ſibi blandiuntur, violentas manus ipſis Apoſtolorum codicibus injeciſſe; id non magis evertet eorum Codicum, quos nunc habemus, integritatem, quam conatus tot aliorum haereticorum, qui exemplaria quaedam divinarum Scripturarum itidem depravaverunt, *quo accommodarent eloquia Domini male compoſito phantaſmati*, ut de Valentinianis loquitur Irenaeus (*c*): neque enim Eccleſia, quae in accurandis libris Sacris diligentiſſima ſemper fuit, ut una Euſebii hiſtoria docet, Anaſtaſii illo Codice uſa deinceps fuit, ſed eo quem per manus ab Apoſtolis acceperat, quod facillime demonſtrari poteſt conferendo eos Evangelicos codices, quos nunc habemus, cum Commentariis veterum Theologorum Anaſtaſio antiquiorum, quod egit Millius in Prolegomenis copioſiſſime. Inde intelligetur, quaecumque veteres illi Theologi ex libris Evangelicis citant, ea eadem in noſtris legi, ſi paucas variantes lectiones, aut Amanuenſium Sphalmata excipias, quae rei ſubſtantiam non attingunt, ut paulo
poſt

(a) *Libertè de penſer*.
(b) *Vide Huttevillium la* Religion *Chretienne lib.* I. *cap.* 12.
(c) *Lib.* I. *cap.* I.

poſt oſtendemus. Ac ea, quae veteres illi Theologi deſcribunt loca librorum Evangelicorum tot ſunt numero, ut ſi in unum colligantur, ac ordine ſuo componantur, ea integrum conflatura ſint Novum Teſtamentum, quod nunc habemus. Adeo ne apices quidem illis exciderunt, in quos Commentarios ſcriberent. Quocirca etiamſi vera ſit haec hiſtoria, quum perſpicuum ſit, praeſentes Evangeliorum libros eoſdem eſſe, ac eos quibus ante Anaſtaſium Eccleſia utebatur, Deiſtarum inde petitum argumentum nullius momenti eſt, niſi ſimul demonſtrent, & Anaſtaſium caetera omnia Evangeliorum exemplaria flammis addixiſſe, quacumque patebat chriſtianiſmus, & totam deinde Eccleſiam Anaſtaſiano exemplari uſam. Oportuit id videre homines, qui rationem totum humanum genus docere ſunt aggreſſi. Quid quod ne Anaſtaſii quidem ille conatus totos Evangelicos libros ſpectavit? Vide ut id demonſtrat Huttevillius in loco ſuperius laudato.

§. VIII. Quod autem veteres quandoque Patres aut citent Evangeliorum ſententias verbis ab iis, quibus nunc in iis libris conceptae ſunt, diverſis; aut eas, quae nunc non extant, ex pluribus cauſis fieri potuit, quae librorum hujuſmodi integritati non officiunt. Primum Veteres illi memoriter ſententias Scriptorum citare ſolent, nec loca conſulere quum ſcribunt. Itaque mirum non eſt, ſi quandoque verbis diſcrepent. Quid quod plerumque unum pro alio librum citent? Saepe quoque generatim Scripturam citant, non addito nec Auctore, nec libro, id quod eos memoriter ſaepiſſime Scripturarum ſententias laudaſſe demonſtrat. In Epiſtola (a) Ignatii ad Smirneos extat haec ſententia ex Evangelio, *apprendite & contrectate me, & videte, quod non ſum incorporeus ſpiritus*. Euſebius profitetur, ſe ignorare unde ſit deſumpta; in quo ego ſolitam Euſebii diligentiam requiro: paucis enim variatis verbis

(a) *Apud Euſeb. in hiſtoria Eccleſiaſt. lib. III. cap. 36.*

legitur apud Lucam (*a*), probatque quod dixi, memoriter ſaepe citaſſe Scripturam Patres, nec verba admodum curaſſe, ſollicitos de ſententiis.

§. IX. Deinde antiqui illi Patres ſententias quaſdam, quae ex traditione tantum habentur, velut Scripturam citant, non dubitantes, idem utraque habere pondus. Obſervatum id Clerico (*b*), confirmatumque loco Barnabae ex Epiſtola catholica. Praeterea placuit quibuſdam & haec quoque cauſa hujus variationis, quod Veteres aliqui non raro Apocryphis libris uſi fuerunt, quos a genuinis id temporis non ſatis diſcernere valebant (*c*). Librum Paſtoris plures antiqui velut canonicum habuerunt. Sed ferebantur ea aetate alia Evangelia, velut ſecundum AEgyptios, Hebraeos, duodecim Apoſtolos, Petrum, Matthiam: ferebantur aliae Apoſtolorum Epiſtolae, & alia Acta Apoſtolorum (*d*), quae Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum tandem damnavit. Non probat Huetius hanc reſponſionem. Et vero generatim falſum eſt hujuſmodi libros non publica Eccleſiae traditione velut impoſturas Gnoſticorum aliorumque Haereticorum habitos, quum & Irenaeus, & Euſebius, & Epiphanius, aliique veteres Scriptores diſerte id notent. Sed negari non poteſt, librum Paſtoris apud quaſdam Graecas Eccleſias publice lectitatum (*e*): & Irenaeum ac Origenem ſub nomine Scripturae laudaſſe. Fecit idem quandoque Tertullianus, qui deinde Eccleſiae traditionem doctus vocavit *Scripturam Apocrypham & falſam, & omni Concilio noſtrorum damna-* tam

(a) *Lucae* 24. ℣. 39.

(b) *Ad Hammondum Matth.* 11. ℣. 23.

(c) *Vide Simonium Critique du texte du nouveau teſtament.*

(d) *Vide Fabricium in Codice Novi Teſtam. Pſeudoepigrapho & Simonium loco citato cap.* 3.

(e) *Vide Hieronymum de Script. Eccleſiaſt. in Herma & Euſebium lib. III. hiſtoria Eccleſiaſt. cap.* 3.

Digitized by Google

tam (*a*). Negari quoque nequit Clementem Alexandrinum habuiſſe pro libris divinis Epiſtolam Barnabae, Revelationem Petri, & alios libros, quod ex illius monumentis patet, agnoſcitque Euſebius (*b*). Sententiam illam, *eſtote probi nummularii*, quam & Origenes (*c*) & Dionyſius Alexandrinus (*d*) & Cyrillus Hieroſolymitanus (*e*) laudant, ex Evangelio ſecundum Hebraeos hauſtam cenſuit Huſſerius, probavitque Valeſius (*f*). Certe Hieronymus (*g*) ex traditione Chriſti eam ſententiam profectam docet. Potuit autem ex traditione colligi ab Auctore Evangelii *ſecundum Hebraeos*.

§. X. Quod ſpectat ad variantes lectiones, hae duorum ſunt generum, aliae quae ſententias, aliae quae verba attinent, integris ſententiis. Prioris generis variationes, ſeu potius corruptiones, ſaltem in locis, quae fidem & mores continent, nullas eſſe in ſacris Novi Teſtamenti codicibus, vel ex eo perſpicuum eſt, quod nullae huc uſque ejus generis produci a Deiſtarum diligentiſſimis potuere. Poſterioris vero generis, etſi aliquae ſint (nam eas antiquitus extitiſſe agnovit Origenes (*h*), & Hieronymus (*i*)) eae tamen integritati horum librorum non officiunt, quando incorruptae perſtant ſententiae. Sed terret quoſdam numerus triginta millium variantium lectionum! Nempe totius rei, de qua agitur, imperitos. Hic enim numerus totus conflatus eſt

(a) *De pudicit. cap.* 10. *&* 20.
(b) *Lib. VI. Hiſtoriae Eccleſ. cap.* 13. 14.
(c) *Tom.* 19. *in Evangelium Johan.*
(d) *Apud Euſebium. lib. VII. hiſtoriae Eccleſ. cap.* 7.
(e) *Catecheſi* 6.
(f) *In Notis ad Euſebium Lib. VII. hiſtoriae cap.* 7.
(g) *In Epiſt. ad Miner. & Alex.*
(h) *Homiliis in Matth. Vide & Ambroſium in Epiſtolam ad Rom. cap.* 6.
(i) *In Epiſtolam ad Rom. cap.* 5. *& in Praef. ad Pentat. & Praef. in quatuor Evang.*

[illegible] Codicibus , quum
[illegible] grammatices va-
[illegible] antiquitate nullius
[illegible], quae Codicum
[illegible] ut in iis Ama-
[illegible] enim ſaecula , in
[illegible], infinities prope-
[illegible] ſemper ab ac-
[illegible]

[illegible] Codicibus manuſcri-
[illegible] variantium lectio-
[illegible] Codices , qui ut
[illegible] ſolos in hac
[illegible] exiguam va-
[illegible] Atque hae quoque
[illegible] conferan-
[illegible] quemadmodum ſunt
[illegible], qui dubiam , aut
[illegible] Enim vero in ipſis
[illegible] quae in iis , quae
[illegible] dubiam , aut cor-
[illegible] ſaltem , quae col-
[illegible] & veterum commentariis ,
[illegible] utimur , ad ſuam ge-
[illegible] variantium lectio-
[illegible] & Weſtenius grammati-
[illegible] Exemp. gr. Matth.
[illegible] veteribus librariis fre-
[illegible] Reperias quan-
[illegible] pro ἀναλίσει .
[illegible] pro [illegible] mu-
[illegible] in quibuſdam codicibus
[illegible] in quibuſdam
[illegible] Galatas IV. v. 6. Tui , *filii*
cum

[illegible] *ad Edit. Lipſienſem Novi*
[illegible]

cum emphaſi; in aliis codicibus additum Θεῶ, quod perinde eſt. Plurima ſunt horum generum variante lectiones. Jam non minor pars ſunt verba quaedam primum in margine adnotata ad ſententiae claritatem, quae deinde irrepſere in ſequentes codices. Caeterae variae lectiones nihil officere potuere, quominus Eccleſia Catholica, collatis, ut dixi, pluribus antiquis exemplaribus, & Patrum commentariis, emendatiſſimam nobis daret authographorum editionem. Vide B. Auguſtinum de utilit. credendi cap. III.

§. XII. Sed retractemus haec, quo ineptiſſimum ſcrupulum Collini admiratoribus penitus avellamus. Primum dico varias hujuſmodi lectiones tantum abeſſe, ut textus integritati officiant, ut potius mirum in modum confirment. Quod ſic demonſtro. Eae, aut recentium ſunt codicum, quales bona ex parte ſunt Millianae & Kunſterianae, aut e codicibus publicis vetuſtiſſimis, vel e libris Patrum Graecorum, Latinorumque hauſtae. Primi generis lectiones variantes jure merito contemni poſſunt, quando praeſentes Novi Teſtamenti Codices ad fidem vetuſtiſſimorum & publicorum, aut librorum Patrum quatuor priorum ſaeculorum accuratiſſime probari poſſunt, ac dari emendatiſſimi. Neque enim critico habenda ratio eſt recentium veterum Auctorum codicum, ac oſcitantiae, imperitiae, malitiae novellorum librariorum, vel etiam editorum, niſi is ſe omnino critices imperitum demonſtrare velit. Lectiones vero ſecundi generis, in duas ego claſſes confero, *rerum* & *verborum*. Rerum variantes lectiones in exiguo ſunt numero, quod agnoſcit Kunſterus ipſe in praefatione, quodque legendo Millii Novum Teſtamentum nemo eſt, qui non ſtatim intelligat. Sed eae quoque, ut ex inferius dicendis patebit, nec ſyſtema doctrinae Evangelicae ullo pacto aut incertum reddunt, aut dubium, nec ipſam Evangelicam hiſtoriam: eas ſpectant res, quibus etiam ſi careamus, & doctrinae ſyſtema, & hiſtoriam Evangelicam integra haberemus. Praeterea nulla eſt, quae collatis veterum Pa-

trum libris, uti Kunſterus juxta, & Millius agnoſcunt ac fatentur, non ad veram, & genuinam referri poſſit. Hoc vero totum mirifice integritatem codicum Novi Teſtamenti comprobat: nam & probat iiſdem veterem Eccleſiam codicibus uſam, quibus nos utimur, & in tot veterum codicum uſu, ac tanto temporis ſpatio nullum in eos errorem obrepſiſſe, qui aut vitiaret, aut obſcuram, & incertam doctrinam Evangelicam redderet. Verborum autem lectiones variae, quae totum ferme illum numerum abſorbent, tales ſunt, quas mediocriter in Graeca lingua verſati internoſcunt facillime: linguae vero Graecae ignaris nihil officere poſſunt ad rerum intelligentiam, quam ex verſionibus habent.

§. XIII. Utrumque iſtud nunc demonſtremus. Unum caput novi Teſtamenti Milliani perpendemus, quo judicium de caeteris fieri poſſit. In primo igitur capite Evangelii Matthaei variantes lectiones, omiſſiones, additiones, corruptiones ex quinquaginta propemodum exemplaribus numerat Millius circiter quinquaginta, quod mirum eſſe non debet in tanta codicum varietate, quinimmo mirum eſt non plures repertas. Earum autem mere grammaticae, quae nullo modo ſenſum turbant, quaeque a pueris animadvertuntur, ſunt 33. circiter. Ex. g. v. 3. Εσρὼν, pro Εσρώμ. v. 4. Αμιναδάμ, pro Αμιναδάβ. ibid. Νaασὼν, Αασσώμ. Αασον, Νaασσὼν, pro Ναασσὼν v. 5. Ωβὴθ, Οβιθ, Ιωβὴθ pro Ωβὴδ v. 6. Σολομῶνα, pro Σολομῶντα. v. 7. Ασσὰ, Ασὰφ, pro Ασα. v. 10. Μανασῆ pro Μανασσῆ, uno ſcilicet σ pro duplici deſcripto, quod operae pretium cenſuit diſerte adnotare Millius. Praeterea Αμμὼν pro Αμὼν: adnotaſſet & hic duplex pro uno μ. v. 11. Ιεχωνίαν pro Ιεχονίαν, ο in ω mutato. Quid perſequar hujuſmodi ineptias? Eſt ne quiſquam, qui ob ejuſmodi variationes MM. codicum codices ipſos in dubium vocare audeat, praeſertim Deiſtarum, qui gravem & incorruptam rationem ſectari profitentur? Porro *defectus* qui dicuntur, niſi me feſtinan; oculus fefellit, numerat 12. qui tales ſunt, ut ſenſum nullo pacto turbent.

v. pro-

v. pro Βίβλος γένεσεως Ἰησοῦ χριστοῦ: in AEthiopico deeſt χριστοῦ; v. 5. *Salmon autem genuit Rooz de Rahab:* in veteri codice incuria ſcribae deeſt Rahab. Deſit in omnibus, inquam, ut & prius illud χριστοῦ, an quidquam de ſententia decedet? Jam v. 6. *David autem Rex genuit Salomonem*: in pleriſque deeſt τὸ ὁ βασιλεὺς *Rex*: quaſi vero ſi deſit etiam in omnibus ignorari poſſit, Davidem Salomonis Patrem fuiſſe Judeae Regem. v.18. in vulgata deeſt *Jeſu*, poſito tantum, *Chriſti; Chriſti autem generatio ſic erat*, quum in caeteris Graecis legatur, *generatio autem Jeſu Chriſti*, id quod nullius momenti eſt, ut patet. v.20. *Ecce Angelus Domini:* deeſt in pleriſque τοῦ κυρίου*:* item nugae. Nec majoris momenti ſunt alia, quae, ne faſtidio ſim lectori, lubens omitto. Ejuſdem naturae ſunt additiones, quas nunc me piget referre, ut & immutationes verborum, quarum quatuor potiores verſiculi 20. 21. 22. & 23. contigerunt in quibuſdam codicibus, quaeque nullo modo ſenſum mutant. Ita v.20. φαίνεται pro Εφανη: & v.21. Καλέσουσι, pro Καλέσεις, *vocabunt*, pro *vocabis*. Ex his paucis exemplis de caeteris judicabit lector aequus, ut intelligere poſſit, quam inepti ſint Deiſtae noſtri, qui hoc argumento genuinitatem librorum novi teſtamenti impetunt, & ſtupide admiratorum plauſum captant.

Prop. XXXII. Libri novi Teſtamenti veraces ſunt.

D. Nam nihil in illis eſt quod pertinet ad hiſtoriam, quod aut non veriſimile ſit, aut non magna conſenſione a pluribus narratum, aut quod ſinceriorum teſtium auctoritate falſitatis argui poſſit; nihil quoque quum in Religionis theoria, tum in praxi, quod non adamuſſim cum ratione ipſa conſentiat, aut rationem emendet & perficiat: quae autem ſunt talia vera ſunt; libri ergo Novi Teſtamenti ſunt veraces.

§. I. Sed res exigit, ut haec accuratius demonſtremus. Duobus omnino partibus tota librorum Novi Teſtamenti doctrina abſolvitur, *hiſtorica*, & *dogmatica*. Bipartita quoque eſt dogmatica: nam aut *theorica* eſt, aut *practica*. Demonſtrandum nunc eſt in libris Novi

Te-

alio agitati ſcripſerint. II. An perſonarum quarum, res geſtas narrant, vel exiguas virtutes ſtudioſe perquirant, vitia vero vel probra occultare nitantur. III. An ſpectaverint voluptatem, aut utilitatem ſuam. IV. An ſaltem ad imponendum aliis publica aliqua auctoritate exacti ſint. Si eorum nihil in hiſtoricis ſuſpicari poſſumus, eos integrae probitatis, & fidei eſſe dubitare nequimus: convenire enim debet inter ſanae rationis homines, non idem eſſe *dubitare*, ac *velle dubitare*. Itaque dubitare ſine ullis dubitandi motivis, voluntatis eſt petulcae, non ſanae rationis.

§. III. His poſitis hunc in modum demonſtro, partem hiſtoricam Novi Teſtamenti veracem eſſe. Hiſtoriae Novi Teſtamenti narrantur a pluribus, & coaevis magna ex parte teſtibus oculatis, nec barbaris, nec omnino idiotis, ſaltem rerum, de quibus ſcribunt, intelligendarum capacibus, in quibus omnes probitatis characteres adſunt, quippe qui ut eam doctrinam propagarent, graviſſima pericula, dolores, & mortem denique ſubierunt: qui nullum commodum humanum, aut ſpectabant, aut ſperabant, cum eorum doctrina omnia bona praeſentis vitae in comparatione aeternorum bonorum, quae praedicabant, contemnenda praecipue eſſe contineret: tandem qui Magiſtri ſui probra omnia, condiſcipulorum vel umbras vitiorum diſtincte enarrant. Vera igitur hiſtoria eſt, quae libris Novi Teſtamenti continetur. Praeterea hiſtoriae iſtae eodem prorſus modo narrantur ab iis Chriſtianis, qui aetati illi proximi fuerunt, & quorum plurimi erant Philoſophi acutiſſimi e Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converſi, ut Ignatius Martyr, Juſtinus Martyr, Polycarpus, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, aliique; ergo hiſtoriae iſtae verae ſunt.

§. IV. Idipſum confirmatur auctoritate hiſtoricorum exoticorum, Judaeorum nempe, & Gentilium. Pauca attingam & praecipua; nam copioſiſſime id actum eſt a viris doctiſſimis. Ac primum Johannem cognomen-

to Baptiſtam Judaeos ad virtutem, & pietatem excitaſſe, & lavacrum dimittendis peccatis adhibuiſſe, teſtis eſt Joſephus in lib. antiquit. Hebraic. & de Bello Judaico: teſtis autem Apoſtolis coaetaneus. Jeſum Nazarenum vixiſſe quondam in Judaea rerum Romanarum potiente Tiberio, non tam univerſus orbis Chriſtianus, ſed & Judaei omnes, quicumque poſt illa tempora ſcripſerunt, & Gentiles ipſi teſtantur, in primis Svetonius in Claudio (*a*), ubi *Chreſtus* ſcribitur pro *Chriſto*, quia nomen illud Graecis & Latinis notius erat: tum Tacitus lib. 15. Annal. qui poſtquam de Chriſtianorum ſuppliciis a Nerone illatis locutus eſſet, addidit: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio Imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*. Plinius quoque junior Epiſt. omnibus obvia, quae lib. 10. Epiſt. eſt 97. cujus & Tertullianus meminit in Apologetico, & Euſeb. in Chronico, ſcribit: *Chriſtianos carmen Chriſto quaſi Deo dicere ſolitos, obſtrictoſque inter ſe, non in ſcelus aliquod, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, neve fidem fallerent*. Nempe primaevi Chriſtiani eadem docebant, & agebant. Oppidulo Judaeae natum fuiſſe Jeſum ex paupercula puella Fabri materiarii uxore, in Ægyptum praeterea aufugiſſe, agnoſcebat Celſus Chriſtiani nominis hoſtis inſenſiſſimus (*b*).

§. V. Edita a Chriſto & Apoſtolis miracula confeſſi ſunt Hebraei Thalmudici operis conditores, quod opus ſub initium tertii ſaeculi compilatum eſt, ut conficiunt Hottingerus (*c*), & Bartholocius (*d*). Extat eadem ſuper re praeclarum Joſephi teſtimonium in 18. antiquit. Judaic., in quo Chriſti, ejus reſurrectionis, & miraculorum praeclaram facit mentionem, de quo loco in ſequenti prop. diſſeremus. Eadem miracula Chriſtianae re-

---

(a) *Cap.* 25.
(b) *Apud Origenem contra Celſum lib.* 1,
(c) *In Hiſt. Eccl. part.* 1. *cap.* 3. *ſect.* 3.
(d) *In Biblioth. magna Rabinica tom.* 3.

religionis hoſtes infenſiſſimi Celſus, Porphyrius, Julianus, Alkorani conditores agnoverunt. Tandem eorum miraculorum totus Chriſtianus orbis teſtis eſt luculentiſſimus: inde enim natus Chriſtianiſmus: ac longe lateque provectus. Quid enim? An tot nationes nomen Chriſto dederunt ſine ullis miraculis? Id ſi contigiſſet aut omnium miraculorum fuiſſet maximum, aut maximum eſſet argumentum veritatis doctrinae Chriſtianae: neque enim niſi veritas, quae per ſe cuique pateat tam longe propagari poteſt ſine ullis, quibus permoveantur homines, miraculis. Nec opponant Mahummedanae ſuperſtitionis exemplum. Nam quum ſenſui indulgentia doceret Mahummedes, eaque inter Barbaros, vim praeterea armorum adhiberet, longe diſpar eſt ratio. Chriſtiana ſcilicet doctrina una omnium eſt, quae minime ſenſibus adulatur, quae affectibus, violentiſſimis naturae noſtrae ſtimulis, adverſatur, quaeque nulla armorum vi, nulla ſaecularis litteraturae copia, imo adverſus & arma, & ſaeculares litteras latiſſime eſt diſſeminata. Quod vero Baelius regerit, & Principes Chriſtianos vim armorum adhibuiſſe, ut Gentiliſmum extirparent, ineptum eſt: Principes enim Chriſtiani diu poſt provectam Religionem provenere, ſub initium IV. Saeculi, ut teſtatiſſimum facit utraque hiſtoria, Eccleſiaſtica, & Civilis. De hiſtorica ergo Novi Teſtamenti parte, ſaltem praecipua, & quae reliquae fundamentum eſt, indubiis conſtat argumentis.

§. VI. Pergamus ad alteram, dogmaticam nempe, Ea quoque bipartita eſt, ut dictum, *theorica*, *&* *practica*; quarum illa ſpectat quae de Deo diviniſque rebus ſcire homines oportet, haec vero quae agere. Ut a theorica initium faciamus, ejus dogmata ita cum principiis rectae rationis conſentiunt, ut Deiſtae vel utraque excipere, vel utraque repudiare debeant. Id paucis & per ſumma capita demonſtrabimus. Libri Novi Teſtamenti docent Deum exiſtere, eumque eſſe *purum ſpiritum* (Johannis IV. 23. & 24.) Eum eſſe aeternum & immenſum (1. ad Timotheum cap. 1. 17., Act.

VIII.

VIII.) Praeterea eſſe unicum (ad Epheſ. IV. 6.) & eſſe bonum, atque beneficum. (Lucae XVIII. 19.) & immutabilem & immortalem. (ad Rom. I. 23. ad Thim. II. 6. Jacobi I. 17.) & omniſcium (Act. XV. 18. ad Hebr. VI. 16.) & omnipotentem (Matth. XIX. 26. 2. ad Corinth. VI. 18.) creatorem univerſi (paſſim in omnibus libris), & diligentem conſervatorem (Matth. VI. 25. 26.) & juſtum, itaut peccata puniat, virtutes remuneretur, (ad Rom. II. 6. 7. & II. ad Theſſalon. I. 6.) Praeterea docent mentes humanas eſſe immortales. (Matth. X. 2. Lucae 12. 4. 5.) eas manere praemia, aut poenas aeternas ſecundum opera earum (Matth. XXV. 31.) & alibi. Mitto caetera, ne ſine ulla ratione juſto ſim prolixior. Haec omnia dogmata, & quae aut haec antecedunt, aut comitantur, aut conſequuntur; & ratio naturae manifeſtiſſime comprobat, & ſenſus hominum communis confirmat, & Deiſtae ipſi non inficiantur. Vera ergo ſunt, & conſequenter vera pars dogmatica & theorica Novi Teſtamenti.

§. VII. Veniamus ad practicam. Moralis Chriſtianorum librorum pars exactiſſimis Philoſophiae ratiociniis conformis eſt, conformis & finibus, ac relationibus hominum, quas aut inter nos, aut cum Deo, aut cum caeteris rebus habemus: quinimmo moralem ipſam, quam humana ratio docet, auget novis & utilibus doctrinis, emendat in pleriſque, ac illuſtrat, falſa Philoſophorum ſyſtemata evertit, homines ſibi atque aliis conciliat, ſocietatem humanam mirifice fovet; nihil igitur ea verius & ſanctius excogitari poteſt. Sed explicemus haec uberius. Officiorum, quae purgatiſſima ratio naturalis ex noſtri aut relationibus, aut finibus, docet, tria ſunt ſuprema genera, erga Deum, erga nos, erga alios. Naturalis ratio docet Deo deberi amorem, obſequium, ſervitutem, invocationem, gratiarum actionem. Eſt enim Deus & Pater noſtri amantiſſimus, & natura excellentiſſima, & dominus, & benefactor, & gubernator ſapientiſſimus. Eadem ratio docet nos debere nobiſmetipſis curam, & cuſtodiam, tum totius hominis,

nis, tum partium noſtri ſingularum, & animi quidem majorem, ut praeſtantioris partis, minorem corporis, omneſque conatus noſtros ad veram beatitudinem debere dirigere. Tandem docet nos proximo noſtro, ideſt omnibus aliis hominibus natura nobis aequalibus, debere & amorem juſtitiae, ne ullo eum modo laedamus, eique ſuum tribuamus, & amorem humanitatis ac beneficentiae, ut quocumque modo poſſumus, ei benefaciamus. Haec omnia e fontibus rationis naturalis manare, tum alii, tum potiſſimum Ricchardus Cumberlandus in tractatu de legib. Nat. geometrice prorſus demonſtravit (*a*). Sed eadem, & quae ea antecedunt, comitantur, aut cum iis connexa ſunt, libri Novi Teſtamenti copioſius & luculentius, quam ipſa recta ratio naturalis, condocent: nova ad virtutem calcaria addunt, novas relationes patefaciunt, idque tanta perſpicuitate, ut non ſapientum modo, ſed infimae plebeculae captui ſe accommodent. Id per praecipua capita demonſtrabimus. Nam omnia unum in locum conjicere ejus eſt, qui Chriſtianae religionis integram moralem explicare aggrediatur.

§. VIII. Deum eſſe amandum, & quidem ſuper omnia, omnes ſcripturae Evangelicae docent: docent & amandum eſſe ſuper patrem, & matrem. (Matth. x. 37.) Porro omne ſtudium noſtrum in eo poſitum eſſe debere praeſcribunt, ut ipſi placeamus, & alia omnia ita diligamus, ut comparatione facta ea quaſi non amemus (1. ad Corinth. 7. 29. & ſeqq.). Praeterea ſignum amoris hujus eſſe, ſi ejus praecepta obſervemus (Johan. IV. 21. & Epiſt. 1. 3.) Eſſe honorandum, & glorificandum (1. ad Thimot. 1. 17. & alibi): in eo ſolo fidendum & ſperandum (Matth. VI. 25.): Timendum timore filiali, ut boni ſimus (paſſim in omnibus libris): Adorandum (Matth. IV. 10.). Invocandum, & orandum (Matth. VII. 7. ad Roman. XII. 12.):

& qui-

(a) *Vide & Vollaſton Ebauche de la Religion naturelle.*

& quidem haec omnia ei praeſtanda non in externis tantum ſignis, ſed *in ſpiritu*, non in ſuperſtitione, ſed *in veritate* (Johan. iv. 23.) : Gratias ei agendas (ad Epheſ. v. 20. & ſaepe). Praeterea vetantur in his libris omnes actus, etiam cogitationis, qui ſunt hujuſmodi officiis oppoſiti.

IX. Quod ad nos attinet, praecipitur nobis, ſtudere non bonis hujus vitae, quae praeterit, ſed bonis aeternis, quae nos vere & ſempiterne beatos facere poſſunt. In hujus vitae beatae comparationem inſtruimur nedum uxorem, filios, parentes, amicos, bona fortunae, ſed etiam vitam contemnere (Matth. xvi. 24. Luc. ix. 23. ad Titum xi. 12. & paſſim).

X. Circa alios homines, amor ſpeciei humanae, ideſt omnium hominum, nobis natura aequalium, ex quo amore caetera fluunt in ſocietatem humanam officia, facit in Scripturis Sacris utramque paginam. Hinc Matth. xxii. 39. 40. dicitur, ex his duobus praeceptis, *Dilige Dominum Deum tuum ſuper omnia, & proximum ſicut te ipſum, totam Legem & Prophetas pendere*. Apoſt. ad Rom. xiii. 6. & ſeqq. egregio id ratiocinio concludit: *reddite igitur omnibus, quod debetis, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timor, timorem, cui honor, honorem. Nemini quidquam debete, niſi ut alii alios diligatis; nam qui diligit alterum, legem implevit: ſiquidem illud non moechaberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quid eſt aliud praeceptum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Quid amplius, & praeclarius de Officiis erga homines ratio naturalis praedicat? Amor erga proximum, obſequium erga Majores, reverentia erga Magiſtratus, obſervantia legum civilium, abſtinentia ab alieno. Jam, quod eſt divinius, ipſi inimici noſtri diligi præcipiuntur. (Matth. v. 4.), & adverſus eos, qui nobis infeſti ſunt, mitem animum, & patientem exhibere (ibid. 39.) Beneficentia porro perpetuo commendatur, praeſertim protrito illo, *quaecumque vultis ut facient vobis homi-*

nes

nes ea & vos facite illis: iſta enim eſt lex, & Prophetae (Matth. VII. 12. Lucae VI. 31.) Haec delibaſſe ſat erit. Ex his vero patet, veram eſſe, & ſanctiſſimam Novi Teſtamenti doctrinam moralem.

Prop. XXXIII. Vera miracula non poſſunt eſſe niſi a Deo, aut Dei Imperio in Naturam.

D. Nam vera miracula ſunt, quae aut ſubſtantia, aut modo, & vires rerum naturalium ſuperant, & contra conſtitutas in univerſo mechanicas leges fiunt (ex def. VII.): id autem totum nemo poteſt, niſi qui vires habet tota natura majores, quique imperium in naturam exerceat, ideſt Deus totius naturae auctor, & moderator; vera ergo miracula Dei ſunt opera.

Schol. Plures viri docti de natura miraculorum diſſeruerunt; eaque Dei eſſe opera demonſtraverunt. Accurate hanc rem inter caeteros pertractavit nuper Serges. Hic liber ad incredulos refellendos utiliſſimus eſſe poteſt. Sed dolendum eſt, Auctorem Gente Anglum ea admiſcuiſſe, quae neceſſaria non erant, quaeque odium in nos indignum Philoſopho & Chriſtiano oſtendunt. Potuit enim in vera cauſa verſari, quin Catholicos perſtringeret.

Prop. XXXIV. Libri novi Teſtamenti ſunt Divini.

D. I. Libri novi Teſtamenti per omnia veraces ſunt, ut ſuperius demonſtratum eſt: Eorum Auctores caetera omnia genuinitatis, ſimplicitatis, veracitatis manifeſtata argumenta praeſeferunt: impoſtores ergo haberi non poſſunt: ſaltem nihil eſt in illis, ex quo ſuſpicari poſſimus voluiſſe mundo imponere; adeoque ſine ulla ratione, imo adverſus graviſſimas ſimplicitatis, & veracitatis rationes, habere illos impoſtores, eſt omnino furere. Affirmant autem hujuſmodi Auctores, doctrinam quam ſcribunt divinam eſſe; nam aut ea ſcribunt, quae a Chriſto audiverant, qui a Deo Patre acceperat; ut Matthaeus, Johannes, Petrus, Jacobus, Judas; aut quam acceperant ab ipſo Deo, ut Paulus, qui ſe fatetur Apoſtolum Jeſu, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem* (ad

Galat. 1. 1.): aut eam tandem, quam ab aliis Apoſtolis, qui cum Chriſto convixerant, edocti erant, ut Lucas (Luc. 1, 2.) & Marcus. In hoc ergo mendaces non ſunt, alioquin ſceleratiſſimi impoſtores fuerint oportet. Quae enim ſceleratior hominibus impoſtura fieri poteſt, quam iis Dei nomine mentiri? Divini ergo ſunt Novi Teſtamenti libri.

§. II. Ad haec addi poſſunt plura alia divinitatis argumenta. Primum *ſanctitas*, *puritas*, & *ſublimitas* doctrinae, ad quam mortalium nemo uſu tantum rationis unquam pervenit. Quis certe nos miretur, homines litterarum rudes & in rerum contemplatione minime verſatos non tantum naturae leges ac hominum officia explicuiſſe diſerte, ac ita ut nullios fallerent, ſed de Deo & providentia, deque altera vita tam diſtincta, ac toti rationi conformia docuiſſe? Quis praeterea, tantam doctrinae conſtantiam, atque harmoniam? Certe nihil tale unquam ne Graecorum quidem doctiſſimi generi humano dedere, quorum philoſophia & ſibi minime conſtans & in tot ſectis diviſa quot capita, ſatis demonſtrat hominum eſſe opus, non Dei. Secundum, ſpiritus propheticus, qui in Auctoribus horum librorum reperitur, quique eſſe niſi a Deo nequit. Et ſunt in Novo Teſtamento prophetiae non per ambages, ſed luculentis verbis ſcriptae, eaeque impletae adamuſſim. Longum eſſet omnia perſequi. Unam memoro, mala quae Judaeis evenere, obſeſſio, fames, Urbs ſolo aequata, totidem pene verbis praedicta a Chriſto fuerant, quot facta narrat Joſephus in libris de Bello Judaico. Nemo Joſephi narrationes cum Evangelicis praedictionibus conferet, quin ſtatim ſacro quodam horrore corripiatur. Tertium vis ad perſuadendum novam Religionem, qua Religio dominans Ethnica, & ſpiritus carnis potentiſſimi hoſtes evertebantur, & quidem tanta celeritate, quanta non dicam ulla alia doctrina unquam, ſed ne ullum quidem imperium armis dilatatum eſt. Romani enim ut ad eam Imperii molem pervenirent, quae ſub Auguſto fuit, ſeptingentis prope annis continenter bellum geſſere,

ſere, & Mahummedani ſexcentis propemodum annis. Quartum tanta Diſcipulorum in hac Religione tuenda, conſtantia, & fortitudo, ut duriſſimos cruciatus, exquiſitiſſima ſupplicia, & mortem contemnerent, homines non idiotae tantum & ſimplices, ne quis dicat pecorum more alios poſt alios ruiſſe in tormenta caecos, ſed praeclari Gentilium Philoſophi, viri litteris, avita nobilitate, & geſtis magiſtratibus illuſtres. Quintum, & maximum infinita miracula variorum generum, & talia, quae ſatis conſtat non potuiſſe, niſi vi divina perfici. Operae pretium eſt eos conſulere, qui hujuſmodi argumenta latius deducunt. Nos argumentum a miraculis deſumptum hoc in loco uberius illuſtrabimus.

§. III. Quum libri Novi Teſtamenti veraces ſint, ſequitur, dubitare nos non poſſe de miraculis, quae a Chriſto & Apoſtolis facta, ut doctrinam quam praedicabant, divinam eſſe confirmarent, in iis libris narrantur. Narrantur autem talia miracula, quae non niſi à Deo perfici poterant, aut, quod perinde eſt, ab aliis cauſis Dei ipſius imperio & vi. Hujuſmodi ſunt, converſio aquae in vinum; panum & piſcium portentoſa multiplicatio; mortuorum etiam quatriduanorum reſuſcitatio; deſperatorum morborum ſanationes ſolo verbo factae, ut caecorum a nativitate, paralyticorum per plurimos annos, imperium in daemones &c. Et haec quidem miracula non clanculum, ſed propalam efficiebant Chriſtus, & Apoſtoli, quorum totus populus teſtis erat oculatus. Sed perpendamus pauca, idque exempli loco. Panum, & piſcium multiplicatio, quae bis eodem modo contigit (Math. XIV. & XV.) creationis ſpecies eſt, quae non hominum tantum vim, ſed totius naturae ſuperat. Miraculum autem ejus generis, in quo nulla impoſtura ſubeſſe potuit, quippe quod reales effectus ſecuti ſunt, ſaturitas plurium millium hominum; fragmenta pluribus ſportis collecta: miraculum in quo ſenſus ferme omnes ſibi mutuo teſtimonium dicebant, oculi, odoratus, guſtus, tactus in-

ternus, & externus; cujuſmodi certe nullis impoſturis ſubeſſe poſſunt; Miraculum praeterea, cujus qui modum attentius conſiderat, nequit non in Chriſto vim Divinitatis intelligere. *Jeſus autem convocatis Diſcipulis ſuis dixit: miſereor turbae, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei Diſcipuli, unde ergo nobis in diſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?* Nempe humana ratio cum exigua potentia conjuncta ſibi diffidebat. Habemus hic argumentum humanitatis. Quid autem ad haec Jeſus? Nihilo commovetur magis, quam ſi nemo adeſſet. Itaque more ſuo tranquille ac confidenter, *quot*, inquit, *habetis panes? At illi dixerunt, ſeptem, & paucos piſciculos*. Quis ad haec non expaviſſet in tanta jejunorum hominum copia? Erant enim quatuor millia hominum, praeter parvulos & mulieres. Ille vero audacter praecipit, turbae ut diſcumbant. Qui hic divinae potentiae characterem non agnoſcat, is omnino bardus & ſtupidus ſit neceſſe eſt. Nemo enim tanta animi firmitudine & confidentia de re tanta quidquam ſpopondiſſet, niſi ſummus Naturae Auctor. Verbo res ex voto cedit. Diſcumbunt turbae: is accipit ſeptem panes & piſces, gratias agit, frangit, datque Diſcipulis ſuis, Diſcipuli populo. *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfluit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas*. Ejuſdem generis eſt alterum miraculum quod cap. XIV. enarratur. *Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus dicentes, diſertus eſt locus, & hora jam praeteriit: dimitte turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas. Jeſus autem dixit eis non habent neceſſe ire: date illis vos manducare*. Eſt hoc cum Diſcipulis ludere velle, quos non ignorabat nihil habere tantum, quo quinque millia virorum, praeter mulieres & parvulos, ſaturari poſſent. Itaque Diſcipuli, *non habemus hic niſi quinque panes & duos piſces. Qui ait eis, afferte mihi illos huc*. Quid facturus? Quinque ne etiam panes, ac duos piſces tantae turbae dividet? Non eſt id integram gentem ludibrio habere velle? Videamus quo evadat.

Jubet

Digitized by Google

Jubet turbam diſcumbere : accipit quinque panes & duos piſces. Nempe potentiae ſuae conſcius erat: alioquin inſanire oportebat, qui id agere, ut tot deludificaret. Jam aſpicit in Coelum, benedicit, frangit, dat Diſcipulis panes, Diſcipuli turbis. *Et manducaverunt omnes & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis*. Quem haec non illacrymare cogant prae laetitia? Nam hinc non ſolum Jeſu potentia in totam Naturam intelligitur manifeſte, ſed etiam ſumma intelligentia & providentia, ut, quemadmodum dixi, ſtupidus ſit, qui in hoc ejus divinitatem praeſentiſſimam non agnoſcat.

§. IV. Atque ea via eſt & ratio, qua Chriſtus omnia ſua miracula efficiebat. Nempe non laborabat, ac ſe angebat, velut qui impetret, exitus incertus, ſed effundebat confidenter ex ſeſe ac natura ſua, nihil cunctans, nec futuri imprudens. Conſcius ergo ſibi erat naturae ſuae divinae ac potentiae. Sunt praeterea talia quae perpetravit miracula, ut ſcientiae naturalis periti facile intelligant, imperium fuiſſe illi in rerum Naturam, quam ſolo nutu moderabatur. Rogat leproſus, ut velit ſanare. *Volo*, inquit: *Mundare: & mundatus eſt* (Matth. VIII. v. 3.) *Centurioni, vade, & ſicut credidiſti fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illa hora* (Ibid. v. 13.) tetigit manus Socri Simonis, & *reliquit eam febris* (ibid. v. 15.). Paralytico ait, *ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam:* & ſurrexit (ibid. v. 27.). Imperat mari, & placatur (Matth. XIV.): ficuli maledicit, & *areſacta eſt continuo ficunea* (Matth. XXI. v. 19.). Mitto caetera quae ejuſdem ſunt Naturae. Quem hunc eſſe oportet, cui tota rerum natura obſecundat, nullis illa machinis, nulla vi corporea acta? Qui igitur haec miracula legunt, non facta tantum legere debent, ſed modum etiam, quo ſunt facta: Qui ſi ita Novi Teſtamenti hiſtoriam legunt, non poſſunt ii non Chriſti vim divinam agnoſcere, ac divinam to-

Digitized by Google

tam, quam ille praedicavit, doctrinam. Sed & illud etiam in primis animadvertere debent, haec omnia miracula non in alium finem fuiſſe comparata, niſi ut homines crederent, Jeſum eſſe a Deo miſſum, ejuſque doctrinam veram eſſe & divinam. Nec vero aliam ob rationem haec credere oportere, niſi ut nova haberent & potentiſſima ad virtutem calcaria: ut non ſolum Deum amarent ac metuerent, quo par eſt obſequio, ſed praeſertim ut amarent ſeſe mutuo, ut alii aliis faverent, ac vitam & ſocietatem facerent pacatam & jucundam, ut ne cuique inferrent injuriam, neque moleſtiam, ut ne eſſent fures, mendaces, calumniatores, adulteri, perjuri, uno verbo, ut virtutem colerent, horrerent vitia. Nihil inde ſibi nec honoris, nec commodi, nec voluptatis promittebat, quod fieri oportuiſſet, ſi non fuiſſet niſi purus homo, nec egiſſet, niſi ex ſolis motivis naturae & rationis humanae.

§. V. Accedunt jam eodem miracula alia plurima, quae primi Chriſtiani in confirmationem doctrinae ſuae ediderunt, quorum totus antiquus orbis Chriſtianus teſtis extitit oculatus; quod teſtimonium, qui reſpuit, is dicat etiam neceſſe eſt, tot gentes Graecas, Ægyptias, Aſiaticas, Romanas, omnium cultiſſimas, Chriſtianae praedicationi crediſſe, nullis miraculis actas. Quod praeter quam quod maniſeſtiſſimum eſt, ut dixi, veritatis Chriſtianae doctrinae argumentum, eſt etiam miraculum miraculorum, ut ratiocinantur Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei; S. Chryſoſt. homil. 34. in Matth. & Damaſc. lib. IV. Fidei Orthodoxae.

§. VI. Huic argumento ita reſpondent Deiſtae. Primum, non eſſe argumento, ut liber, quo miracula narrantur, ſit divinus: nam poteſt etiam profanus Auctor miracula ab aliis edita colligere, quin is divinam auctoritatem ſuis hiſtoriis conciliet. Deinde etiam eos, qui a Deo miſſi non fuerant, quique idololatriam profitebantur, miracula edidiſſe: nam Magi Pharaonis quaedam & ipſi miracula fecerunt ipſo Moſe teſte. Miraculorum quae apud Graecos facta ſunt, plenae ſunt

Grae-

Graecae hiſtoriae Herodoti, Diodori Siculi, Plutarchi: Latinorum Livius. Veſpaſianus caeco viſum, claudo integritatem membri dediſſe, dum in Ægypto eſſet, retulit Tacitus ſcriptor coaevus, & alioquin ſeverus. Apollonii Thianaei miracula narrat Philoſtratus in ejus vita. Ea vero talia, & tanta fuerunt, ut Hierocles Gentilis Philoſophus parallelliſmum ſcripſerit vitae Chriſti, & Apollonii. Ad haec Moſes in Deuteronomio negat ex ſolis miraculis divinitatem Prophetae alicujus dignoſci poſſe. Tum Chriſtus Matth XXIV. pronunciat etiam impoſtores facturos miracula. *Surgent* inquit, *Pſeudo-Chriſti*, & *Pſeudo-Prophetae*, & *dabunt ſigna magna*, & *prodigia*. Tandem miracula eſſe poſſunt effecta cauſarum naturalium ignotarum. Enim vero ignoramus quouſque natura rerum agendo progredi poteſt, adeoque non poſſumus affirmare ea quae dicuntur miracula non eſſe effecta cauſarum naturalium, ſed Dei: quo potiſſimum argumento vim miraculorum elevare conatur Spinoza in Tract. Theologico Polit.

§. VII. Sed haec facile refelluntur. Et primum quidem argumentum vim aliquam haberet, ſi qui ſcribunt Chriſtiana miracula non iidem eſſent qui fecere. Nunc autem quum iidem Apoſtoli, qui haec narrant, & doctrinae, & miraculorum in doctrinae illius confirmationem patratorum auctores ſint, conficitur ejuſdem utraque originis eſſe, ideſt a Deo. Alterum vero argumentum duas habet partes. Prima urget miracula Magorum Pharaonis. At cum ea Deus ſeu occulta naturae arte, ſeu Cacodaemonis ope fieri permiſerit, ut ex collatione miraculorum Moſaicorum intelligeretur vera Divinitas, quod perſpicuum eſt ex ipſa Moſaica narratione, cauſae Deiſtarum non favent. Altera de Ethnicorum miraculis nititur vulgatis, & antiquis rumoribus, quos poſteriores Hiſtorici collegerunt, & quibus propterea quae fides ſit adhibenda, nemini ignotum eſſe poteſt. Pleraque etiam eventa fortuita, aut quorum cauſas ignorabant, antiqui inter miracula retulerunt. Itaque Cicero in Libris de Nat. Deor.,

tum in libris de Divinit. veterum Romanorum miracula aut ridet ut fabellas aniles, & rumores vacuos, aut ad cauſas naturales refert. Rident quoque ſaepe Livius, & Tacitus, nec raro Plutarchus.

§. VIII. Sanctus Auguſtinus de Civit. Dei. x. 16. hunc in modum totum hunc locum pertractat: *Haec ergo*, (miracula Gentilium) *atque alia hujuſmodi, nequaquam illis, quae in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt: quanto minus ea quae illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata ſunt prohibenda atque plectenda, magica ſcilicet vel theurgica? quorum pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt, quale eſt Lunam deponere donec ſuppoſitas, ut ait Lucanus, propior deſpumet in herbas: quaedam vero etſi nonnullis piorum factis videantur opere coaequari, finis ipſe, quo diſcernuntur, incomparabiliter haec noſtra oſtendit excellere. Illis enim multi tanto minus ſacrificiis colendi ſunt, quanto magis haec expetunt: his vero unus commendatur Deus, qui ſe nullis talibus indigere, & Scripturarum ſuarum teſtificatione, & eorundem poſtea ſacrificiorum remotione demonſtrat*. Quae doctrina huc redit; 1. Quaedam Gentilium miracula ludificationes phantaſiae eſſe, & ſenſuum. 2. Quaedam alia videri noſtris coaequari, ſed fine longe diſcerni. 3. Finem illorum eſſe plurium Deorum cultum, quem ratio ipſa naturae improbat: horum unius tantum Dei. 4. Itaque etiam ſi demus facta illa eſſe, ex fine ipſo redarguuntur. Caeterum non ita haec ſunt accipienda, quaſi Daemones vera miracula poſſint efficere: ea enim non poteſt, niſi qui imperium in Naturam habet, ideſt ſolus Deus. Solum Deum miracula facere poſſe, pluribus demonſtrat B. Thomas (*a*), qui idem cap. ſeq. negat miracula ſubſtantiarum aliarum ſpiritualium vera eſſe: quae duo capita lectu ſunt digniſſima, ſimul & quae ibi adnotat acu-

(a) *In 3. contra Gent.* 103.

Digitized by Google

acutiſſimus Theologus Franciſcus Ferrarienſis.

§. IX. Quod ſpectat ad miracula Veſpaſiani, Johannes Clericus (a), Chriſtophorus Auguſtus Heumannus (*b*), Johannes Laurent. Moſhemius ad Cudworthum (*c*) aliique inter arcana Majeſtatis referunt, ut ſcilicet cupidus novi Regni firmandi Veſpaſianus ea ad plebem circumveniendam excogitaverit, complicibus Sacerdotibus Serapidis, iiſque ſibi favore Numinum majeſtatem majorem conciliaret. Id ex ipſis Taciti, & Svetonii narrationibus conſtare arbitrantur. Ille enim his prodigiis *favorem & inclinationem Numinum erga novum Imperatorem demonſtratum eſſe*; hic verò *auctoritatem, & majeſtatem novo Principi, quae ipſi defuiſſet, acceſſiſſe perhibet* (*d*).

§. X. De miraculis Apollonii Thianaei in diverſa abierunt Theologi. Veteres, in primis Origenes contra Celſum, & Euſebius Caeſarienſis adverſum librum Hieroclis, partim conficta putaverunt, partim ope Daemonis facta. Cudworthus (*e*) cenſuit genio malo armatum Apollonium, ut Servatoris noſtri factis fides detraheretur, atque labefactatis Chriſtianorum virtute turpiſſimis ſuperſtitionibus auxilium ferretur. Moſhemius autem ad eum Cudworthi locum not. 18. neutram reſponſionem probat, Nam quum Thianaei geſta magna veterum conſenſione narrarentur, ſi ut conficta habeantur, nihil putat reliquum eſſe ex veteri hiſtoria, quod ſimiliter rejici nequeat: in quo B. Auguſtini prudentiam imitatur, qui, ut vidimus, non omnino ea Gentilium mira facta, negat, quae facile ſit oſtendere a cauſis naturalibus fieri, nec eſſe vera miracula. Deinde ſi ope Daemonis dicantur facta quae de Apollonio

(a) *In Hiſt. Eccleſ. Saeculo II. ad annum* 138.
(b) *Peculiari diſſert. de miracul. Veſpeſ.*
(c) *In ſyſtem. Intellect. cap. IV.* §. 15. *not.* 12.
(d) *Vide Tacitum Hiſt. III.* 88. *& Sveton. in Veſpaſ.*
(e) *In ſyſtemat. Intellect. cap. IV.* §. 15.

Digitized by Google

nio narrantur, cenſet injuriam inferri Divinae Providentiae, quae dum Chriſti doctrina tot laboribus & miraculis propagabatur, permiſerit aequalia fieri a Daemonibus. Ipſe igitur arbitratur Apollonium, qui pro eo tempore non indoctus Medicus, & Philoſophus erat phyſicus, partim arte medica, partim fraudibus ea geſſiſſe, quae deinde auctiora facta variis narrationibus Gentilium ad poſteros pervenerint. Legi meretur tota illius & copioſa diſſertatio. Eadem videtur fuiſſe mens Auctoris reſponſionem ad qq. Orthodoxas inter opera Juſtini.

§. XI. Ego in Moſhemii ſententiam concedo, nec ullo modo dubito, Apollonium ope ſcientiarum naturalium, potiſſimum apud homines idiotas, ea feciſſe miracula, quae deinde rumore vulgi aucta, atque ornata ad eos pervenerint, a quibus ejus geſta ſunt deſcripta. In id me, ut dixi, Moſhemii illa diſſertatio movet; movet Philoſtrati ſtilus ille Romanenſis, & non ignoratae Gentilium Sacrificulorum, & Philoſophorum artes, quibus Chriſtianam religionem, qua aperte, qua per cuniculos impetebant. In id me quoque eadem inducunt, ut plurima in Apollonii vita conficta, alia longe exornatiora producta nullus dubitem. Conficta tamen talia, quae apud viros graves, caeteris geſtis fidem derogare debent. Nam qui narrat Apollonium avium linguarum callentiſſimum fuiſſe, & cum iis ſermonem continuaſſe, omniumq; artium innatam ſibi ſcientiam habuiſſe, quibus nugis Philoſtratus libros de ejus vita ſaburravit, aut fabulam Romanenſem cudit, aut impudentiſſime mentitur. Eum tu igitur hiſtoricum dices, ac non potius ſophiſtam, & declamatorem?

§. XII. Argumenta porro e ſcriptura petita hoc probant, ſola miracula non quaecumque, ſed quae ignaro vulgo miracula videantur, praeciſa veritate doctrinae, non eſſe manifeſtum argumentum, eum, qui hujuſmodi miracula efficiat, hominem eſſe vere divinum. Itaque Moſes addit, ſiqui efficit miracula, dicat ſequi-

mini

mini Baal, nolite ſequi. Quae quum ſint, & Doctrina Chriſtiana vera ſit, miracula ab ejus doctrinae Doctoribus patrata apertiſſimum argumentum ſunt ejus doctrinae Divinitatis. Praeſertim quum talia miracula ſint, quae omnem Naturae vix excedunt, nec fieri poſſe intelligantur, niſi ejuſdem cauſae vi, ac numine, quae rerum univerſitatem & condidit, & gubernat, ideſt quum ſint miracula, non quoad *modum* tantum, ſed etiam quoad *ſubſtantiam*, ut Theologi loquuntur. Et quum tres ſint verorum miraculorum gradus, uti perſpectiſſime docent B. Thomas (*a*). I. Eorum, quae quoad *ſubſtantiam* facti Naturam ſuperant. II. Eorum, quae a Natura quidem fiunt, ſed non in iis ſubjectis, in quibus facta leguntur, ut vitam mortuis dare; III. eorum quae non quoad *ſubſtantiam*, ſed quoad *modum* Naturae vires excedunt (*b*); eorum omnium exempla patentiſſima ſunt in Novo Teſtamento, ut quivis facile collegerit. Vide ut hunc locum diligenter pertractat doctiſſimus Jeſuita Paulus Segneri (*c*). Sed & accuratiſſime hanc eandem cauſam egit Proſperus Lambertinus, nunc Benedictus XIV. *de Canonizatione Sanctorum.*

§. XIII. Poſtremo, licet ignoremus extenſionem virium totius naturae, non ignoramus tamen & vim naturae finitam eſſe, & ſuos habere terminos praefinitos, quos intelligimus, earum rerum naturas, a quibus, vel in quibus miracula fiunt. Itaque quum tale miraculum videmus, quod vim & potentiam infinitam exigit, ſeu ſui *ſubſtantia*, ſeu *modo* quo fit, qualia ſunt multiplicatio panum & piſcium, quae vere creatio ex nihilo eſt, reſuſcitatio mortuorum, & ſimilia; confidenter pronunciamus a Deo eſſe. Praeterea quum videmus ab homine hujuſmodi perfici miracula, quae & ſuas vires excedunt, & vires earum rerum,

(a) *Prima part. quaeſt.* 105. *art.* 8.
(b) *Vid. Ferrar. in* 3. *contra Gentil. ad cap.* 102.
(c) *In Opere vere aureo* Incredulo ſenza ſcuſa *part. II. cap. IV. &c.* 5.

rum, quibus velut inſtrumentis, aut velut objectis miraculorum, utitur, non dubitamus divinae eſſe originis, praecipue ſi ea continenter fiant, & perpetuo: nam pugnat cum Divina Providentia hujuſmodi miraculis homines in errores induci. Et ſane nunquam falſa miracula in falſae doctrinae comprobationem facta, & quidem continenter, ac perpetuo facta legas, ut in eorum ſuſpicionem venire homines nunquam potuerint. Providentiae enim divinae illud eſt, quod binis verbis enunciat Cicero, *commenta delet dies*.

§. XIV. Woolſton Anglus homo anno 1727. nova via, & ratione, quam nemo hucuſque excogitaverat, miracula Novi Teſtamenti elevare aggreſſus eſt. Contendit nempe allegorice omnia interpretanda eſſe, ac animorum curationes, non res factas ſpectare. Itaque ſi Woolſtono fides, quae Chriſtus, & Apoſtoli feciſſe miracula narrantur, nunquam reipſa fecere, licet morbos animi curaverint, idque vocabulis e corpore deſumtis narraviſſe. Addit realia miracula effecturos Chriſtum, & Apoſtolos in altero Chriſti adventu, narrari vero veluti facta ab Apoſtolis, ut Chriſtianorum animi ad ſpiritualem Chriſti adventum praeparentur carnalibus & corporeis allegoriis. Interpretatio, inquit, litteralis Novi Teſtamenti carnalis eſt, & occidit; ſpiritualis ergo ſenſus ſectandus eſt: quod ille principium quo ad miracula evertenda abutitur, ſubdole magna veterum quorundam Patrum copia ſtatuere conatus erat uſque ab anno 1705. ut ſibi ſcilicet praepararet impietati ſuae viam. At haec hominis abſurdiſſimi portenta riſu, aut miſeratione digniora ſunt, quam ſevera confutatione: nam quis ſerio eum confutaverit, qui ſcribit totam Livii hiſtoriam allegoriam eſſe eorum geſtorum, quae ſpiritualis Reſpublica Romana egit, aut poſt diem Judicii perficiet? Interea accurate ejus hominis ineptias omnes & minutatim refellit, quem ſaepe laudavimus, Stackouſe.

§. XV. Chriſtiani nominis hoſtes, tam illi veteres quam novelli Atheiſtae, ſolent haec adverſus Chriſti, & Apoſtolorum, quae referuntur miracula, objicere;

non

Digitized by Google

non iis, niſi idiotas commotos, ac principio paucos: doctos vero, nobiles homines reſtitiſſe ſemper, quouſque armis omnes adigerentur, ſubverſis a Principibus Chriſtianis Gentilium delubris, ac ad Chriſtiana Sacra ſuſcipienda publice omnibus adactis, quod poſtremum neſcio quo fine Baelius in Dict. critic. Art. Muhammed ambitioſe exornavit. Quo tamen argumento nullum nec inſcitius eſt, nec magis falſum, quod ego copioſe oſtendam.

§. XVI. Principio non paucos Chriſto credidiſſe, idque miraculis impulſos, Hiſtoria Evangelica ita narrat, ut nulla ſuſpicandi ratio nobis ſuperſit (a): *& ſecutae ſunt eum turbae multae de Galilaea, & Decapoli, & de Hieroſolymis, & de Judaea, & de Trans Jordanem*. Eadem alibi narrantur, ac ita narrantur, ut qui narrant ſimul indicent, ſe id velut aliud agentes narrare, non data opera, ut imponant: narrare autem, ſeu potius indigitare, velut rem notam. Eam narrationem ſequitur *conſequentia realis, realis effectus*, verae rei geſtae character. Eccleſia ſcilicet Hieroſolymitana populatiſſima fuit, ac Epiſcopos habuit ex circumciſione antequam Hieroſolyma per Titum everteretur, tum ſequentibus annis, quod ex hiſtoria Euſebii intelligimus; intelligimus & ex ſequentibus actis ejus Eccleſiae. Nec vero idiotae tantum credidere, ſed docti quoque plures, nec plebei tantum, ſed nobiles. Utrumque hoc aperte demonſtrant Epiſtolae Paulinae & Acta Apoſtolorum, in quibus hujuſmodi plures, data occaſione, memorantur, ſalutantur, commendantur. Qui a Paulo dicuntur *Adjutores in Evangelio* Hebraei erant in lege primum docti, deinde in Evangelio. Quoſdam ex Ariſtobuli domu, Regiae ſcilicet ſtirpis, credidiſſe, Paulus tradidit (b). Videri poteſt Euſebius (c), quo in loco ſcribit

(a) *Matth.* IV. 15.
(b) *In Epiſt. ad Timoth.* II. *cap. ult.*
(c) *Lib.* III. *hiſt. Eccleſ. cap.* IV.

ſcribit accurate prorſus *Paulo prope innumerabiles Adjutores fuiſſe, quos commilitones vocat: quorum ille*, inquit, *pleroſque immortali Epiſtolarum ſuarum teſtimonio ornatos perpetuae hominum memoriae commendavit*. Praeterea (*a*) Princeps unus venit ad Jeſum pro ſua emortua puella, quam Jeſus reſuſcitavit: nec dubito, quin ejus domus crediderit. Fuiſſe ejuſdem generis alios, quos Evangeliſtae in tanto credentium numero memorare omiſerint, certus ſum. Nam ex hiſtoria Evangelica colligo, unos Sacerdotes, atque illis conjunctos vel ſanguine, vel amicitia, vel utilitate, Chriſto reſtitiſſe, ne ſi crederent, imperium, quod uſurpaverant in populum, ac cum eo vitae voluptates omnes & commoditates una opera amitterent.

XVII. Jam vero de Judaeis juxta & Gentibus ex coaevorum, aut vicinorum fide diſcimus, nobiles plurimos, & quod praecipue refert, omnigena litteratura ornatos, Chriſtianam Religionem eſſe amplexos. Quod pertinet ad Judaeos, tota, ut dixi, Eccleſia Judaica, quae & gregem, & paſtores habuit generis ſui, uberrimum eſt argumentum. Teſtatur quoque Egeſippus apud Euſebium (*b*) Apoſtolorum temporum ferme aequalis, primores Hieroſolymorum quoſdam crediſſe. Quod ſpectat ad Ethnicos, qui inire calculum velit veterum omnium Epiſcopatuum ad Conſtantinum uſque, is reperiet per trecentos annos infinitos propemodum Aſiae, Africae, Europae Epiſcopos, ex Gentilibus fuiſſe litteratis ad Chriſtum converſis. Quot autem, quales, ac quanti fuerint, unus docebit Euſebius in primis octo libris Hiſtoriae Eccleſiaſticae, qui Epiſcoporum ſucceſſiones ad aetatem uſque ſuam ſcribere voluiſſe teſtatur. Tot ſcilicet fuere viri litteris inſignes, ut quum in perſequutionibus quotidie Epiſcopi interirent, ſemper alii praeſto eſſent, qui mortuorum in locum ſubirent. Eo-

(a) *Matth.* IX. 18.
(b) *Lib.* II. *Hiſt. Eccleſ.* *cap.* 23.

Eorum plerorumque opera habemus, aut fragmenta, quae hoc in loco memorare ſupervacaneum eſt. Quot praeterea alii, qui nunquam Epiſcopi fuere? Pantenus, Clemens Alexandrinus, Juſtinus, Origenes, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, aliique Philoſophi praeſtantiſſimi, ut recte Euſebius (*a*) quum ea de re incidiſſet ſermo, ſcribat, *viros inſignes litteris & pietate, qui Apoſtolis ſucceſſere per orbem terrarum, ſe numerare non poſſe, ac eos tantum commemorare, quorum ſua aetate ſcripta ſupererant*.

XVIII. Sed & plures quoque Chriſto illuſtres nomen dederant. In Epiſt. Eccleſ. Smirnenſis ad Eccleſias Ponti, quae paulo poſt initium ſaeculi ſecundi ſcripta eſt, legitur, *Policarpum dum caperetur oraſſe pro magnis juxta & humilibus, nobilibus & obſcuris Chriſtianis*, quos Tyrannorum furori relinquebat: apud Euſebium (*b*). Sub Domitiano Flavia Domitilla Flavii Clementis conſulis ex ſorore neptis, aliaeque foeminae paris conditionis celebres fuere (*c*). Sequentibus temporibus ſub ipſis Gentilibus Imperatoribus viri fuere natalibus nobiles, qui Chriſtiani erant, ut ex Euſebii colligitur hiſtoria. Exempla delibo; ut intelligatur quam inſcite Deiſtae crocitent, Chriſtianam Religionem non fuiſſe niſi idiotarum & plebejorum. Quod ſi plures adhuc ei reſiſtebant, id fiebat, quod Tyrannos verebantur, nec tantae erant fortitudinis, ut ſe, bona ſua, liberos, ac uxores internecioni dare auderent. Caeterum quum paulo aliquando remiſiſſet perſecutionis furor, ut ſub Trajano, ſub Adriano, ſub Antonino Pio, ſub Galieno, mirum dictu eſt quantum in numerum intra paucos annos Chriſtiani creverint. Facta tandem libertate ſuam Religionem profitendi Chriſtianis

(a) *Lib.* II. *hiſt. Eccleſ.*
(b) *Lib.* IV. *cap.* 15.
(c) *Vid. Irenaeum lib.* V. *& Euſeb. lib.* III. *hiſt. Eccleſ. cap.* 18.

Digitized by Google

nis ſub Conſtantino totus orbis Romanus intra annum fere Chriſtianus evaſit.

XIX. Quod vero addunt, vi abactos Ethnicos credidiſſe, ignorantiam veteris hiſtoriae aut turpiſſime produnt, aut inepte ſimulant. Quae arma pro Chriſtianis, ac non potius contra Chriſtianos, ad Concilium uſque Nicaenum ſunt adhibita? Interea Concilii Nicaeni tempore pene totus orbis Romanus Chriſtianus erat, creveratque non armis ſuffragantibus, ſed adnitentibus contra. Remanſerant, neque id nego, in angulis quibuſdam Gentiles Idololatres: pleraeque quoque gentes, ut Germanorum quaedam, Hungarorum, Nortmandorum, Svevorum, Danorum, armis aut illectae, aut adactae ad chriſtianiſmum VII. VIII. & IX. ſaeculo. Sed qui inde infert Chriſtianiſmum armis propagatum, ignorare debet ante ea ſaecula Gallias, Italiam, Graeciam, Thraciam, AEgyptum, Aſiam Minorem, Paleſtinam, Armeniam, Parthiam, Chaldaeam, Perſidem, Chriſtianos fuiſſe. Falſo itaque ac temere Baelius cenſuit, non poſſe nos Mahummedanis opponere armorum vi eorum ſuperſtitionem creviſſe, ac tam late provectam eſſe, quod & chriſtiani Principes armis quoque adverſus Etnicos ſint uſi: noſtra enim Religio fundata, ac quaquaverſum propagata erat, quum arma Principes adhibuere, nec ex chriſtiana regula, nec id exigentibus chriſtianis. Mahummedana vero armis primum plantata eſt, atque armis veluti regula ſuperſtitionis ejus *eſſentiali* dilatata. Inter impoſtoris enim illius ſcita hoc erat primum, *adhibenda arma*. Quum tamen Chriſtus, Apoſtoli, & ſucceſſores, praedicatione, miraculis, vitae ſanctitate adverſus arma pugnaſſent, & in immenſum creviſſent, interque praecipuas regulas docuiſſent, *ſed nec Religionis eſt cogere Religionem, quae ſponte ſuſcipitur, non vi*, ut loquitur Tertullianus ad Scapulam cap. II. *& ſacrificium non eſt, quod exprimitur invito*, ut Lactantius (*a*).

prop.

(a) *Lib.* V. *cap.* 20.

Prop. *XXXV.* Deiſtarum objectiones adverſus hiſtoriam Novi Teſtamenti refelluntur.

§. I. Argumentorum, quae contra libros Novi Teſtamenti protulere Deiſtae, non unum eſt genus. Quaedam enim hiſtoriam impetunt, quaedam doctrinam. Primi generis argumentum primum eſt. Joſephus, & Philo, ambo Judaei, & Jeſu ſuppares aetate, quum quae ad Rempublicam & ſectas Judaeorum ſpectant enarrent accuratiſſime, de Jeſu tamen, ejuſque ſecta, doctrina, miraculis ne verbum quidem faciunt. Quid autem ſimile vero eſt a diligentiſſimis & accuratiſſimis hiſtoricis rem omiſſam, quae potiſſima & maxima erat, praeſertim quum quaedam res chriſtianae fuerunt cum hiſtoria Judaica neceſſario connexae, itaut praeteriri nequiverint ſine magno hiſtoriae dehoneſtamento. Hujuſmodi ſunt caedes infantium ab Herode facta; cauſa mortis Chriſti, & rumores eam ob rem in Judaea excitati; Chriſti reſurrectio, ut & reſurrectio veterum quorumdam Patrum, qui etiam inter Hebraeos Hieroſolymis verſati ſunt redivivi. Senatus Hieroſolymitani contra gliſcentem Religionem acta; Acta Pauli, ejuſque defectio a Judaiſmo, & ſexcenta alia. Scimus, inquiunt, produci locum quemdam Joſephi, ubi de Jeſu Chriſto honorifice loquitur; ſed locus eſt interpolatus, ut viri docti plurimi, praeſertim David Blondellus, & Tanaquillus Faber demonſtrarunt. Interpolationem tria probant. Primum quod eo in loco Jeſus agnoſcitur eſſe Meſſia, quum tamen Joſephus, qui ſecta Phariſaeus erat, eum pro Meſſia habere non potuerit. Secundum, quod ſcribat non tantum Hebraeos, ſed plurimos etiam ex Gentilibus ad ſe pertraxiſſe, quum Jeſus ſolis Judaeis praedicaverit. Tertium quod ita ſcribat, quaſi ſuo tempore Chriſtianorum religio antiquiſſima fuerit; *neque*, inquit, *ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus*. Accedit quod Origenes contra Celſum memorat ob occaſionem Jacobi juſti dici a Joſepho proveniſſe Judaeis tot mala, quae a Romanis paſſi ſunt, & indicat locum in 18. antiquit. nec interim meminit

ejus loci, qui nunc in diſceptationem venit, quum cauſae ſuae magis etiam quam prior feciſſet. Id autem argumento eſt non extitiſſe hunc alterum locum id temporis in Joſepho; neque enim omiſiſſet Origenes.

§. II. Sed nunquam Criticae, & Logicae imperitiores Deiſtae mihi videntur, quam quum in veteribus impugnandis hiſtoriis, quae coaevorum conſenſione magna narrantur, ejuſmodi argumentorum generi, quod *negativum* vocant, quodque ipſi etiam rident, aequo nimius indulgent. Criticorum omnium una eſt doctrina: *ſi hiſtoria aliqua a pluribus & coaevis narretur, non poſſe revocari in dubium, quod ab uno, aut etiam pluribus, & ipſis coaevis, praetereatur*. Quippe qui praeterit non negat; nec poteſt niſi oſcitantiae aut malitiae accuſari. Quae quum ſint non video quid ex Joſephi, & Philonis ſilentio pro cauſa ſua concludere poſſint Deiſtae, praeſertim quum cauſae fuerint ſilentii. Nempe Joſephus ſecta erat Phariſaeus, quae omnium maxime propter ſuas ſuperſtitiones & hypocriſim a Chriſto caſtigata fuerat, quaeque idcirco omnium maxime in Chriſtum ſaevierat: uterque vero Philo, & Joſephus opprobrium maximum in omnes Judaeos manare videbant ex injuſta Chriſti, & Apoſtolorum perſecutione, & nece: nec enim vero adeo obtuſi pectoris erant, ut ex Chriſti & Apoſtolorum virtutibus nequirent hoc ſaltem intelligere, etiam ex Hebraicis regulis, fuiſſe illos viros juſtos, ſanctos, Deo caros. Itaque ne aut veritatem laederent, cujus fortaſſis erant conſcii, aut ſuorum iram incurrerent, exiſtimavere prudentius tacere, quam loqui. Qua ex re ego concluſerim, hoc ſilentium omnium maximum eſſe Chriſtianae veritatis teſtimonium, quod praeſtare illi ambo poterant. Neque enim ſi fabellas jactari ſibi perſuaſiſſent non eas omni eloquentia refelliſſent. Quid ſi horum quaedam velut nullius pretii, dum Reſp. Judaica magnis ageretur malis, habuit & contemſit.

§. III. Jam quaedam indicat. caedem infatium nullibi quidem memorat, ſed ea ſcribit, quae demonſtrant, non

non abhorruiſſe ab eo ſcelere Herodem. Fuiſſe enim illum, *ad ſaeviendum propenſiſſimum*, & quidem πρὸς πάσαις ταῖς αἰτίαις, *quavis ex cauſa*, *ac ne ab intimis quidem amicis ſanguinarias manus abſtinuiſſe*, diſerte is ſcribit (*a*). Alibi, *mendacio*, inquit, *ſtatim fides*, *erantque criminationibus ipſis velociora ſupplicia* (*b*). Notat eandem hominis ſaevitiam in libris de bello Judaico. (*c*) Scribit alibi haec, quae rei, de qua agimus, viciniora quoque eſſe videntur. *Timore pavidus erat Herodes, & ad omnes ſuſpiciones excitabatur, multoſque innocentes, metu ne quem nocentium intermitteret, in tormenta ducebat* (*d*). Genium tandem Herodis ſuſpicioſum & truculentum ex extrema voluntate deprehendi poteſt: edixit enim moribundus, ut ex ſingulis Judaeorum familiis, ac primoribus, ſinguli ſtatim ſe mortuo necarentur, ne Judaica gens exceſſus ſui laetitia efferretur (*e*). Quod ſi annales Herodis, quos Joſephum ſcripſiſſe teſtatiſſimum facit locus in XIV. antiq. cap. 17., ſupereſſent, intelligeremus fortaſſis, non fuiſſet haec a diligentiſſimo hiſtorico, a Chriſtianorum licet partibus averſo, aut iis infenſo, praetermiſſa. Id hic nobis ſufficit, tale deſcriptum Joſepho Herodis fuiſſe ingenium, quod ſatis probet, nihil ab eo alienum enarraſſe Matthaeum. Sed quidquid ejus ſit, qui tacet, nec negat, nec affirmat, quod veteri regula dixere Juriſperiti. Itaque non magis ex ſilentio Auctoris adverſus enarratas a plurimis coaevis hiſtorias quidquam concluſeris, quam ex iis Geometriae axiomatibus, quae nuſquam extant, oppugnaveris Euclideas demonſtrationes. Age da hiſtoricum Romanum rei ſui temporis ab omnibus aliis commendatae nullam facere mentionem: conficies eam rem falſo ab aliis narrari? Ut ecce fuere coaevi

(a) *Antiq. XV. XII.*
(b) *Ibid. cap. XVII.*
(c) *Lib. XVII.*
(d) *De bello Judaico lib. XIX.*
(e) *Idem lib. XVII. Antiq. cap. VIII.*

Digitized by Google

Livius ac Dionyſius Alicarnaſſenſis, Joſephus, & Tacitus: neuter tamen alterius meminit; confice neutros extitiſſe. Non tu tetra bile agitaris?

§. IV. Sunt quibus placet Philonem librum in quo θεραπεύτας deſcripſit, de primaevis chriſtianis compoſuiſſe, ac inde demonſtrari Philonem *non modo vidiſſe* (ſunt verba Euſebii) (a), *ſed etiam vehementer probaſſe, & miratum eſſe Apoſtolicos viros, qui ex Hebraeis oriundi ob eam cauſam Judaicos ritus, atque inſtituta, tunc temporis magna ex parte ſervabant:* ſed qui Philonis librum de Therapeutis legerit, vereor ut hanc Euſebii opinionem probare poſſit, immane quantum doctrina, mores, inſtituta Therapeutarum a primaevis Chriſtianis diſtant. Oppugnavit itaque eam vir eruditiſſimus Henricus Valeſius adnotationibus in eum Euſebii locum. Ejus praecipuum argumentum eſt id, quod ipſe narrat Euſebius de Therapeutis, quos habuiſſe ait ſcripta veterum quorumdam ſuae ſectae auctorum, qui legem allegorice expoſuiſſent. *Quomodo haec de Chriſtianis* (ſunt Valeſii verba) *accipi poſſunt, qui tum novelli erant, & nudius tertius nati? Quaenam rogo ſunt ſcripta illa? Quinam vetuſti Auctores, & Principes illius ſectae? Non certe Prophetarum libris: hos enim diſerte ab illis ſeparat Philo . . . . . Non Evangelia quae vix tunc ſcripta erant Philonis aetate, nedum ut & Evangeliſtae pro vetuſtis Auctoribus haberi etiam tum poſſent.* Valeſio ſe oppoſuit eruditiſſimus Benedictinus Bernardus de Monfaucon, qui libellum illum Philonis gallice vertit & cum diſſertationibus eo ſpectantibus Lutetiae edidit. Monfaucono iterum reſponſum eſt ab ampliſſimo, & doctiſſimo viro Johanne Boucherio in Senatu Divionenſi Praeſide. Copioſe hanc totam rem pertractat & Prideaux in hiſtoria Judaeorum.

§. V. Sed & non praetermiſit bonam harum rerum partem Joſephus. Plurimis enim in locis utriuſque operis

(a) *Lib. XI. hiſt. Eccl. cap. 17.*

ris meminit Johannis Baptiſtae, Jacobi fratris Domini, ejuſque mortis. Tum & Chriſti, ejuſque mortis, reſurrectionis, & doctrinae. Praeſentem hunc locum, qui extat in 18. antiquit. quemque mire vexarunt Critici, ut expediamus oportet. Inquit autem: *fuit autem hoc tempore vir ſapiens, ſi virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos autem ex Gentilibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus: quem quum a primoribus gentis ſuae accuſatum Pilatus ad Crucem damnaviſſet, ab eo diligendo non abſtinuerant, qui primum coeperunt. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit, quum divini Vates haec & alia quamplurima admiranda de eo praedixiſſent: neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo chriſtianorum genus*. Haec Joſephus. Genuinum eſſe hunc locum probat conſtans, & perpetuus codicum ferme omnium conſenſus. Probat & Euſebii auctoritas, qui illum retulit, & in IV. demonſtratione Evang. & in V. Hiſt. Eccleſ. 12. Eundem locum retulit Hieronymus (*a*), & Iſidorus Peluſiota (*b*) & Suidas in Lexico, & alii permulti. Quod vero eo non ſint uſi veteres ante Euſebium, non Clemens Alexandrinus, non Origenes, non Juſtinus, id aut ignorationi, aut negligentiae, aut quorumdam codicum defectui (*c*) tribui poteſt. Certe adverſus conſtantem codicum omnium conteſtationem argumentum eſt mere negativum.

§. V. Nec meliora ſunt argumenta Blondelli, & Fabri, quemadmodum demonſtravit Huetius. Principio Joſephus Jeſum non agnoſcit pro Meſſia (quo ex loco primum argumentantur), ſed tantum ſcribit talem fuiſſe habitum inter ſuos Jeſus: enim Chriſti nomine vocabatur & apud Judaeos, & apud Gentiles:

(a) *De Script. Eccleſ. in Joſepho.*
(b) *Lib. IV. Epiſt. 126.*
(c) *Vide Dicton part. III.*

quae Joſephus dum refert ingenui hiſtorici partes agit. Deinde Joſephus tempora ſua ſpectavit dum ſcripſit plurimos etiam ex Gentilibus ad ſe pertraxiſſe Jeſum, & Chriſto tribuit, quod Apoſtoli Chriſti effecerant. Tertium vero argumentum ineptum eſt: verba illa: *neque ad hanc diem defecit &c.* non antiquiſſimum tempus, ſed praeteritum tantum oſtendunt, adeoque veram continent narrationem. Sed vide quae ſuper hac re collegit Carolus Daubuzius ad calcem Joſephi ex editione Avercampi.

§. VII. Huic argumento addunt aliud ex hiſtoria Reſurrectionis. Contendunt primo, poſſibile non eſſe, ut corpora ſemel mortua revocentur ad vitam, ex quo conficere ſibi videntur, nec Jeſum reſurrexiſſe: quae hiſtoria quum praecipuum ſit Chriſtianae Fidei, & Religionis fundamentum, ſi vera non eſt, de Religione Chriſtiana actum eſt. Deinde ſi Jeſus reſurrexit (inquit Celſus apud Origenem) (*a*) & Spinoza (*b*), cur Senatui Jeroſolymitano, cur Phariſaeis, & inimicis ſuis non apparuit? Ita enim facillime eos perfidiae ſuae convincere poterat, ut ne muſſitarent quidem amplius. Inde vero progrediuntur Deiſtae, atque inſcitiſſime conjiciunt, aut Diſcipulos Jeſu ejus corpus ſubripuiſſe, dehinc vulgaſſe eum reſurrexiſſe; aut phantaſia, vel ſpectro aliquo deceptos id ſibi perſuaſiſſe, quod maximopere deſiderabant; quod quae volumus facile credamus.

§. VIII. Reſpondemus primam objectionem indignam eſſe Philoſophis. Qua enim ratione impoſſibilem vocant Chriſti Reſurrectionem, abſolute ne & intrinſecus, an extrinſecus & relative? Primum non dicent, niſi perridiculi eſſe velint; neque enim impoſſibile eſt animam, quae a corpore ſemel ſoluta eſt, iterum illi uniri: nam quum non ſit impoſſibile animam humanam corpori uniri, & dato uno poſſibili, poſſibilia ſint infi-

(a) *Lib. II. contra Celſum*.
(b) *Epiſt. 23. ad Henric. Holdenburg.*

infinita ſimilia, poſſibile eſt infinities ſeparari, & infinities corpori uniri. Quod ſi Chriſti reſurrectio intrinſecus impoſſibilis non fuit, ne extrinſecus quidem; quandoquidem nihil eorum, quae intrinſecus poſſibilia ſunt, Deo eſſe poteſt impoſſibile. Atque ita ratiocinatur Juſtinus Martyr, ſeu quiſquis auctor ſit, reſponſione ſeptima ad objecta de Reſurrectione in Juſtini operibus: *Si elementa*, inquit, *ſubjiciuntur ad eorum, quae generantur creationem & ad eorum, quae intereunt reſtitutionem, quomodo ſi incredibilis, atque impoſſibilis eſſe eorum quae intereunt exiſtimatur reſtitutio? num incredibilis, atque impoſſibilis etiam erit eorum, quae ab initio genita ſunt creatio?* Praeclare quoque ſuper eadem re diſſerit Auguſtinus (*a*). *Utrum*, inquit, *non poteſt facere, ut reſurgat caro, & vivat in aeternum; an propterea credendum non eſt id eum eſſe facturum, quia malum eſt, atque indignum Deo? . . . ſi volunt invenire, quod omnipotens non poteſt, habent prorſus: ego dicam: mentiri non poteſt. Credamus ergo quod poteſt, non credendo quod non poteſt. Non itaque credentes quod mentiri poſſit, credant eſſe facturum quod ſe facturum eſſe promiſit: & ſic credant, ſicut credidit Mundus, quem crediturum eſſe praedixit, quem crediturum eſſe laudavit, quem crediturum eſſe promiſit, quem crediſſe, jam oſtendit.*

§. IX. Ad alteram objectionem reſpondemus, non eſſe a nobis exigendas rationes operationum Dei, quae eſſe poſſunt infinitae, & praeſtantiſſimae. Quum conſtat Deum aliquid dixiſſe, aut feciſſe, Dei auctoritas ſummae nobis rationis loco eſſe debet: divinus eſt Auguſtini locus (*a*). *Jam ergo tria*, inquit, *ſunt incredibilia, quae tamen facta ſunt. Incredibile eſt Chriſtum reſurrexiſſe a carne, & in Coelum aſcendiſſe cum carne: Incredibile eſt Mundum rem tam incredibilem credidiſſe: Incredibile eſt homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter Mundo, & in*

(a) *Lib. XXII. de Civit. Dei cap.25.*

in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum nolunt iſti, cum quibus agimus, credere. Secundum coguntur & cernere quod non invenerint unde ſit factum, ſi non credunt. Tertium, reſurrectio certe Chriſti, & in Coelum cum carne, in qua reſurrexit, aſcenſio toto jam Mundo praedicatur, & creditur. Si credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe jam credere eſt? Si multi nobiles, ſublimes, docti eam ſe vidiſſe dixerunt, & quod viderunt diffamare curarunt, eis Mundum credidiſſe mirum non eſt; ſed iſtos adhuc credere nolle perdurum eſt. Si autem, ut verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis eam ſe vidiſſe dicentibus credidit Mundus, cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi Mundo jam credenti adhuc uſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tanto contemptibilibus teſtibus numero mirabilius divinitas ſe ipſa perſuaſit. Non potuit vehementius Spinozae impudentia retundi: ſed legatur locus integer. Progreditur enim ultra, & quum demonſtraſſet Apoſtolos plurima egiſſe miracula, ut Chriſti reſurrectionem Mundo perſuaderent, inde conficit, vere Chriſtum reſurrexiſſe: miracula enim Deus nulla efficere poteſt in falſitatis confirmationem; quia ſcilicet hoc unum non poteſt Deus omnipotens, mentiri. Non itaque probare poſſumus Originem contendentem, Chriſtum multiplex corpus & varium poſt reſurrectionem habuiſſe, ita tamen ut quum coram omnibus eſſet, non ab omnibus videretur, aut cognoſceretur, quippe, quod non omnes habuerint oculos aptos ad eum intuendum: id enim nullum habet in hiſtoria, aut traditione Evangelica praeſidium.

§. X. Quod conjiciunt vero Deiſtae id cum narratione reſurrectionis Jeſu Chriſti pugnat aperte: tales enim circumſtantiae hujuſmodi narrationem comitantur, ut nulla ſuſpicio ſuboriri poſſit, ſubripuerint ne Apoſtoli corpus, & fraudem fecerint, aut phantaſia & ſpectro falſi ſint. Id ita demonſtrabimus. Quum mulieres duae ſepulchrum Chriſti vacuum reperiiſſent, ab

An-

Digitized by Google

Angelo ſunt admonitae, Chriſtum reſurrexiſſe. Id autem ſolum firmum eſſe potuit reſurrectionis Chriſti argumentum. Quid enim? An corpus Jeſu ſublatum clanculum fuerat? A quibus tandem? Quum ſepulcrum ejus rei metu diligentiſſime cuſtodiretur? Praeterquam quod ſuſpiciones iſtae locum aliquem haberent ſi nulli Jeſus redivivus apparuiſset. Nunc autem primo apparuit Magdalenae prope ſepulcrum Marci XVI. 19. Johannis XX. 11. Secundo apparuit Mulieribus a ſepulchro Jeroſolymam redeuntibus Matth. 28. Tertio apparuit Petro Lucae 24. Quarto duobus Diſcipulis Emmauntem euntibus. Sed quum adhuc dubitaretur, Jeſus, ut omne dubium tolleret. Quinto apparuit omnibus Apoſtolis ſimul, uno Thoma abſente, Lucae 24. & Johann.20. Illis autem prae timore, & gaudio, fidem non habentibus, oſtendit manus & pedes, atque una cum iis comedit, bibit. Sexto iterum apparuit Diſcipulis omnibus una cum Thoma, qui non videre tantum, ſed & tangere voluit, ita rem divina Providentia gubernante, ut poſterorum dubia praeoccuparet, Johann. 20. Septimo prope mare Tiberiadis omnibus iterum Diſcipulis ſe manifeſtavit, & cum iis manducavit, & bibit. Johann.21. Octavo apparuit pluſquam quincentis Fratribus ſimul, quorum plerique ſupererant, quum haec ſcriberet Paulus I. ad Corinth. XV. 6. Nono tandem dicitur verſatus cum Apoſtolis per quadraginta dies loquens de Regno Dei; ſecundum quae omnibus Diſcipulis intuentibus in Coelum ad Patrem abiit. Act.I. 3. Quis autem, qui omnia haec accurate perpendat, ſibi perſuadeat Apoſtolos aut phantaſia deceptos fuiſſe, aut inſigni fraude voluiſſe decipere, ac potuiſſe? Saltem producant Deiſtae rationes, ob quas de hujuſmodi hiſtoria dubitant; nam dubitare ſine ratione, non eſt dubitare, ſed dubitare velle, aut potius nolle credere. Id autem indignum eſt, non dico hominibus veritatis inquiſitionem profitentibus, ſed quocumque homine, qui ſit rationalis. Sed & oſtendamus Apoſtolorum teſtimonium tanti eſſe, ut de eo dubitare nequeat, niſi qui omnem rationem excuſſerit.

§. X.

§. XI. Ac primum nulla dubitandi ratio eſt: aut enim teſtibus nullis credendum eſt, aut cur illis non credatur ratio afferenda eſt. Deinde cauſa cur de fide eorum dubitari non debeat, manifeſta eſt. Nam ſi ratio illa valere debet, quod diſcipuli ejus fuerint, tum neceſſe eſt, ut dicatur eos mentitos fuiſſe, aut contra mentem ſuam voluiſſe affirmare quod ſciebant falſum eſſe. At 1. Nulla ratio hoc ſinit credere: nam ſtatim falſi redargui, & convinci potuiſſent, oſtenſo cadavere. Nec quo minus id fieret dubitare potuiſſent: nam quotquot eorum in populo Judaico erant, in primis optimates, & proceres, qui Jeſum Cruci affixerant, & quorum intererat, ut jure Cruci affixus crederetur, ac proinde a Deo non ſuſcitatus, hoſtes habebant ſibi quoque ut Magiſtro infenſiſſimos; quos huic famae, & rumori omnibus viribus obſtitutos eſſe, non poterant non credere: in primis ſi ad manus cadaver eſſet, cujus oculari demonſtratione & inſpectione rei veritas evinci poterat. At nemo unquam repertus fuit, qui eos falſi redarguere iſta ratione poterit.

§. XII. Jam quo fine id iſti teſtari voluiſſent? Ut enim credamus eos teſtari voluiſſe verum eſſe quod ipſi apud animum ſuum certi erant falſum eſſe, nullo prorſus fine, id nullo pacto eſt veriſimile. Recte olim Piſo dixiſſe legitur, *cui bono?* Si fine aliquo id eos teſtatos eſſe dicas, neceſſe utique eſt, ut eos id teſtatos dicas eo fine, ut doctrinam, & Religionem Jeſu Chriſti Magiſtri ſui propagarent quaquaverſum. Recte inquies. At 1. Religionem illam propagantes ſe ipſos damnaſſent, reoſque aeternae mortis feciſſent. Inter axiomata enim Religionis iſtius eſt, non eſſe mentiendum, & mendacio hominem reum irae divinae, ac mortis aeternae fieri.

§. XIII. Ad haec, quo fine eam propagatam ire voluiſſet? An ut utilitatem aliquam inde conſequerentur? At quam utilitatem? ut gloriam, opes, voluptatem ſperare inde ſe poſſe crediderint, dici non poteſt. Contraria omnia certe expectanda erant, & contraria omnia

ipſis

ipſis eventura, ipſa Religio praedicebat. Sed & evenire jure meritoque credere debuiſſent, quod teſtari voluiſſent id, quod ſciebant falſum eſſe, mundumque Univerſum dedita opera fallere. Ubi quaeſo latebit tantae improbitatis ſtimulus? Quid eos ad tam miſeram, & periculoſam malitiam incitare potuit & impellere? niſi dicas eos delectationem in eo quaeſiviſſe quod mundum totum fallere poſſent, quod nimis profecto ſcurrile eſt. Hoc neſcio an cadat in deſperatiſſimae improbitatis hominem. Nam primo, quae ſpes ut tam enormi & grandi mendacio fides adhiberetur? Aut quam fidem ei adhibitam iri crederent, quum ipſi mendacium eſſe ſcirent, eique non credere poſſent? Secundo, quid in delectatione illa potiſſimum eſſe poterat, quum ſcirent, ac proſpicerent ſibi ea propter omnia pericula ac mala metuenda eſſe? Tertio quis credat eos iſto mendacio delectionem ſibi quaeſiviſſe, aut quaerere voluiſſe, quo doctrina, ac religio propagaretur, quae tantum ad homines omnis virtutis, ac pietatis genere ornandos, compoſita erat? Quare concludo, eos non modo idcirco quod diſcipuli Chriſti fuerint ſuſpicione falſi gravandos minime eſſe, ſed contra ideo majorem fidem mereri. Hoc autem argumentum tanti apud me ſemper fuit, ut illud ſemper crediderim ſolum ſufficere veritati, & divinitati Religionis Chriſtianae plene demonſtrandae, idemque verum judicabunt, quicumque paulo attentius illud conſideraverint (*a*).

§. XIV. Pulcherrimus eſt, quique plurimum ad rem noſtram facit, Arnobii Presbyteri locus in primo adverſus Gentes: *Sed non creditis*, inquit, *geſta haec? ſed qui ea conſpicati ſunt fieri & ſub oculis ſuis viderunt agi teſtes optimi, certiſſimique Auctores, & crediderunt haec ipſi, & credenda poſteris nobis, haud exilibus cum approba-*

(a) *Egregia tota haec res demonſtratur ab Humfredo Diction de veritate Religionis Chriſtianae ex Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

rationibus tradiderunt. Quinam iſti ſunt, fortaſſe quaebitis? Gentes, Populi, Nationes, & incredulum illud genus humanum, quod niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus hujuſmodi credulitatis ſuae commodarent aſſenſum. At numquid dicemus illius temporis homines uſque adeo fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, brutos, ut quae nunquam viderant vidiſſe ſe fingerent, & quae facta omnino non erant, falſis proderent teſtimoniis, ut puerili aſſertione firmarent, quumque poſſent vobiſcum & unanimiter vivere, & inoffenſas ducere cognitiones, gratuita ſuſciperent odia, & execrabili haberentur nomine? Quod ſi falſa, ut dicitis, hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore totus mundus iſta Religione completus eſt? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disjunctae? Ventis, coelo, convexionibuſque dimotae? Aſſeverationibus illectae ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte temeraria deſperatione voluerunt, quum nihil tale vidiſſent, quod eos in hos cultus novitatis ſuae poſſet excitare miraculo? Imo quia haec omnia & ab ipſo cernebant geri, & ab ejus praeconibus, qui per orbem totum miſſi beneficia patris, & munera, Diis hominibuſque portabant veritatis ipſius victae, & dederunt ſe Deo, nec in magnis poſuere diſpendiis, membra vobis projicere, & viſcera ſua lanianda praebere. Sed conſcriptores noſtri mendaciter iſta prompſerunt, extulere in immenſum exigua geſta, & anguſtas res ſatis ambitioſo dilatavere praeconio. Atqui utinam cuncta referri in ſcripta potuiſſent, vel quae ab ipſo geſta ſunt, vel quae ab ejus praeconibus pari jure, & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortaſſe poſſetis (quod videretur ſimillimum veri) & incrementa rebus appoſita, & inditas ſcriptis, & commentariis falſitates. Sed neque omnia conſcribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt geſta gentibus in ignotis, & uſum neſcientibus litterarum. Vide totum locum.

Prop. XXXVI. Refelluntur Deiſtarum objectiones adverſus

verſus dogmata librorum Novi Teſtamenti.

§. I. Accedunt jam Deiſtae ad doctrinam Novi Teſtamenti aggrediendam. Ajunt in ea deprehendi quaedam, quae cum tota ratione pugnant, ut non videantur a Deo proficiſci potuiſſe: quippe quum ſit ille ſumma & abſoluta ratio. Haec autem argumenta in tria ſumma genera conferri poſſunt. Nam principio, ajunt, Fato omnia fieri, Scriptores Novi Teſtamenti aperte dicere videntur: deinde non omnibus dona ſua, & gratias Deum largiri: tum quaedam docent, quae praecipua rationis naturalis dogmata convellunt: tandem nonnulla praecipiunt, quae cum ſocietate humana conſiſtere nequeunt. Sunt haec omnia a viris doctis & cribrata acutiſſime, & plene refutata, quorum ego nomina, quae vulgatiſſima ſunt, praetereunda cenſeo (a). Sed ſuſcepti a me operis ratio exigit, ut & ego non illa omittam, praeſertim quum, niſi animi fallor, quaedam afferre poſſe cenſeo minus ab aliis animadverſa. Minutatim ergo argumenta referam, & refellam: nec omnia tamen, ſcilicet etiam leviſſima: indignum eſt enim Philoſophi gravitate ad ineptias quoque confutandas aggredi. Ea igitur tantum perpendam, quae veri ſpeciem quamdam mentiuntur, quaeque incautos fallere poſſint. Sed & ab his quoque abſtinuiſſem, contentus veritatem Chriſtianae Religionis demonſtraſſe, niſi eſſent illa non in veteribus modo libris, ſed in pluribus quoque opellis, quae haud dudum inſano conſilio vernacula Gallorum lingua ſunt editae, vulgatiſſima, ut turpiſſimum cenſeamus, quum Religionis hoſtes, quod B. Baſilius dixit, clament, nos tacere, quaſi cauſſa diffiſi.

Pri-

(a) *Vide Diſſert. Huttevillii immortali ejus operi la Religion Chrêtienne prouvèe par les faits praefixam.*

Primum Deiſtarum argumentum, Fata omnia rapi ex Chriſtianorum doctrina perpenditur, & refellitur.

§. II. PRimum autem argumentum eſt hujuſmodi: Scriptores Evangelici docent, ne arboris quidem frondem moveri ſine voluntate Dei; omnes ergo motiones naturae a voluntate Dei repetunt immediate, ita ut homines nihil faciant ſine illo. Itaque Theologi quidam eo venere, ut pronunciarent, res creatas nihil prorſus efficientiae habere, ſed Deum ad earum praeſentiam efficere omnia; *creaturarum eſſe pati*, *Dei efficere*, quemadmodum Philo loquitur (*a*). Gabriel Scholae Theologus in primis acutus & perſpicax *probabilem* hanc dicit *opinionem* (*b*), confirmatque verbis Pauli, *Deus operatur omnia in nobis* (1. ad Corinth. cap. XIII.) Inde Thomiſtarum doctrina, *omnia a Deo phyſice praedeterminari*: inde Carteſianorum, creatas res nullam habere motionem ſuarum efficientiam, ſed eſſe earum *cauſas*, ut vocant, *occaſionales*. At hoc totum cum humana libertate pugnat, quam eſſe aliquam invicta argumenta demonſtrant, ut neceſſe ſit, alterutrum eſſe verum.

§. III. Sed totum hoc argumentum non Chriſtianae tantum Theologiae, ſed intimioris quoque Philoſophiae imperitiam patefacit, eſtque a nobis ſaepe retuſum, demonſtratumque, una eſſe poſſe & concurſum Dei cum cauſis ſecundis, & earundem cauſarum activitatem & libertatem, quum actio Dei in creaturis concauſa ſit earum actionum, quae ex potentiis creaturarum naturalibus manant, ut idcirco libertatem non evertat. Sed retractemus hoc accuratius. Principio nego, aut Evangelicos Scriptores, aut Chriſtianos Theologos omnem

(a) *In lib. de Cherubin & flamma gladii*.
(b) *In* IV. *ſententiarum diſtin.* I. *art.* 3. *dub.* 3.

Digitized by Google

nem rebus creatis efficientiam denegaſſe. Num eaedem illae Scripturae, quae docent, Deum & *volatilia Coeli paſcere*, (Matth. VI. 26.) *& foenum agri circumveſtire* (Ibid. ver. 30.) & *nec paſſerculum cadere ſuper terram ſine voluntate Patris* (Matth. XX. v. 291.) & Deum *operari omnia in rebus* (I. ad Corinth. cap. XIII.) & *non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe* (II. ad Corinth. cap. 3.) ac ſimilia, quae ſupremum Dei in res omnes imperium, ejuſque curam & providentiam nos docet; eaedem, inquam, Scripturae, & praecipiunt, & vetant, & exhortantur, & rogant, quae totidem ſunt argumenta, & nos aliquid poſſe ac agere. Eaedem lamentantur nos minus divinis legibus parere. Eaedem dicunt, nos *Spiritui Sancto reſiſtere* (Act. VII. v. 51.). Quae ſi quis cum Stoicorum invito illo quidem & ineluctabili fato componere poteſt, is aut neutrum intelligit, aut quae dicuntur contraria ignorat. Deinde quam Deiſtae Chriſtianis tribuunt ſententiam, eam illi non averſantur modo, ſed & ſtultam vocant, ut B. Thomas (*a*), & temerariam, ac erroneam (*b*). Itaque ille idem Gabriel veritus impietatem non eſt auſus defendere. Diſerte quoque veteres Theologi adnotant, Deum verbis illis, quae ſunt in primo Geneſeos capite, *germinet Terra herbam virentem*(*c*) rerum efficientiam ſignificari. Neque id illi ipſi, qui *phyſicam praedeterminationem* induxerunt, pernegarunt unquam, quod quoniam teſtatiſſimum facere poſſunt eorum opera, ſupervacaneum eſt eorum loca proferre.

§. IV. Quid autem divini Scriptores modis illis loquendi

(a) III. *Contra Gentes cap.* 69., *&* I. *p. q.* 105. *art.* 5.

(b) *Suarez in Metaphy. diſp.* 18. *ſect.* I., *quo in loco ex inſtituto ea de re diſſerit*.

(c) *Vid. B. Baſilium hom.* 9. *in Exaëmeron, & Ambroſium item in Exaëmeron lib.* III. *cap.* 8., *& lib.* V. *&* VI.

quendi ſibi velint, ut explicemus, paulo altius exordiendum eſt. Deum eſſe primam eorum quae ſunt omnium cauſam, conſtat inter omnes. Eorum autem omnium, quae ſunt, duo conſtituimus ſuprema genera, corpora, & mentes. Conſtat praeterea quod ſuapte natura non exiſtit, nec ſuapte natura conſervari poſſe, ac ut alterius virtute exiſtit, ita alterius quoque vi conſervari. Corpora ergo, & mentes, quae ſuae naturae neceſſitate non exiſtunt, ne conſervari quidem ſuapte natura poſſunt. Dei ergo vi atque potentia, qua primum eſſe coeperunt, exiſtere pergunt, ideſt conſervantur, quo modo praeclare in Scholis dicitur, & vere, *conſervationem eſſe perennem creationem*. Quum autem dicitur corpora & mentes ſeſe conſervare non poſſe, id ſic intelligi debet, ut nullas ſui proprietates, attributa, qualitates conſervare ſibi poſſint; ſed quemadmodum quas habent naturales proprietates, ac attributa, ea a Deo habent, ita a Deo, ut conſerventur quoque habere. Ineſt autem quum in corporibus, tum praecipue in mentibus, praeter proprietates alias ſubſtantiales, vis quaedam activa, & operatrix, veluti gravitatis, attractionis, motionis, vegetationis, generationis &c. in corporibus: intelligendi, volendi, movendi &c. in mente: ea igitur vis, potentia, facultas, nec exiſtit primum, niſi a Deo, nec operatur quidquam, ideſt exiſtere, & conſervari pergit, niſi vi, & actione, aut, ut vocant, *concurſu* Dei. Itaque nihil magis perſpicuum in natura eſt, quam Deum ſua immenſa, atque infinita actione cuncta conſervare, ideſt omnia a Deo, & ut fiant, & ut conſerventur, pendere. Id Scripturae divinae docent, in quo cum recta ratione adamuſſim concordant. Ac certe mirum eſt poſſe Deiſtas in hanc doctrinam invehi. Quid efficerent ſi quidquam eſſe, aut fieri Scriptura diceret, minime quod, ut eſſet, & fieret a Deo penderet? Duorum alterum inde confici clamarent: aut eſſe in rerum univerſitate entia quaedam aeterna, ac independentia, aut purum eſſe in Natura caſum. Ita efficitur, ut ſtudio contradicendi, in

duo

duo contraria invehantur, quod fieri non poteſt, niſi duo quoque contraria vera eſſe fateantur, uti Logicae Tirones norunt: nam *qui eſt & non eſt* juxta negat, *is non eſt, & eſt* una opera affirmat.

§. V. Porro quod ajunt, actionem hanc divinam ſtare non poſſe cum humana libertate, imperite faciunt. In tribus facultatibus poſita eſt humana libertas. I. Intelligendi. II. Volendi. III. Agendi: Radix volendi intellectus, agendi voluntas. Tres eae facultates humanae menti eſſentiales ſunt. Ut quum mentes aeque & mentium proprietates, & ut ſint, & ut conſerventur a Deo habeant, a Deo ut ſint, & ut conſerventur tres illae facultates, eſt. Conſervantur autem ita, ſi illis Deus actione ſua vim non inferat, ſed ut concauſa adjuvet. Fac enim vim illi inferri, jam non natura ſua mens intelligit, vult, operatur, ideſt, nec intelligit ipſa, nec vult, nec operatur. Quomodo non dicitur agere lapis, qui non ipſe ſe ad motum impellit, ſed ab exteriori cauſa impellitur: ita compreſſis, aut extinctis mentis facultatibus, ne natura quidem illa mentis conſiſtere poteſt; actione ergo ſua Deus rerum naturas evertit; quod quum ſit contradictorium, quandoquidem actione Dei res omnes conſervantur (ex ſuperiori §.) non illis facultatibus vim infert Deus. Adjutor ergo eſt & concauſa. Ac id ſcripturae ipſae nos docent, quum invocare Deum adjutorem docent: *Deus in Adjutorium meum intende.* (Pſalm. 69. 1.) & *Adjutor meus es tu* (Pſalm. XXXVI. 9.) ſuper quibus Auguſtinus (a) praeclare obſervat, *nomen Adjutoris praeſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis*. Nec nunc inquiro *ſimultaneus* ne ſit Dei concurſus ille, an *praeveniens*, ac *praedeterminans*. Quicumque ſit, talis profecto eſſe nequit, quo voluntates humanae cogantur. Neque vero Deiſtis, ideſt iis qui foris ſunt, rationem reddere debemus earum quaeſtionum, quas cum fratribus

(a) *Serm. 13. de verbis Apoſtoli.*

noſtris agitamus, quando utrique profitemur nihil privatis nos opinionibus humanae libertati detrahere velle. Sed videor longius progredi, quam via, & ratio inſtituti operis patitur, ac veniam repeto.

Secundum Argumentum ex particulari Dei bonitate & gratia deſumptum, refellitur.

§. VI. Alterum vero argumentum, quo ſaepe Deiſtae utuntur, hinc depromitur, quod ſcriptores Novi Teſtamenti doceant Dei bonitatem, & gratiam non ad omnes pertingere, ſed ad eos tantum, quos Electos vocant. Videtur, inquiunt, diſerte eam cauſam agere Paulus in Epiſt. ad Rom. Accedit eodem, quod revelatio hujuſmodi, ſine qua homines nullo pacto ſervari poſſunt ab aeterno interitu, nec pertinuerit olim ad omnes, qui epocham Chriſti anteverterunt, nec hodie proſit illis, qui eam ignorant, quales ſunt maxima Telluris pars. At haec pugnant cum Dei bonitate, qui ut eſt omnium pater, ita par eſt omnibus praeſidia vitae ſuppeditare. Certe praeſidia vitae corporeae ſuppeditat omnibus, quacumque patet Tellus. Negabit autem vitae moralis, & aeternae beatitudinis?

§. VII. Hoc argumentum partim ex imperitia doctrinae Novi Teſtamenti, partim etiam ex ignorantia veteris hiſtoriae proficiſcitur. Principio falſo dicunt, in libris Novi Teſtamenti praedicari bonitatem Dei, & gratiam peculiarem, quaſi Deus aut non omnibus conſulat hominibus, aut non omnes velit beatos fieri. Accuratiſſime totam hanc rem pertractavit Claudius Pellecterius in Opuſculo de Gratia univerſali edito Lucemburgi anno 1725. Hujus nos hominis ratiocinium paucis complectemur. Primum ille argumentum deſumit ex ipſo nomine *Jeſu*, *quod ei eſt inditum*, *quia ipſe futurus erat Salvator populi ſui*. (Matth. I. 29.) Hic populus ſunt omnes omnino homines: *omnia mihi*, inquit, *tradita ſunt a Patre meo*. (Matth. XI. 27.) Secun-

eundo: Peccatores invitat: *ad eos veniſſe ſe fatetur*. (Matt. ix. 12. 13.) Nemo autem non peccat aliquid: *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. (Johan. Epiſt. 2. cap. 8.) Praecipue vero omnes in Adam peccant, (Apoſt. ad Corinth. 1. 15.) omnes ergo venit ſalvos facere. Tertio (Matth. xxviii. 19.) *Data eſt mihi omnis poteſtas in Coelo, & in Terra; euntes ergo docete omnes gentes &c.* vocat omnes; Apoſtolos mittit ad omnes: baptizari vult omnes. Quarto Petrus (Act. xi. 17.) *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem . . . & erit omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*: Praedicari vult omnibus ſpiritu ſuo: vult omnes ad ſe converti, ut omnes ſalventur. Quinto *Mandatum Dei vita aeterna*. (Johan. xii. 50.) Quoniam autem impleri nequit praeceptum ſine gratia: *ſine Deo enim nihil poſſumus*; mandatumque eſt omnium; & gratia eſt omnium, ne dicamus Deum finem quidem velle, non media.

§. VIII. Nec vero hanc univerſalem gratiam negat in Epiſtolis ſuis Paulus, qui non poteſt aliud doceri a Magiſtro, cujus & ſpiritu docet. Eam potius ſaepe laudat. Atque in ea praecipuus eſt Pellecterius. Principio prima ad Corinth. xiii. ad 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & Chriſto omnes vivificabuntur*: omnes autem & ſinguli in Adam moriuntur: omnes ergo & ſinguli in Chriſto vivificantur. II. *Charitas enim Chriſti urget nos, aeſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. . . .* Pro omnibus mortuum, & reſurrexiſſe Chriſtum quum praedicat Paulus, is profecto omnibus Chriſti gratiam dari conſequenter praedicat. III. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc Mundum peccatores ſalvos facere*: ſunt autem peccatores omnes (1. Johann. 1. 8.) (*a*); fidelis ergo ille ſermo eſt

(a) *Vide & B. Hieronym. lib. 1. adverſus Pelag.*

Digitized by Google

& verus: cum emphaſi, quaſi inter praecipua, quae acceptione ſint digna, reſonat, pro omnibus veniſſe Chriſtum, ac conſequenter omnibus proſpicere. Quarto tandem protritum & apertum eſt illud Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* (1. ad Timoth. II. 4.). Sed & in eadem illa Epiſt. ad Rom. Illuſtre teſtimonium praeſtat gratiae univerſali, *An Judaeorum*, inquit, *Deus tamen? Imo & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & praeputium per fidem*. Quod confirmat in Epiſt. ad Galatas: *Quiquumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judaeus, neque Graecus*.

§. IX. Deinde falſo quoque dicunt, Paulum in Epiſt. ad Rom. Cap. IX. hujuſmodi particularem gratiam docuiſſe, quam Supralaſſarii, aut Infralapſarii docent. Id ut intelligatur, ab Epiſtolae fine rem totam repetam. Diſceptat in ea cum Judaeis, an lex Hebraica ſalvare homines poſſit? Praeterea an jure Deus Ethnicos ad veram Religionem vocaverit, ac loco pertinacium Hebraeorum eſſe voluerit? Nam Judaei, qui tempore Pauli his de rebus diſputabant, & tuebantur ſola Judaica lege ſervari homines poſſe, & non jure repulſos Judaeos, eorumque loco Gentes adſcitas, quam ob rem potiſſimum indignabantur Apoſtoli. Utrumque refellit Paulus. Quumque plurima eam in rem dixiſſet capite illo IX., deinceps, quo magis ſuperbiam Judeorum & praefidentiam retundat, & hoc addit, gratiam hanc, qua olim vere Iſraelitae, deinde veri Chriſtiani fiunt, mere eſſe gratuitam, ideſt Dei donum, ne illam operibus legis ſe poſſe conſequi ſuperbientes Judaei confiderent. Id autem ut conficiat exemplis utitur Judaeis notis, ideſt e Veteri ipſo Teſtamento depromptis: primum Sarae & Rebecchae, quae tum filios ſuſceperunt, quum parere natura vetarentur: tum exemplo Jacobi & Eſau, quorum ille electus fuit, ut haeres eſſet promiſſionum Abrahae factarum, hic quamquam primogenitus rejectus, idque antequam naſcerentur, atque boni aliquid, aut mali agerent, ne id promeri-

tos

tos quiſquam dicat. Opponit deinceps ſibi, id ſi ita ſit, iniquum eſſe Deum. *Abſit*, inquit: *Moyſi enim dicit, miſerebor cui miſereor . . . . igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Ideſt non iis exemplis doceri volui, Deum eſſe perſonarum acceptorem: ſed hoc tantum, gratiam operibus noſtris minime nos promereri, ſed miſericordiae Dei eſſe donum. Idipſum porro oſtendit exemplo Moyſis, quem excitavit, ut oſtenderet in eo virtutem ſuam, ut annunciaretur nomen ſuum in univerſa Derra: excitavit autem ex infinitis aliis, quos ad eandem dignitatem, idemque munus praedeſtinare poterat, quoſque pro aeternis ſuis judiciis præteriit. Atque hoc item ut ſuperbiam Judaeorum retundat, qui lege & majoribus ſuis confidentes, indignabantur Gentes in eum a Chriſto vocatas locum, quem ipſi olim obtinuerant. Id quod iis iterum e vaticiniis probat: *ſicut*, inquit, *Oſea dicit, vocabo non plebem, plebem meam, & non dilectam, dilectam . . . . & erit in loco, ubi dictum eſt eis, non plebs mea vos &c.* Probat & a ſupremo Dei in res omnes imperio, velut figuli in cretam: *numquid dicit figmentum fictori ſuo, cur ſic me feciſti?* Ex quibus tandem concludit, *quid ergo dicemus? Quod Gentes, quae non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam. Juſtitiam autem quae ex fide eſt* (non ex lege, ne ſuperbiatis), *Iſrael autem ſectando legem* (quaſi ſcilicet ex ſola lege eſſet juſtitia) *in legem juſtitiae non pervenit*. Quare? *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus*. Itaque patet nullo pacto Paulum gratiam & bonitatem Dei univerſalem, quam ſaepe praedicat, in hac Epiſtola oppugnare voluiſſe.

§. X. Poſtremo quamquam revelatio Evangelica & evolutior ſit, & copioſior, tamen non ita Dei beneficia hoc tempore coarctanda ſunt, ut per totam retro actam aetatem defuerint. Divina enim doctrina, qua homines ut cum virtute vivant, egent, primis profecto hominibus coaeva fuit: nam Deus quum dupliciter ad homines loquatur *via naturae, & via prophetiae*, ab initio utroque modo ſeſe hominibus communicavit,

nec ſemel, ſed ſaepe, nec uno modo, ſed pluribus; ut ſi homines attendere voluiſſent, nihil eis potuiſſet deeſſe, quo veram pietatis, & virtutis viam intelligerent. Ac demus hoc in loco non aliam hiſtoriae Moſaicae fidem, quam quae caeteris antiquis hiſtoricis praeſtatur, quam ei denegare non poſſumus ſine totius rationis everſione: Quis ignorare poteſt, non Adamum, modo, ſed & Cainum, atque Abelum, & Sethum, & Enochum, ac fortaſſis alios, quos praeterit Moſes, in hac Dei Schola edoctos fuiſſe? Quis in eadem inſtructos Noemum ac liberos, deinde Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, ac deinceps alios? Itaque non notionum modo parentes primi, ſed porro alii ſaepiſſime a Deo edocti fuere, ut ſi homines eam doctrinam ſervare voluiſſent, ac non affectus ſuos ſectari, habuiſſent procul dubio poſteri omnes illa omnia pietatis & virtutis praeſidia, quae Hebraei. Quaerere autem, cur Deus non aliis nationibus ſimiliter fecerit, atque Hebraeis, eſt nimis curioſe in arcana Providentiae Dei decreta inquirere. Conſtet hoc in loco, divinam revelationem ita hominibus factam, ut & ad omnes pertinuerit natura ſua, & omnes eam conſervare potuerint, ſi, ut dixi, in ea cuſtodienda diligentiores fuiſſent veteres Gentium parentes. Quod ſi quis iterum quaerat, cur non prius evolutior haec & copioſior Novi Teſtamenti revelatio facta fuerit, binis verbis cum Theodoreto reſpondebo: *Reprehendite, ſi poteſtis, Medicos, quod valentiora medicamenta poſtremo loco reſervent. Nam lenibus uſi antea, fortiora poſtmodum adhibent* (a). Praeclare haec diſſerit & S. Athanaſius in *lib. de Incarnat*: Ibi, *prolapſis in peſſima quaeque mortalium ſtudiis, ac moribus, non defuiſſe Numinis providentiam*, ait, *quo minus iis conſuleret, ac quibus par erat modis & rationibus ad ſalutaria & honeſta revocaret. Primum conditarum uſu rerum, & aſpectu ad auctoris notitiam, ac cultum, & amorem allicere*

(a) *Serm. 6. contra Graecos to. IV.*

Digitized by Google

cerre ſtuduiſſe ; Coeli, Solis, ac reliquorum Siderum, terrae, maris, elementorumque omnium ac corporum : quorum ex mirabili concentu, & in unam conſentiente varietate deprehendere ac noſſe poterant artificem Dei ſapientiam. Sed quam fruſtra haec expertus eſſet, Legem & Prophetas, vivos ſcilicet pro mutis praecones, doctoreſque ſubmiſiſſe. Quod quum nihilo felicius reſpondiſſet, tum demum filium Dei neceſſario deſcendiſſe. Haec latius ibidem Athanaſius. Locum eumdem egregie pertractat S. Johannes Chryſoſtomus in libro, quem ad eos ſcripſit, *qui ſcandalo erant affecti*: ubi divinam erga homines curam, ac ſolicitudinem, & innumera in eos beneficia pulcherrime deſcribit. Legendus & Theodorus Ancyranus in Oratione Natali Domini (*a*). Paulinus Epiſcopus Nolanus in Panegyrico de Obitu Celſi idipſum cecinit verſibus his,

Multa mihi dederat prius & promiſſa ſalutis,
Et praecepta, quibus per bona dirigerer.
Sed quia nec legis poſito medicamine, primi
Inveterata patris vulnera dilueram!
Et neque praemiſſis divino ex ore Prophetis
Expectare Dei munera, credideram:
Et genus humanum paſſim ſine lege fidei
Deſperata ſalus merſerat in tenebras,
Regnabatque ſimul peccatum in corpore noſtro,
Mors in peccato, daemon in interitu,
Captivumque hominem triſtis metus, & miſer error
Altius in mortem praecipitare dabant,
Interea Pater ipſe polo miſeratus ab alto
Errantum lapſus peſtiferos hominum,
Serpentemque truci dominantem in morte cadentum,
Non tulit, & natum miſit ad omne bonum.

(a) *Videatur & Petavius Theologicorum dogm. to. IV. lib. II. cap. 6. §. 7.*

Tertium Deiſtarum argumentum ex iis Novi Teſtamenti dogmatibus depromptum, quibus totidem rationis naturalis decreta oppugnari opinantur, refellitur.

§. XI. TErtium autem argumentum ex iis Novi Teſtamenti doctrinis depromunt Deiſtae, quibus decreta quaedam, eaque prima, rationis naturalis convelli opinantur. Sunt vero hujuſmodi Novi Teſtamenti doctrinae praecipue tres, *Trinitas*, *Incarnatio divini Verbi*, *Peccatum originale*. Primo dogmate hoc naturale decretum, *quae ſunt unum eidem, ſunt unum inter ſe*, oppugnari putant: Altero plura rationis naturalis ſcita, quibus conſtat infinitam eſſe inter naturam Dei, & hominis diſtantiam: Tertio hoc Philoſophorum omnium dogma, *qualitates non migrare de ſubjecto in ſubiectum ſine ſubjecto*. In quibus argutationibus refellendis paulo erimus longiores: niſi enim tota aberremus via & ratione, ea efferemus, quibus prolixitas compenſetur. Ita autem refellemus, ut principio demonſtraturi ſimus, eſſe illas ineptas: mox particulatim enucleaturi.

§. XII. Ac in primis ineptas voco, quod non de ſuis & propriis principiis conriventur, quodque idcirco hoc unum concludere poſſint, Mentem noſtram eſſe breviſſimam, ac eſſe plura quae ejus captum excedunt. Omnium primum quatuor eſſe dico gradus humanae cognitionis, I. Senſum. II. Phantaſiam, III. Rationem puram, IV. Fidem, ſeu aſſenſum ſuperiori rationi praeſtitum. Primus, iſque ut mihi quidem videtur imperfectiſſimus gradus eſt ſenſus. Is enim non attingit niſi praeſentia, & a quibus tangitur. Praeterea non attingit niſi ſingularia, & corporea. Hoc primum omnium utuntur pueri. Alter gradus huic connexus, ſed paulo latior, & provectior, eſt *imaginatio*, ſeu *phantaſia*: extenditur enim ad illa etiam, quibus ſenſus minime tangitur. Sed & in hoc cum ſenſu convenit, quod nonniſi ſingularia & corporea imagina-

ri

ri poſſimus. Tertius eſt *pura ratio*, quae longo intervallo a ſenſu, ac phantaſia diſtat, & progreditur longiſſime, & incorporea, ac univerſalia quoque complectitur. Quartus tandem eſt communicatio ſuperioris rationis, eaque pertendi in infinitum poteſt, per gradus, quorum alii aliis ſint altiores: nam & finita eſt mens humana, & infinita Dei ratio, quae humanae menti paulatim, & per gradus communicari poteſt. Perſpicua ſunt haec, & certa.

§. XIII. Deinde conſtituendum eſt, nec totam rerum Naturam a nobis comprehendi poſſe (*a*), & Naturam Dei omnino eſſe incomprehenſibilem. Conſtat hoc inter nos ex una parte, & Collinum, Baelium, alioſque Deiſtas ex altera. Itaque neutrum longiori demonſtratione indiget. Sed ne repetere idem ſaepius cogamur, paucis id totum explicabo. Primum Naturam ego rerum heic dico totam hanc rerum univerſitatem, quae ſubſtantiis conſtat corporeis, atque incorporeis. Eam comprehendi a nobis non poſſe pronuncio: ſed omnes idem ultro fatentur. Poſita autem in his eſt ea incomprenſibilitas: Primum genera ſubſtantiarum minime ſcimus; perridiculum enim eſt aſſerere nullas eſſe alias, praeter intelligentes, ſeu ſpiritus, & corporeas. II. ignoramus ſubſtantiarum intimas eſſentias: inde tot ſuper iis Philoſophorum concertationes. III. non omnes ſubſtantiarum proprietates in numerato habemus. IV. Naturam, & extenſionem virium activarum minime comprehendimus. V. Quae ex his conſecutura ſunt in longius tempus, & omnia quae compoſſibilia cum illis ſunt. VI. Omnia quae minime incompoſſibilia. Ex quibus conſequitur manifeſto, ut plurima nobis vera a ſuperiori ratione communicari poſſint de iis, quae in rerum

(a) Facit huc Plinianum illud: *Furor eſt menſuram ejus animo quoſdam agitaſſe, atque prodere auſos .... quaſi vero menſuram ullius rei poſſit agere, qui ſui neſciat.* Hiſt. Nat. *Lib. I. cap.* 1.

Digitized by Google

rerum univerſitate ſunt, quae omnem noſtrum captum ſuperent. Tum communicari nobis poſſunt plurima compoſſibilia, quae item captum noſtrum excedunt, aut videntur incompoſſibilia.

§. XIV. Secundo, quod de rerum natura diximus, id potiori jure de Deo dicamus oportet. Plene ejus naturam, & eſſentiam nec comprehendunt, nec omnino unquam comprehendere poterunt mentes creatae. Quum enim ſit ens *extenſive*, & *intenſive* infinitum, quamvis datam ampliſſimam, ſed finitam, capacitatem, infinito ſemper intervallo exuperat. Itaque I. non omnia Dei attributa intelligit humana ratio, quamvis purgatiſſima. II. Nec totam attributorum ejus extenſionem. III. Nec naturam & extenſionem interioris actionis, & neceſſariae intellectionis, & volitionis. IV. Nec totam extenſionem potentiae, aut actionum externarum, & liberarum. V. Nec omnia compoſſibilia cum his, aut incompoſſibilia. Ea interim omnia Deus ipſe comprehendit. Poſſunt ergo infinita vera nobis a Deo communicari, quae interea nos nullo modo, aut ratione noſtra metiri, aut intelligere valeamus. Haec ſi quis negat, is dicere quoque debet, univerſorum juſtam menſuram eſſe mentem humanam. Quod ſi quis dicit, cum eo diſputatio omnis erit interciſa.

§. XV. Quibus conſtitutis ſubducamus nunc rationes accuratius, ac videamus, quaenam cum ratione recta revera pugnent, quae eſſe falſa neceſſe eſt, cum illa, quae excedunt, non idcirco falſa dici poſſunt, quod excedant, ne perabſurdi eſſe velimus. Principio ajo, ea pronunciata contraria eſſe rationi naturali, ac propterea falſa, quae poſita in uno gradu cognitionis, ſuis clare perceptis manifeſto adverſari intelliguntur; ut quum pronunciatur de ſenſu, vel phantaſia, quae clare perceptis ſenſus & phantaſiae manifeſto adverſantur; aut quum pronunciatur de penu rationis, quae clare perceptis actione contraria ſunt; aut de ratione ſuperiori, ſeu auctoritate divina, quae manifeſte auctoritati divinae repugnant. Ita ſi quis pronunciet non eſſe corpora,

pora, aut non non eſſe ſolida, aut non eſſe lucida, idque veluti ex ſenſuum experimentis, is contraria ratione pronunciat. Item ſi quis proferat velut ex ratione *tres trianguli angulos aequales eſſe tribus rectis*, aut, *idem ſimul eſſe & non eſſe*, is falſa profert. Praeterea ſi quis aſſerat velut de auctoritate divina, *futuram non eſſe reſurrectionem corporum*, quod manifeſtae auctoritati divinae eſt oppoſitum, id falſum eſt. Hujus primae propoſitionis ratio eſt, quia ut clarae ſenſuum perceptiones in rebus ſenſibilibus caeteris praeferuntur; ita clarae rationes in intelligibilibus; & clarae auctoritates divinae in iis, quae non aſſequimur facultatibus noſtris, veri criteria ſunt.

§. XVI. Deinde ajo, ea pronunciata, quae de inferiori gradu cognitionis adverſus claras teſtificationes gradus ſuperioris depromuntur, quantumvis videantur manifeſta, eſſe rationi contraria, & falſa, ſtandumque in iis eſſe ſuperioris gradus evidentiae, non inferioris. Enimvero tota ratio dictat meliori, & perfectiori rationi credendum, quam imperfectiori. Itaque ſi quis Geometricam demonſtrationem perceptis ſenſuum, vel phantaſiae, oppugnat, is plane eſt abſurdus. Si in eadem baſi intra eaſdem parallelas duo parallelogrammata conſtituantur, alterumque in infinitum per totam aeternitatem protrahatur, dum alterum uno digito comprehenditur, ſemper eſſe aequalia demonſtratur a Geometris, reluctante phantaſia. Curvam ad ſuam aſyntoton per totam aeternitatem accedere, quin ſeſe contingere poſſint, eſt perſpicuum; quamvis datam lineam in infinitum dividi poſſe, nemo, niſi ſtupidus dubitat: extitiſſe ab aeterno ens aliquod, ac aeternitatem ſine ullo initio nos praecedere, apertiſſimum eſt. His omnibus reluctatur phantaſia, gradus ſcilicet cognitionis ratione pura inferior: nec interim auditur: ſuperiora illa non attingit: fallitur: de ratione pura nemo una ſubdubitat. Idipſum dici neceſſe eſt, ſi de ratione pura oppugnantur ea, ad quae pura ratio progredi nequit, qualia ſunt quae nobis communicantur a Deo, aut de rerum natura, aut de natura ſua rationi

Digitized by Google

tioni noſtrae incomprehenſibilia. Ridet Geometra puerum, qui quod phantaſia intelligere theorema nequit, illud falſum eſſe inclamat. Ridet Metaphyſicus idiotam, qui quod ſubſtantias incorporeas tangere nequit, nullas eſſe contendit. Diſtantia major eſt inter rationem hominum purgatiſſimam, & Dei rationem, quam inter ſenſum, & intelligentiam. Ergo is quoque ridiculus eſt, qui de humana ratione divinae rationis theoremata oppugnat.

§. XVII. Ajo tertio, recte oppugnari theoremata inferioris gradus cognitionis, quantumvis videantur clara, de clara ſuperiori ratione, veluti purae humanae rationis de divina, quae ſit certa: ſenſuum, & phantaſiae, de ratione. Nam quum videntur ſibi adverſari, par eſt ut inferior ſuperiori concedat: id recta dictat ratio; atque id in philoſophicis agimus. Remum rectum aqua ex parte merſum curvum diſtincte & conſtanter intuemur omnes: Solem omnes pedalis magnitudinis: objecta corporea omnia extra nos videre, perpetuum oculorum praejudicium eſt. Quum interim aperte demonſtrationes Opticae, & Aſtronomicae adverſentur, reperias neminem, qui non in his falli ſenſus intelligat. Scilicet potior omnibus eſt intelligentia pura, quam ſenſuum, & phantaſiae fides. Itaque tunc ſenſibus aſſentimur, eoſque ſectamur duces, quum ſuperior ratio non reluctatur. Quoniam vero conſtat inter omnes, Deum eſſe, & Dei rationem eſſe infinitam, & eam homini communicari poſſe: ſi quae ſint theoremata ſenſuum, phantaſiae, aut rationis, quibus Dei auctoritas clara refragatur, nemo eſſe poteſt, qui non Dei rationi potius auſcultandum eſſe fateatur, quam hnmanae; id autem dico, non quod theorematis purae intelligentia ulla eſſe divinitus revelata contraria putem, ſed ut intelligant omnes, quam momenti nullius ſit ratio humana, ſi, quod ex hypotheſi ponimus, ea divinae videatur contraria.

§. XVIII. His, quae hunc in modum demonſtrata ſunt, omnia argumenta, quae Deiſtae ex ratione humana adverſus

verſus dogmata revelata produxere, aut producere poſſunt, ita refelluntur, ut ipſa humana ratio unicuique dictare comprehendatur, non poſſe illa eſſe, niſi ſophiſmata. Sed nunc particulatim quoque iis eſt reſpondendum. Tres divinae Perſonae una ſunt numero ſubſtantia divina. Ea eſt & Scripturarum, Traditionis, & Catholicae Eccleſiae doctrina. Id ergo de ſuperiori conſtat ratione; ejus ſcilicet generis, adverſus quam ratio humana nihil juris habet, quemadmodum nihil juris ineſt ſenſibus in ea, quae purae ſunt rationis. Audienda ergo non eſt humana ratio. Idipſum dictum volo de tribus aliis recenſitis in eo §. myſteriis. Sed *quae ſunt unum cum eodem, unum ſunt inter ſe:* omnium hominum eſt axioma. Non refragor. Id rogo, ex quibus ideis id natum axioma? Aut ideae, quibus continetur, ex quibus tandem rebus hauſtae, Naturae, an Dei? Naturae profecto. Teſtem do Deiſtis Lochium, quem hominem ſcio quanti faciunt (*a*). Non ergo majorem extenſionem habere poteſt, quam rerum naturam. Nam ex ſingularibus rerum noſtrarum ideis proficiſcuntur axiomata, & paullatim ut humana mens capacior, ita ea univerſaliora efficiuntur, intra rerum tamen naturam, unde naſcuntur. Naturam itaque Dei non attingit. Ergo inde, nec pro, nec contra argumentum duci poteſt. Quo modo ex rationibus rerum corporearum, quas deferunt ſenſus, utcumque univerſalibus, ſed nunquam attingentibus incorporea, pro, aut contra intelligibilia argumentari non licet. Itaque eos hoc in loco probo Scholae Theologos, qui perfectiſſime prorſus reſpondent, hoc ut & ſimilia alia axiomata, in creatis rebus locum habere, non in Divinis. Nec eos probare ullo modo poſſum, qui ratione humana, aut probare conantur, aut in modum rerum noſtrarum nimis ſtudioſe explicare fidei myſteria. Appoſite, & prae-

clare

(a) *Lib. I. de Intell. human. cap. 3.*

clare B. Thomas (*a*). *Qui probare*, inquit, *nititur Trinitatem Perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipſius fidei, quae eſt, ut ſit rebus inviſibilibus, quae rationem humanam excedunt . . . . . ſecundum quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Quum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium: credunt enim quod hujuſmodi rationibus innitantur, & propterea credamus. Quae igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare niſi per auctoritates his qui auctoritates ſuſcipiunt. Apud alios vero ſufficit defendere non eſſe impoſſibile quod praedicat fides*. Conſule & Sylvanum Regis Uſage de la raiſon de la Foi lib. III. Ac vero non eſſe impoſſibilem Perſonarum Trinitatem in eadem numerica ſubſtantia duo demonſtrant: Primo quod intrinſecae emanationes Filii a Patre, & Spiritus Sancti a Patre & Filio cum eadem ſubſtantia numerica, individua, ac immutabili, conſiſtere poſſint, cui coexiſtunt neceſſario. Vide D. Thom. (*b*). II. quod tres Perſonae, ideſt *unius eſſentiae tres relationes ſubſiſtentes*, ut loquitur B. Thomas, minime pugnant cum Natura Dei, ut pluribus idem S. Doctor iſto poſtremo loco probat.

§. XIX. Super Incarnationem porro ineptiſsime ratiocinantur Deiſtae. Ita enim eam doctrinam accipiunt, quaſi divinitas tranſmutata ſit in humanitatem, in quo neſcio ſtupiditatem ne prius, an malitiam redarguam. Catholica doctrina eſt, quam paucis ſymbolum Athanaſianum complexus eſt: *Deus ex ſubſtantia Patris ante ſaecula genitus: & Homo ex ſubſtantia Matris in ſaeculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo . . . unus Chriſtus non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confu-*

(a) *I. p. q. 23. art. 1. in Corp.*
(b) *I. p. q. 38. art. 1. & Boſſuetium in Admon. 6. adverſus Jurieum.*

fuſione ſubſtantiae, ſed unitate Perſonae. Quocirca ita inter ſe duae convenere Naturae, ut poſt unionem duae nihilominus perſeveraverint, ſalvis ſuis proprietatibus, invicem diſtinctae. *Tenet enim*, inquit S. Leo Papa (*a*) *ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura*. Itaque non aeternum, increatum, immenſum, & immutabile converſum in hominem, uti Deiſtae ineptiunt; ſed aeternum, immenſum, immutabile, hominem (nam ita veteres loquuntur Patres) aſſumpſit, *ſalva proprietate utriuſque Naturae*, ut ejuſdem S. Leonis verbis utar (*b*). *Unio illas ambas, ſine ulla confuſione naturas conſervat*, ait Cyrillus. Origenes contra Celſum, qui idem hoc argumentum objiciebat Chriſtianis, exemplo apud Gentiles uſu recepto Apollinis, & Vatis, reſpondit; ut quomodo Apollo vati jungitur, quin quidquam de Natura ſua immutet, ita, licet arctiori unione, quae dicitur *Hypoſtatica*, divinum Verbum cum humanitate conjunctum eſt. Ac eſt aliquid in hoc exemplo, quo intelligebant Ethnici non ſuis notionibus eam unionem adverſari; ſed, quod in caeteris ſimilitudinibus contingit, non in omnibus ſui partibus urgendum eſt. Athanaſiani Symboli Auctor hominis utitur exemplo: *nam ſicut*, inquit, *anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Ac propterea, ut non pugnat cum natura, mentem corpori uniri, ita nihil prohibet Deum uniri cum homine. Et praeterea uti ex mente humana, & corpore non duae conſtituuntur perſonae, quamvis ſint illae duae ſubſtantiae diverſi generis: ita ex Verbo, mente humana, & corpore, tribus ſcilicet ſubſtantiis, unus Chriſtus, una Perſona, una hypoſtaſis efficitur: quibus vocabulis ſignificatur modus ſubſiſtendi, quo tres illae ſubſtantiae individuantur in uno ſingulari: *Nomine*, inquit, B. Tho-

(a) *Serm.* 1. *de Nativ.*
(b) *Epiſt.* 10. *cap.* III.

Digitized by Google

Thomas (*a*) *generum*, *&* *ſpecierum*, *ut homo vel animal*, *ſunt impoſita ad ſignificandum ipſas naturas communes . . . . ſed individuum vagum*, *ut aliquis homo*, *ſignificat naturam communem*, *cum determinato modo exiſtendi*, *qui competit ſingularibus : ſed in nomine ſingularis deſignati ſignificatur determinatum diſtinguens . . . . Hoc autem nomen perſona*, *non eſt impoſitum ad ſignificandum individuum ex parte naturae*, *ſed ad ſignificandam rem ſubſiſtentem in tali natura . Perſona igitur* (*b*) *in quacumque natura ſignificat id*, *quod eſt diſtinctum in natura illa . Sicut in humana natura ſignificat has carnes*, *&* *haec oſſa*, *&* *hanc animam*, *quae ſunt principia individuantia hominem* (*c*) Ita argutationes Baelii articulo *Pyrrho* evaneſcunt omnes.

§. XX. Tandem minus quoque moleſtiae eſt in originali peccato cum ratione conciliando, ſi quid ſit peccatum originale intelligamus : nam illa objectio inde tota proficiſcitur, quod Deiſtae id dogma non ſatis intelligunt. Antequam Adam peccaret, gratia ſanctificante & juſtitia originali praeditus erat. Id Scripturae divinae aperte docent. *Quoniam autem unumquodque habet ſpeciem a ſua forma*, inquit praeclare B. Thomas (*d*), *oportet*, *ut formale peccati originalis in ea forma ſit poſita*, *quae juſtitiae originali eſt oppoſita . Jam tota ordinatio juſtitiae originalis in eo erat conſtituta*, *quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta*, *quae quidem ſubjectio primo & principaliter erat per voluntatem : cujus eſt movere omnes alias partes in finem ; unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animae viribus ; ſic ergo privatio originalis juſtitiae*,

(a) 1. *p. q.* 30. *art.* 4. *in Corp.*
(b) *Id. q.* 29. *art.* 4. *in Corp.*
(c) *Vid. & Petav. de Trinit. lib.* IV. *cap.* 2. *& de Incarn. lib.* II. *cap.* 3.
(d) 1. 2. *q.* 82. *art.* III. *in Corp.*

Digitized by Google

ſtitiae, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: Omnis alia autem inordinatio virium animae ſe habet in peccato originali, ſicut quiddam materiale. Eodem modo ratiocinantur alii Theologi, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, Eſtius (*a*). Quoniam igitur peccatum hoc non eſt poſitum in aliqua reali entitate, ſed in privatione, tôta illa objectio evaneſcit; non enim difficilius intelligitur ex Adamo orbato juſtitia originali naſci homines juſtitia originali orbatos, quam ex illitterato naſci illitteratum, ex oleaſtro oleaſtrum, ut loquitur ſaepe Auguſtinus. Non ignoro Auguſtino ipſi, quo nemo diutius in haec inquiſivit, difficilem ſemper rem viſam eſſe propagationem peccati originalis, uti conſtat ex Epiſt. ad Hieronymum 29. vet. edit. & lib. I. de Moribus Eccleſ. cap. XXII. Sed quoniam poſita doctrina & communis eſt inter Catholicos, & clara, non video qui pugnet cum ratione eo modo propagari in poſteros Adae peccatum. Sed hac de re diſſerant Theologi copioſius.

Refelluntur argutationes Baelii.

§. XXI. Sed eſt nunc Baelius refellendus, qui in illuſtrationibus, ut vocat, ad Diction. (*b*) quo poteſt majori conatu demonſtrare contendit, myſteria fidei Chriſtianae non ſuperiora tantum, ſed contraria quoque eſſe principiis atque argumentis rationis naturalis, ita ut e ratione naturali petita argumenta adverſus fidem confutari nullo pacto poſſint. Quod ſi, inquit, naturalis ratio argumenta adverſus fidei myſteria ſolvit, jam myſteria ſibi ſubjicit, poteſtque eadem opera ex ſuis notionibus demonſtrare illa ac explicare; ita ejus ambitum non excedunt; id quod aperte falſum eſt. Agnoſcen-

(a) *In 3. Lombardi librum diſt. 3. Bec. pag. 293. Vide & Sot. de nat. & grat. cap. 7. 8. 9.*
(b) *Illuſtrat. 3.*

dum igitur, inquit, fidei myſteria contraria e diametro eſſe cum naturali ratione. Quo in argumento aut ſolitum hominis acumen requiro, aut fidem. Age, fingamus in Sole animantia eſſe eo corpore praedita, quod ſit naturae Solis aptatum; neque enim id impoſſibile eſt, quando & corpus eſt Sol, & corpora Solis naturae analoga ita in eo eſſe & vivere poſſint, quomodo in aqua piſces & ſunt, & vivunt. Sed ita fingamus, ut nihil de his ſciamus aliud, quam quod ſint, & vivant. Opponat aliquis primo, vitae reſpirationem eſſe neceſſariam, aerem reſpirationi, aerem vero igne diſſipari, ut quum non ſit aer in Sole reſpirationi aptus, ne animantia quoque in eo vivere poſſe. Secundo opponat iterum igne corpora ſolvi, ac vitam diſſipari; ut iterum conficiat eſſe non poſſe in Sole animantia. Quid ad haec Baelius? Negabit id poſſibile eſſe? imperite. Si ſapiat, reſpondebit, duo illa argumenta è notionibus vitae, aeris, ignis, & ſimilium, quae ſunt in Tellure noſtra, deſumpta eſſe, ac hoc probare, terreſtria animantia non ſine aere, nec ſine igne poſſe vivere; animantia autem Solis, Solis eſſe naturae aptata, ut aquatilia aquis. Praeclare prorſus. Cur non quoque intelligat, eodem modo ſe rem in fidei Chriſtianaè myſteriis e ratione noſtra, ideſt e notionibus rerum noſtrarum, oppugnandis, habere? De Trinitate ſcimus unum eſſe Deum, ſed in uno Deo tres eſſe, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: id revelatum eſt. Opponunt: *quae eidem unum, inter ſe unum*. Unde hoc argumentum deſumptum? Nimirum e rerum noſtrarum notionibus; ergo divinam Naturam non attingit, nec propterea Trinitatem divinam oppugnat. Caetera ſimili modo. Quare ita ratio ſua ipſa argumenta refellet, prorſus eodem modo, quo ſuperius. Sed enim, ſubjicit ergo ſibi fidei Chriſtianae myſteria. Falſo. Duo enim ſunt refellendi genera, quae Baelium non animadvertiſſe turpe eſt. Unum eſt directum, quum e ſtatis ac certis principiis poſita confuto. Alterum indirectum, quum demonſtro argumenta, quibus poſi-

tio

tio aliqua probatur, ſophiſmata eſſe, & falſa. Ponit quis tres trianguli angulos rectis tribus eſſe aequales. Directe refello, quum e poſitis & certis Geometriae principiis demonſtro, tres angulos trianguli duobus eſſe rectis aequales. Indirecte vero quum oſtendo, ejus, qui ponit, argumenta ſophiſmata eſſe. Quum priori modo aliquid ratio naturalis refellit, id ad ambitum ſuum revocat, quum nihil aliud efficiat, quam de ſuis notionibus demonſtrare falſum. At cum poſteriori modo confutat, nihil ipſa e ſuis notionibus demonſtrat, quae tantum in apertum ponit, aut adverſae poſitionis notiones non ſe eo extendere; adverſus quod pugnant; aut non rite inde conſequentia deduci. Quoniam ergo ratio naturalis in re, de qua agimus, hoc tantum efficit, myſteria Chriſtianae fidei notionibus humanis non contineri, ac proinde nec probari illis, nec improbari poſſe; ea certe ad ambitum ſuum minime revocat, quae potius agnoſcit, quam longe excedant.

Quartum argumentum, ex modo ſcribendi Apoſtolorum

§. XXII. Quartum autem argumentum, quo potiſſimum nititur Spinoza (a), eſt hujuſmodi. Deus quum homines alloquitur non ſolet argumentis & ratiociniis uti, ſed res gravitate Legislatore digna proponit, earumque unum eſt & maximum argumentum, Deum dicere. Homines autem argumentis, & ratiociniis pronunciata ſua confirmare ſtudent, quia non alia ratione poſſunt ea aliis perſuadere. Ratiocinantur autem Apoſtoli, dum ſua dogmata docent, praeſertim Paulus; non igitur Dei ſpiritu, ſed humano docent.

§. XXIII. Reſpondemus, ſpiritum Dei, & conſequenter ſpiritus & verbi Dei adminiſtros, Prophetas ſcilicet, & Apoſtolos, aptaſſe ſeſe hominum imbecillitati;

(a) *In Tract. Theologico polit.*

factoſque omnia omnibus, ut omnes lucrifacerent, quemadmodum Paulus loquitur. Ipſe Spinoza non diffitetur, Deum non eſſe locutum per Prophetas, niſi linguam filiorum hominum, & docuiſſe ſcientiam naturae hominum attemperatam. Quum igitur homines ratione duci ament, eaque regatur argumentis, inde factum eſt, ut ipſi Prophetae, & Chriſtus, non tantum Apoſtoli, quod contendit Spinoza, ſaepe argumentis uſi ſint. Totum igitur hoc Spinozae argumentum ſophiſtica eſt argutatio. Praeterquam quod diſtinguendae ſunt in divinis libris Leges, quas per Adminiſtros ſuos Deus promulgat, ab argumentis, quibus populo fidem facit ſuorum Adminiſtrorum σθεοπνευςίας, ſeu divinae inſpirationis. In legibus promulgandis, quarum ſanctitas, & divinitas ſtatim per ſe omnibus innoteſcit, *unum cole Deum*; *non occides*; *diliges Dominum Deum tuum ſuper omnia, & proximum tuum ſicut te ipſum &c.* ſuprema Legislatoris poteſtate utitur: nec prooemia adhibet, nec argumentatur, ut philoſophi efficere ſolent, ut inde quoque Grotius pro divinitate Librorum ſacrorum argumentum concluſerit. Sed neceſſarium erat, ut aut miraculis, aut prophetiis, aut ſimilibus argumentis fidem faceret a ſe miſſos eſſe eos, qui nomine Dei loquebantur. Ita Chriſtus, ſinon *vultis credere mihi, at credite operibus, quae ego facio*. Non rerum argumenta profert, ſed miſſionis. Inter hujuſmodi argumenta non raro Apoſtoli eo utuntur, quod a Prophetiis deducitur. Quum ſcilicet Auctores veteris Teſtamentis Prophetae fuerint, eorumque prophetiae maxima ex parte Chriſtum, & Eccleſiam ſpectaverint, ut inter Judaeorum magiſtros conveniebat; divinae Oeconomiae fuit ea via Hebraeos ad Chriſti Divinitatem agnoſcendam perducere. Tandem in divinis Scripturis diſtinguunt quidam inter *inſpirationem, & aſſiſtentiam Spiritus Sancti*, ita ut licet non deceat in iis, quae inſpirata ſunt, argumentari, doceant minime dedecere in iis, quae ex *aſſiſtentia* tantum Spiritus Sancti ſunt. Videri poteſt Olden de *analyſi Fidei* libro primo. Quae doctrina, quae plurimum noſtro-

rum

rum Theologorum eſt, ita intelligenda, ut omnia, quae Scripturis continentur Spiritus Dei ſint, ſive inſpirantis, ſive aſſiſtentis, non ut quaedam ſint humana, in quo errat graviſſime, me ſaltem auctore, Olden.

Prop. XXXVII. Veteris Teſtamenti libri diu ante epocham Chriſtianam canonici ſunt habiti.

D. Veteris Teſtamenti libros jam diu ante Chriſti ortum in unum collectos fuiſſe apud Hebraeos magna conſenſione & Veteres Hebraei, & Chriſtiani tradiderunt. Nam Origenes, vir in omnibus litteris eruditus (*a*), & Epiphan. (*b*), & Hieronym. in Prol. Galeato narrant apud Hebraeos viginti duos tantum libros ſacros habitos fuiſſe & Theopneuſtos, rejectis aliis qui Sacri, & Divini non erant. Idem praeterea teſtatur Joſephus lib. 1. contra Apionem Grammaticum, qui cum eſſet doctiſſimus Judaeorum Sacerdos, & quidem Phariſaeus, quae ſecta potiſſima erat in Republica Judaica, reſque ſacras omnes in manu habebat, ignorare id non potuit. Floruit autem Joſephus Veſpaſiani tempore, ideſt primo Chriſtianiſmi ſaeculo; dubitare igitur non poſſumus, niſi omnem hiſtoriae fidem derogemus, canonem librorum Veteris Teſtamenti ante Chriſti tempora adornatum fuiſſe.

Sch. §. 1. Hoc ipſum confirmatur ex Paraphraſibus, & verſionibus librorum illorum, quae & Chriſti circiter temporibus, & ante ex Hebraica lingua in Chaldaicam, aut Graecam factae ſunt. Quod ſpectat ad *Paraphraſes Chaldaicas*, *quas Targumim vocant* Judaei, coeperunt illae fieri poſt Babylonicam captivitatem, quemadmodum Doctiores Rabbini tradiderunt. Nempe cum populus Judaicus, qui ex Babylone redierat, veterem Hebraeam linguam minus intelligeret, Hebraeorum Magiſtri, qui Scripturam Populo explicabant,

 ſin-

(a) *Apud Euſeb. lib. 3. hiſtor Eccleſ. cap. 23.*
(b) *In 3. haereſi.*

ſingulas Hebraici Codicis periodos totidem Chaldaicis interpretabantur; quo ex more paraphraſes iſtae natae ſunt. Legatur Richardus Simonius lib. 2. hiſtor. crit. Vet. Teſtam. cap. 19. Qui autem primi paraphraſes iſtas ſcripſerint, & quo tempore, non ſatis conſtat Incertum utrumque, & fabuloſa, quae ſuper his in Thalmude tradidere Rabbini, pronunciat eodem in loco Simonius. At interea agnoſcit paraphraſim, quae Jonathani, & Onkeloſo tribuuntur, ſtilum ſimpliciorem eſſe, & puriorem, quam ſtilus Thalmudis; ex quo conficitur, antiquiores eſſe paraphraſes. Compilatum autem eſt Thalmud, ut doctiores conſentiunt circa Antonini Imperatoris tempora: ergo hoc tempore antiquiores paraphraſes ſint neceſſe eſt. Humfredus Pridaux in hiſt. Judaeorum lib. 16. harum paraphraſum initium refert ad ann. 37. ante Chriſtum: putat igitur omnium primum Onkeloſum Pentatheucum vertiſſe Chaldaicè, deinde Jonathanem vertiſſe libros Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Iſajae, Jeremiae, Ezechielis, & duodecim Prophetarum minorum; nam reliquae paraphraſes longè ſunt poſteriores, quemadmodum ex ſtili barbarie demonſtrat Simonius. Bellarminus cenſuit Onkeloſum eumdem fuiſſe cum Aquila Pontico, qui ſcripturas in Graecum vertit ſermonem: ſed Aquila Ponticus poſterior certe fuit, quippe qui ſcripſit ſub Adriano Imperatore.

§. 2. Illud contra Targumim Critici oppoſuere, quod nec Joſephus, nec Origenes, nec Euſebius, nec Epiphanius, nec Hieronymus, qui rerum Hebraicarum fuerunt ſtudioſiſſimi, nec ullus alius ſcriptor paraphraſes iſtas memoraverit: quod argumento eſt, inquiunt, non eſſe tam antiquas, quam feruntur. Sed hujuſmodi argumentum contra conteſtationem omnium veterum Rabbinorum mere negativum eſt, nec propterea nullius ponderis. Silentii hujus apud veteres Chriſtianos ea eſſe potuit cauſa, quod eae paraphraſes in uſum privatum Judaeorum factae, Chriſtianis non erant propalatae, quod ipſe Simonius agnoſcit. Dubitari ergo non poteſt

quin

Digitized by Google

quin Paraphraſes Chaldaicae Apoſtolis ſint vetuſtiores, adeoque quin Canon Hebraicus ante Apoſtolos conſignatus fuerit. Qui plura cupit ſuper hujuſcemodi Thargumim adeat Brianum Waltonum in appar. Biblico proleg. 12.

§. 3. Jam vero idipſum confirmatur ex verſione *των* ſeptuaginta Patrum, quae verſio Apoſtolorum tempore extabat, quaeque argumentum eſt perſpicuum, extitiſſe jamdudum apud Hebraeos librorum Divinorum Canonem, unde ſeptuaginta illi viri tranſtulerunt, ſeu quiſquis fuerit ejus verſionis auctor. Hujus verſionis hiſtoriam narrant Tertullianus in Apologet. cap. 18. Juſtinus Martyr in Apolog. 2. Irenaeus lib. 3. cap. 25. qui quingentis circiter annis a Ptolemaei Philadelphi tempore diſtabant: Tum Joſephus, & Philo, qui eodem tempore trecentis quinquaginta circiter annis juniores erant, itaut dubitari nequeat, quin traditionem majorum ſuper ea re recenter conſulere potuerint, praeſertim eo tempore litteris florentiſſimo, & apud Gentem diſciplinis excultam. Si vera haec eſt hiſtoria, neceſſe eſt Canonem librorum veteris Teſtamenti antiquiorem eſſe Ptolomaeo Philadelpho.

§. 4. Sed quoniam plurimi viri docti putant auctores ſuperiori §. laudatos totam hanc hiſtoriam ex uno Ariſteae libello deprompſiſſe, demonſtrantque Ariſteam iſtum ſolemnem fuiſſe impoſtorem; id quod conſequitur, hanc hiſtoriam veluti fabellam explodunt. Ariſteas iſte, cujus librum de verſione *των* ſeptuaginta habemus, narrat Ptolemaeum Philadelphum, Ptolemaei Lagi, qui in comitatu Alexandri Macedonis fuerat, filium, & AEgypti Regem, cum magno litterarum flagraret amore, omnis generis libros, qui ullibi inveniri poterant, conquiſiviſſe, ut Bibliothecam ſuam, quam Alexandriae collegit, inſtrueret, ad id permotus Demetrii Phaleraei Graeci Philoſophi, atque Oratoris, conſilio, cui Bibliothecae curam demandaverat. Eam ob rem curavit, ut Judaeorum quoque libros in Graecam linguam verſos haberet. Miſit idcirco ad Eleaza-

rum Summum Judaeorum Pontificem legatoſ, rogatum ut libros iſtos mitteret, ſimul & homines utriuſque lingae callentiſſimos. Eleazarus convocato Concililio viros ſeptuaginta duos, ex qualibet nempe Tribu ſex, una cum exemplo librorum ſacrorum litteris aureis deſcripto ad Regem miſit. Iſti in Inſula Pharo, quae ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtat, collatis ſtudiis ſuptuaginta duorum dierum ſpatio integram abſolverunt verſionem. Secundum haec lecta eſt coram toto Judaeorum, Graecorumque Alexandrinorum Populo, & probata: ita honorifice dimiſſi Patres. Haec Ariſteas. Quibus addidit Philo Judaeus, diem feſtum eam ob rem inſtitutum Alexandriae, qui ſanniverſarius vel ſuo tempore celebrabatur.

§. V. His addi ſolent miracula quaedam, quorum tria praecipua. Primum quod Interpretes illi Spiritus Sancti vi afflati nec erraverint in vertendo, nec errare potuerint. Ita Irenaeus adverſus haereſes lib. 3. cap. 25. Clemens Alexandrin. ſtrom. 1. Theodoret. praef. in Pſalm. & Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 43. Accedunt ex recentioribus Theologis Bellarm. de verbo Dei ſcripto lib. 2. cap. 6. Caeſar Baron. ad annum 231. & Johan. Morinus exercit. 6. cap. 1. Sed hanc ſententiam acerrimè olim confutavit Hieronymus. Et ſane ipſe Ariſteas, dum ſcribit ſeptuaginta duos Interpretes inter ſe ſingulis de rebus contuliſſe ut perfectam verſionem darent, apertè indicare videtur Patres illos inſpiratos non fuiſſe. Caeterum id non vetat, quin *ſi non inſpirationem*, *at ſaltem aſſiſtentiam* Spiritus Sancti habere potuerint: illa enim, non haec cum collatione pugnat. Alterum Miraculorum, quod narratur, eſt de ſeptuaginta duabus cellulis, quas primus videtur vulgaſſe Juſtinus Martyr in *exhortat. ad Gentes*, quem deinceps ſecuti ſunt Irenaeus adverſus haereſ. loco laudat, Cyrillus Hieroſolym. Cathec. 4. aliique. Ajunt igitur ſingulos Patres in ſingulis cellulis ſeptuaginta duas verſiones adornaſſe, quae vel in ipſis apicibus inter ſe convenirent. Quamquam Epiphan. in libr. de menſur.

Digitized by Google

& ponder. non ſeptuaginta duos, ſed triginta ſex cellulas memorat. Eam opinionem velut anilem fabellam idem deridet Hieronymus in *Prologo ad Pentatheucum*, additque impoſuiſſe Juſtino callidè AEgyptios, qui cellularum rudera oſtenderunt. Tertium tandem miraculum, quod narrant, eſt, quod ſeptuaginta duorum dierum ſpatio tota verſio perfecta fuerit. Sed non video, ut id fieret miraculo opus fuiſſe, praeſertim quum non conſtet, utrum ſolum Pentatheucum, an caeteros quoque veteris teſtamenti libros verterint.

§. VI Ad hanc quaeſtionem duo hoc in loco diſtinguenda ſunt, hiſtoria ipſa Ariſteae, & hiſtoria verſionis ſub Ptolemaeo illo, aut perfectae, aut ſaltem coeptae. Ac principio plura ſunt, quae oſtendunt, Ariſteam hunc perſonatum eſſe, atque impoſuiſſe libelli illius editione. Primum facit ſe Ariſteas hic miſſum a Ptolemaeo ad Eleazarum conſilio Demetrii Phaleraei. At id eſſe non potuiſſe, facile evincitur ex iis, quae Ariſteas ipſe narrat. Nam tempore Ptolomaei Philadelphi Demetrius Alexandriae non erat: ejectus enim erat, ut tradit graviſſimus teſtis Hermippus apud Diogenem Laertium lib. 6. ſect. 78. Deinde tempore hoc, quo adornata fertur haec verſio, nullae erant duodecim illae tribus Hebraeorum, quas memorat confidentiſſime Ariſteas: ſola enim tribus Judae, paucis ex aliis Tribubus admixtis, qui ſemper ſine nomine fuerunt, redierant ex Babylonica captivitate. Id ignorare Ariſteas non poterat, ſi Judaeus ille fuiſſet, quem mentitur. Praeterea tota Ariſteae narratio ſapit paulo recentiorum Rabbinorum fabellas, quod vel mediocriter naſuti odorantur. Quocirca aut libellus hic, qui ſub nomine Ariſteae circumfertur, alius eſt a veteri illo, quo uſi ſunt ſuperius laudati Auctores, aut Ariſteas iſte is non eſt, quem mentitur. Ob has, & alias rationes primum Ludovicus Vives ad Auguſt. de Civit. Dei lib. 11. cap. 42. librum Ariſteae in ſuſpicionem vocavit: deinde Leo a Caſtro, Alphonſus Salmero, Joſephus Scaliger conjecturas adverſus Ariſteam longius promoverunt: Tandem

dem Humfredus Hodyus, & Antonius Wandalius rem plane perfecerunt.

§. VII. Quicquid autem ejus libelli ſit, non idcirco conficietur etiam Ptolemaei Philadelphi tempore nullam vel coeptam, vel perfectam verſionem librorum ſacrorum veteris Teſtamenti extitiſſe. Nam & certum eſt Apoſtolorum tempore verſionem hanc ſeptuaginta viralem extitiſſe, & certum, Apoſtolos, & Patres, Apoſtolis viciniores, ex ea verſione veteris Teſtamenti loca citaſſe. Accedit conſenſus veterum Judaeorum, & Chriſtianorum, qui cum ſcripſerint de publico facto, nec nimis remoto, nec omnes una mentiri poterant, nec omnes decipi. Neque vero illud conceſſerim, ex Ariſtea omnes, quae de hujusmodi verſione narrant, accepiſſe: nam & diſcordant in pluribus, quod eſſe non ſolet in iis, qui ex uno fonte hauriunt; & traditio ejus verſionis publico inſtituto feſto, quod tradit Philo Judaeus Alexandrinus homo, integra ad hos Auctores devenire potuit. His accedit quod probabile nullo modo eſt, Judaeos Helleniſtas, qui linguam Hebraicam, & Chaldaicam ignorabant, nulla habuiſſe Biblia in Graecam linguam verſa, quae legerent. Tantum igitur abeſt, ut dubitem factam eſſe aliquam ſub Ptolemaeo librorum veteris Teſtamenti verſionem, ut potius cenſeam non abhorrere a vero, quod narrat Ariſtobolus Judaeus auctor perantiquus apud Clementem Alexandrinum ſtromat. 1. & Euſeb. in 13. Praepar. Evang. cap. 12. extitiſſe verſionem aliam Graecam, Alexandro Magno antiquiorem, aut aequalem. In quam opinionem, ut caetera deſint argumenta, id me vehementiſſime impellit, quod, ut dixi, nequeo mihi perſuadere, Hebraeos Helleniſtas nulla habuiſſe vulgari lingua divinas Scripturas, quas legerent, quum caeteri Judaei adſcita quiſque lingua ſcripturas legere conſueverint.

§. 8. Perſpicuum eſt ex ſuperioribus, canonem veteris Teſtamenti antiquiorem eſſe epocha chriſtiana. Illud supereſt inveſtigandum, quinam hujus Auctor fuerit, & quando conſignatus. Obſervandus autem omnium

pri-

Digitized by Google

primum eſt aureus Joſephi locus in lib. 1. contra Apionem, qui locus merito laudatur Danieli Huetio. Narrat eo in loco Joſephus, eam fuiſſe Judaicae gentis conſuetudinem, ut poſt bella libros ſacros recognoſcerent. Quae conſuetudo comprobatur ex eo, quod in 2. Mach. cap. 2. legimus, Nehemiam poſt reditum ex captivitate Babylonica libros ſacros recognoviſſe, & emendaſſe. In eo fundamento inaedificata eſt Rabbinorum illa communis opinio, canonem veteris Teſtamenti ab Eſdra, auctoritate Synagogae Magnae, ſoluta captivitate Babylonica, compilatum fuiſſe. Erat enim vero Eſdras ad id aptiſſimus, propter eximiam rerum ſacrarum peritiam. Atque haec opinio tam invaluit apud veteres chriſtianos, ut plerique vetuſti Patres crediderint, omnes libros ſacros in Hieroſolymorum incendio funditus periiſſe, atque ab Eſdra Divino Spiritu iterum dictatos de verbo ad verbum, quod Auctor libri IV. Eſdrae narrat. Sed utcumque prior opinio ab veri ſimilitudine non abhorreat, poſterior aperte falſa eſt. Primum, quartus Eſdrae liber, nec genuinus eſt, & putidiſſimis fabulis ſcatet. Deinde non eſt probabile in Hieroſolymorum incendio nullos privatos codices ſuperfuiſſe: Neque enim in templo tantum & domibus Hieroſolymorum libri ſacri extabant, verum etiam quacumque patuit Judaea. Tandem quidam libri canonici, ut Paralipomenon, Judicum, Regum, ex vetuſtioribus codicibus, ad quos ſaepe Lectores remittuntur, compilati ſunt, quod pugnat cum hoc ſyſtemate.

§. 9. Scio Richardum Simonium in hiſtoria Crit. Vet. Teſtam. opinionem hanc de Synagoga Magna, deque canone ab Eſdra collecto inter fabulas Rabbinorum retuliſſe. Scio praeterea, & Benedictum Spinoza in tract. Theol. Polit. & Thomam Hobbes in Leviat. cenſuiſſe poſt Judam Machabaeum Canonem Hebraicum fuiſſe conflatum, eo praeſertim argumento motos, quod in hoc canone quidam libri recepti ſint, qui res geſtas Eſdra recentiores narrat. Cui ſententiae acce-

dere

Digitized by Google

dere videtur & Iſaacus Newtonus commentariis in Danielem. Sed me haec movere nequeunt. Primum in antiquo illo Eſdrae canone nullus liber eſt, qui ſit Eſdra recentior: omnes enim ſunt auctorum aut Eſdra antiquiorum, aut ſupparum. Quae ſi fortaſſis in his libris memorentur, aut reſpiciantur res poſteriores, id tribuendum eſt inſtauratoribus Scripturarum, qui cum notulas ad textus intellectum interſererent, progreſſu temporis in textum ipſum irrepſere. Deinde libri iſti, qui ſunt in Hebraeorum canone, nec omnes ſimul ſcripti ſunt, nec Eſdrae primum tempore Divini ſunt habiti, quod patet ex tota hiſtoria Judaica. Quae cum ſint, quis concoquat Hebraeos verbi Divini ſtudioſiſſimos ante Eſdram libros Divinos non curaſſe, non diſtinxiſſe a non Divinis, non in unum corpus collegiſſe? Praeſertim cum diſcamus ex Joſepho *contra Apionem*, eouſque fuiſſe ſuper ea re Judaeos Religioſos, ut quoniam poſt Eſdram falſos Prophetas magna copia emergere ſcirent, nullum alium librum nullius Prophetae cooptare in canonem voluerint, ne periculo ſe exponerent cooptandi falſos (*a*). Quod ſi id non feciſſent Judaei, profecto diligentiores fuiſſent Romani in libris Sybillinis cuſtodiendis, quam in ſuis Divinis Hebraei. Itaque oportet, ut canon Hebraicus antiquiſſimus ſit, nec uno tempore conſignatus, ſed ea ſucceſſione, qua libri Prophetarum ſcripti ſunt.

Prop. XXXIX. Vis prophetica eſt ſolius Dei.

D. Pro-

(a) *Ferebantur apud Judaeos alii Prophetici libri, quorum quoſdam primi Chriſtiani laudat. Prophetiam Enoch antiquiorem eſſe Epocha Chriſtiana neceſſe eſt: ad eam enim alludit S. Judas, citatque Tertullianus, aliique. Prophetias Heldam, & Monal laudat Hermas in libro Paſtoris lib.* I. *Cotelerius notis ad Conſtitut. Clement. lib. IV. obſervat, apud Judaeos libros Prophetarum LXX. numerari, quos tamen libris illis indubie divinis minime miſcuerunt.*

D. Prophetia eſt earum rerum praedictio, quae nondum evenerunt, quum praedicuntur, quaeque neque ex cauſis naturalibus, nec ex praeſente rerum ſtatu conjici poſſunt (def. *6.*); id autem ejus eſt, qui totam rerum Naturam, quacumque illa loco, aut tempore patet, mente comprehendat, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum; is vero ſolus eſt Deus (prop. 11. & *6.*); vis ergo prophetica ſolius Dei eſt.

Sch.I. Vide ut hoc communi Gentium ſenſu confirmat Huetius (*a*). Nos hoc in loco ut de Prophetiae natura & generibus pauca diſſeramus, rei, de qua agimus, intereſſe cenſemus: ſed diſſeremus, more noſtro, breviter & preſſe. Prophetiae vocabulum longe lateque patet: ut enim Propheta dicitur *quicumque revelationem a Deo accipit*; ita tota haec revelatio prophetia appellatur, quo illa a naturae ratione & lumine diſtat. Revelatio autem divina aut res, quae aguntur, ſpectat, aut doctrinas. Res praeteritae, praeſentes, futurae: doctrina theoretica, vel practica. Res quidem praeteritas, aut praeſentes, ſed obſcuras, complectitur plerumque prophetia. *Prophetiza nobis Chriſte, quis te percuſſit*, ajebat impius ſatelles poſtquam colapho Jeſum ceciderat. Matth. 26. 6.. Sic aſinas, quas nudius tertius amiſerat, eſſe inventas Samuel Propheta Sauli ſignificavit. 1. Reg. 9. 20. Sicque quaecumque Naaman inter & Giezi conventa fuerant Eliſaeus perſpecta habuit. Sed *futurorum*, & quidem *contingentium* proprie prophetiae eſt. Itaque Caſſiodori recepta eſt & probatiſſima Prophetiae definitio: *eſt divina praeſcientia rerum eventus immobili veritate denuncians*: eſt autem *praeſcientia* futurorum contingentium. Jam doctrinas quoque complectitur viſio prophetica, & quidem non practicas modo, ſeu quae mores ſpectant, ſed etiam theoreticas, quarum notitia neceſſaria ſit, aut utilis ad mores. Quare prophetici libri & docent plu-

(a) *Dem. Evang. oxiom.* 4.

Digitized by Google

plurima, quae ad Dei naturam & opera pertinent, & monent, exhortantur, jubent, vetant, quae ad mores. Vide (a) B. Thomam.

§. II. Illud quaeri poteſt, utrum ea quoque, quae naturali via & ratione ſciri poſſunt, objectum ſint prophetiae? Ut ea quaeſtio rite pertractetur, prophetiae finis conſtituendus eſt. Is eſt Eccleſiae aedificatio: *unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, inquit Paulus Apoſtolus I. ad Corinth. 12. 7. Qui ibidem genera omnia divinorum donorum enumerans, ea ita eſſe ſingula corpori Chriſti, ideſt Eccleſiae, neceſſaria demonſtrat, ut ſingula corporis humani membra toti corpori. Quocirca ſi Eccleſiae neceſſitas, aut utilitas exigat, ea divina manifeſtatione repeti, quae caeteroquin humana ratione ſciri poſſunt, dubitandum non eſt, quin ea quoque prophetiae, ſeu revelationis ſint objectum. Paucis haec complectitur B. Thomas in ea quaeſtione, quam laudavimus art. 2., atque praepoſitae quaeſtioni, more ſuo, binis verbis reſpondet; *In omnibus*, inquit, *quae ſunt propter finem, materia determinat ſecundum exigentiam finis, ut patet ex 2. Phyſ. Donum autem prophetiae datur ad utilitatem Eccleſiae, ut patet 1. ad Corinth. 12. Unde omni illa, quorum cognitio poteſt eſſe utilis ad ſalutem, ſunt materia prophetiae, ſive ſint praeterita, ſive futura, ſive aeterna, ſive neceſſaria, ſive contingentia .... Dico autem neceſſaria, ſive ſint neceſſaria ad inſtructionem fidei, ſive ad informationem morum.*

§. III. Qua ex re & illud conſequitur, magnopere eos falli, qui eo criterio divinam revelationem dignoſci debere conſtituunt, ut ea tantum ſint divinitus revelata, quae aut mentis humanae captum ſuperant, aut alia via ab hominibus reſciri nequeunt. Nam quoniam Eccleſia Dei, ad cujus neceſſitatem, & uti-

(a) *B. Th. in quaeſt. diſputatis q.* 12.

Digitized by Google

utilitatem prophetia immittitur (*a*), doctis juxta, & idiotis conſtat, ac plerique ſunt, qui veritates plurimas ad vitam beatam neceſſarias, quae ambitum rectae rationis minime praetergrediuntur, minus ipſi per ſe intelligere ſunt apti; qui ea tantum a Deo revelari docent, quae captum humanum ſuperant, in caeteris vero homines ad rationis ſcrutinium remittunt, ii dicant quoque neceſſe eſt, magnam Eccleſiae partem neceſſariorum ignorantia torpeſcere, atque beatitudine devios abire. Id autem divina bonitas non patitur, niſi quis dicere velit, doctos tantum & ratione exercitos Deo eſſe curae, caeteros, ideſt maximam hominum partem, velut pecora negligi. Accedit, quod quum non omnes ſtudio & meditationi incumbere poſſint, quod exigat hominum vita, ut in mechanicis artibus pars hominum maxima occupetur; niſi Deus idiotis quoque, & imperitis divinae revelationis ope conſulat, in duo oppoſita nos vocat, media nempe hujus vitae conſervandae, quam ille certe negligere, aut abrumperere vetat, & ſtudio ac meditatione media vitae aeternae perquirendae (*b*).

§. IV. Illud verum eſt, praecipuum divinae revelationis characterem, quo illa dignoſcitur, eſſe futurorum, non quorumvis, ſed contingentium, ideſt liberorum, praedictionem. Id in iis ponendum eſt, quae omnes homines conſenſione maxima profitentur: in iis autem, quae humanam naturem ſpectant, conſenſio omnium hominum certos nos efficere debet. Et quemadmodum problemata quaedam geometrica eſſe inſolubilia, veluti quadraturam circuli in Geometria lineari; ita plurima humanas vires ſuperare, homines diuturna experientia docti noverunt tandem, ut non poſſit, niſi impudentiſſime ab opinione omnium diſcedi (*c*)

§. V.

(a) *B. Th. ibid.*
(b) *Vide B. Th. loc. cit.*
(c) *Vide Huet. demonſtr. Evang. axiom. 4.*

Digitized by Google

§. V. Deinde idipſum luculentiſſime ratio demonſtrat. Singula futura libera ſunt actiones voluntariae: ſuſcipere *ex. gr.* bellum, hominem occidere &c. ſingulae autem voluntariae actiones ſequuntur *judicia intellectus practica*, ut appellantur: judicia vero practica ideas, idearumque intenſitates: haec omnia pendent ab infinitis objectis externis, eorumque objectorum, loco, ſitu, tempore, aliiſque periſtaſibus: item a ſtructura, & temperamento corporis, & haec a cauſis plurimis quum internis, tum externis: praeterea a conſtitutione animi, haec vero ab educatione, ſtudiis, affectibus, moribus, conſuetudine vitae, aliiſque. Eorum omnium pleraque nullo modo determinata ſunt, non dico antequam quiſquam naſcatur, ſed ne uno quidem ante actionem liberam die. Alia habent in natura certas ac conſtitutas cauſas, ſed quae in paulo longiore temporis intervallo cum infinitis aliis miſcentur, ac ſeries, & catenas conflant compoſitiores, implicatiſſimas, atque nulla intellectus humani ope extricabiles. Ea omnia qui in numerato non habet, ac velut praeſentia & determinata, is actionem illam liberam praevidere nequit; & qui in numerato ſe habere dicit, is poteſt eadem confidentia aſſeverare ſe materiae totius mundanae atomos ſuppuraſſe. Quod adeo verum eſt, ut nulla ſit inter Theologos difficilior quaeſtio, quam in quo medio Deus futura libera cognoſcat, de qua tot ſunt Theologorum ſententiae, ut annumerare ſit moleſtum. Qui igitur non intelligunt, in quo medio futura libera Deus ipſe praeſciat, ii ne faciles dabunt, pervia homini mortali eſſe poſſe? ii ulli alteri praeter quam Deo? Ne dubitetur igitur horum futurorum praeſcientiam aut nullius eſſe, aut Dei: eſt autem, ut paulo poſt demonſtrabimus: ſolius igitur Dei (*a*).

§. VI. Id ut luculentius conſtet, de variis prophetiarum generibus uberius diſſerendum eſt, unaque ope-

ra

(a) *Vide B. Th. art.* 3.

Digitized by Google

ra characteres ſtatuendi, quibus vera a falſa, certa & divina a probabili, & conjecturali prophetia diſcernatur. Philo in libro *quod ſomnia ſint divina* tria viſorum divinorum a cauſa efficiente genera diſtinguit, a Deo, ab anima mundana, a mente cujuſque propria. Scilicet arbitratur viſa quaedam phantaſiae a Deo ipſo immitti, alia a ψυχῆ τῶν ὅλων ab anima, & ut alibi vocat, mente Univerſi. Hanc intellectum agentem vocant Magiſtri Hebraeorum poſteriores, qui Arabes ferme in Metaphyſica ſectantur. Nemini ignotum eſt ex Arabum doctrina, intellectum agentem eſſe in omnibus hominibus unum, nec eum ab anima mundana differre. Tertium vero genus ſic deſcribitur a Philone. Tertium, inquit, conſtituitur genus, quum mens in ſomnis per ſe mota, & ſemet ipſa agitans, furit, & afflata facultate futurorum praeſcia ea praedicit. Poſteriora duo furoris vaticinantis genera vulgata erant apud Ethnicos, in primis Pythagoreos, & Platonicos, quorum veſtigia hic premit Philo: Tertium ſectatores plures & inter Chriſtianos invenit. In eo autem primi generis viſa diſtingui a reliquis contendit Philo, quod prima illa conjuncta ſint cum raptu extatico, quo in omnibus ſomniis propheticis potentior quaedam cauſa mentem, & phantaſiam Vatum percellens eos ipſis eripiebat, evidentemque, & potiorem impreſſionem iis relinquebat.

§. VII. Si haec Philonis doctrina, quam recentiores quidam Deiſtae avide arripuere, eſſet vera, eſſet & naturalis quaedam vis prophetica, nec idcirco prophetiae operæ completae argumentum eſſent divinae revelationis, ut contendimus. Itaque demonſtrandum eſt, commentitia eſſe, & fabuloſa duo illa poſteriora Divinationis genera, quae poſuit Philo. Primum quum anima illa mundana Platonicorum, tum hic Arabum intellectus agens, fanaticorum ſint imaginationes, ut nos alibi demonſtravimus; *Principia activa* futurorum cognoſcendorum intellectui humano eſſe nequeunt. Deinde prophetia non ex quavis futurorum conjectura proficiſcitur,

ſed ex certa, & immutabili praeſcientia futurorum liberorum: ea vero in iis cauſis contineri nequit, in quibus futurorum eorum immutabiles rationes ſufficientes non continentur: immutabiles vero futurorum *liberorum* rationes ſufficientes nec in *anima mundana*, nec in *intellectu* illo Arabum *Agente* poſſunt contineri, ſed in ſola Mente rerum omnium creatrice; anima ergo mundana, & intellectus hic agens principia prophetiae activa eſſe nequeunt. Ita ferme B. Thomas (*a*). Qui etſi concedat quamdam eſſe naturalem prophetiam, ſeu potius futurorum conjecturam, longe tamen hanc a vera prophetia differre docet: nam prophetia naturalis non ſe extendit, niſi ad illa futura, quae habent cauſas determinatas in natura; ſed prophetia, de qua loquimur, ideſt vera, & divina, indifferenter ſe habet ad omnia. Praeterea naturalis prophetia *non infallibiliter praevidet*, *ſed ſicut praedicuntur illa*, *quae ſunt vera in majori parte* (tutius dixiſſet in minima parte); *Prophetia vero*, *quae eſt Spiritus Sancti donum*, *praevidet infallibiliter*.

§. VIII. Non igitur a cauſis activis, ſed a modis revelationum prophetiae genera diſtinguenda ſunt. Copioſe hanc rem Rabbini pertractarunt, in primis Rabbi Maimonides in Moreh Nebuchim. Nos more noſtro paucis rem omnes Tironibus explicabimus, idque non modo, ut Deiſtarum ſophiſmata commodius refellere poſſint, ſed etiam ut ad ſcripturas Divinas intelligendas, ſi divinis his ſtudiis incumbere velint, ſint expeditiores. Paulus Apoſtolus initio ad Hebraeos docet, Deum olim πολυμερῶς: καὶ πολυτρόπως locutum eſſe, ideſt *multis vicibus*, non ſemel, & *multis ac variis modis*. Deus ipſe (*b*) varia manifeſtationis ſuae genera aperte diſtinguit. Nam cum Maria Moſis uxor, ac Aaron ſubmurmurarent adverſus Moſem ob in-

(a) *Ibid. Art. 4.*
(b) *Num. 12. ver. 5. 6. 7. 8.*

inductam AEthiopiſſam, *num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Non ne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Deus vocans Aaron, & Mariam, *audite*, inquit, *ſermones meos. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per enigmata, & figuras Dominum videt*. Huic Magiſtri Judaeorum quatuor conſtituunt prophhetiae gradus. Primus & maximus, qui & Moſaicus appellatur, is eſt, in quo res revelatae in ſuprema rationis & intellectus puri regione conſiſtunt, nec ad phantaſiam deſcendunt. Quum ſcilicet Deus aut *immediate*, aut medio Angelo ut placet B. Thomae, in mentem tantum Prophetae divinas cogitatione indit, ſine ullis corporeis ſignis. Hunc in modum ſolum Moſi ſe Deum communicaſſe Rabbini docent. Atque ita intelligunt illud Deuteronomii 34. 10. *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, quaſi *mente ad mentem*.

§. IX. Secundus prophetiae gradus conſtituitur is, in quo & partes ſuas habet vis imaginatrix, ſeu phantaſia, ſed ita tamen, ut rationalis facultatis primae ſint: ſeu quum theatrum rerum revelatarum phantaſia eſt, in qua ab intellectu cernuntur, ſed ab omni materiali, & ſenſibili involucro ſpoliantur, atque diſtinctiſſime in nuda earum eſſentia apprehenduntur. Tertius porro eſt is, in quo pares ſunt intellectus, & phantaſiae vires, ut haec imagines rerum revelatarum ſuppeditet, ille apprehendat, ſed ſub imaginibus, & cum imaginibus. Quartus poſtremo eſt is, in quo phantaſiae primae ſunt partes, qualia potiſſimum ſunt ſomnia divinitus miſſa. Poſtremum hunc Prophetiae gradum tum viguiſſe docent Judaei, quum eorum majores eſſent in captivitate Babylonica, ideſt fine veteris Prophetiae appropinquante. Quod generice verum non eſt. Certe Danielis, & Ezechielis exemplo facile refelli poſſunt, quamquam Ezechielem Rabbi Joſephus

Digitized by Google

Albo diſerte ad hanc ultimam claſſem refert, Danielem Rabbini omnes inter Agiographos, quod non intimitus vim propheticam acceperit, ſed extrinſecus ab Angelo ſit edoctus. Scilicet non rite rationes ſubducunt ſuas. Nam exorditur quidem Ezechielis prophetia a raptu, atque ab imaginibus phantaſiae: tamen poſt totum illud viſorum Propheticorum Theatrum, *ſpiritus ad eum locutus eſt verbis ac ſententiis diſtinctiſſimis* (a). Non autem loquebatur ad aures, ut ipſa narratione patet; ergo ad mentem, aut ad intellectum ſimul, & phantaſiam, ita tamen, ut primae partes eſſent intellectus. Falſum porro eſt Danielem extrinſecus tantum edoctum: id revincitur ex cap. 2., in quo per viſionem nocte ſpiritum interpretationis ſomniorum accepiſſe Danielem legitur: & cap. 6. dicitur *quod ſpiritus Dei erat in illo:* & cap. 7.. *Quod viderit ſomnium*. Accedit quod tota antiquitas Zacchariam primorum ordinum Prophetam habuerit, quamvis in omnibus ejus viſis ſemper interveniant Angeli.

§. X. Jam vero conſtituuntur duo alii modi generici divinae locutionis ratione medii. Nam aut immediate Deus ſe Prophetae communicat, aut medio Angelo. Secundo modo Deum locutum eſſe in Veteri Teſtamento Patrum Doctiores cenſent ex loco Pauli (b) *Lex ordinata per Aangelos*. In eum locum Hieronymus; *quod autem ait, lex ordinata per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni Veteri Teſtamento, ubi Angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex miniſtris plurimis, quicumque, ſit viſus: ſed in illo mediator loquatur qui dicat; Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Nec mirum ſit, ſi Deus loquatur in Angelis: quum etiam per Angelos, qui in hominibus ſunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Zaccharia: & ait Angelus, qui loque-*

(a) *Cap.* 2.
(b) *Ad Galat.* 3. 9.

Digitized by Google

loquebatur in me, *ac deinceps inſerente*, *Haec dicit Dominus omnipotens*. Plurima ſunt ſimilia aliorum Patrum loca, in primis Auguſtini, quae exſcribere non eſt neceſſe.

§. XI. Praeterea poſterior hic modus etiam duplex eſt, *in ſomnio*, & *ſine ſomnio*, per ipſam Angeli praeſentiam. Ille locum habet quum ſenſus exteriores ligati ſunt, ſed theatrum, ut diximus, rerum revelatarum eſt phantaſia. Hoc modo praeter alios locutus eſt Deus Danieli. Eodem modo Jacobo ſe communicavit dum ſcalam illam propheticam vidit. Alter contingit quum ſenſus exteriores ligati non ſunt, ſed veluti deliquium aliquod aut extaſim patiuntur, ſive uſu ſuo privantur, mente tota in ſpeciebus, quae phantaſiae objiciuntur, apprehendendis, & ſpeculandis intenta, & occupata, ac quaſi a corpore & functionibus corporis externis abſtracta, & divulſa. Ex utroque modo Prophetae Hebraei dicti ſunt videntes 1. Reg. 9. 9. & prophetiae Viſiones. *Viſio Iſaiae filii Amos* 1. *Vidi viſiones Dei* Ezech. 1. 1.

§. XII. Rationes quoque rerum repraeſentatarum uterque iſte modus in plures alios ſubdividi poteſt. Revelationis enim in ſomnio factae primus modus eſt, quum ei, cui revelatio in ſomnio fit, repraeſentantur figurae quaedam, parabolicum, myſticum, aut enigmaticum ſenſum ſignificantes, quem ipſe non capit, neque intelligit, ſed cum adjuncta declaratione, & expoſitione ſenſus iſtius tota exſeritur prophetia. Hujuſmodi ſunt plures prophetiae Zachariae, Ezechielis, Danielis, Apocalypſis. Altera ſpecies eſt, quum revelatio clare & diſtincte ſine parabola, & ſine enigmate quidem fit, & clare auditur, atque intelligitur in ſomno, ſed tamen revelans non videtur, neque repraeſentatur. Cujuſmodi revelatio facta fuit Samueli, quum primum ſe Deus ei in templo revelavit. Tertia ſpecies eſt, quum is qui revelat in ſomnio, loquitur ſub ſpecie viri, aut juvenis, ita ut is, cui revelatio fit, audiat, & cognoſcat, & videat eum loquentem, & clare, atque intel-

telligibiliter ſenſa mentis ſuae proponentem, atque exponentem, cujuſmodi revelatio facta fuit Ezechieli & Paulo. Quarta ſpecies eſt quando in ſomno Angelus cum homine loquitur, itaut qui loquentem audit, ſciat Angelum eſſe. Cujuſmodi revelationem ſibi factam narrat Jacob uxoribus ſuis Racheli, & Liae, Geneſ. 31. 10. Et hic revelationis modus extitit in veteri Teſtamento frequentiſſimus & communis fere omnibus Prophetis. Quinta ſpecies eſt quando in ſomnio ipſe Deus apparere videtur, itaut is, cui revelatio fit, intelligat Deum ſecum loqui. Cujuſmodi revelationem ſibi factam narrat Iſaia cap. 6. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. Cui ſimilis eſt facta Micheae lib. 3. Reg. 22. 19.

§. XIII. In viſione prophetica, quae hominibus vigilantibus obtigit, quatuor ſpecies adnotari poſſunt. Prima ſpecies eſt, qua revelantur res, aut figurae quaedam enigmaticae ſine ullis verbis; cujuſmodi revelatio fuit Abrahamo facta Gen. 115. 9. *Sume*, inquit Deus, *vaccam triennem, & capram trimem, & arietem annorum trium turturem, quoque, & columbam &c.* quorum Symbolorum ſenſum poſt ſomnium divinum demum intellexit Abraham. Secunda ſpecies eſt quando in ipſa viſione is, cui viſio obtigit, loquentem aliquem audit, ſed non videt, uti Abrahamo eveniſſe legimus Gen. 15. 1. *Factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens &c.* Divinam autem fuiſſe viſionem patet ex verſ. 5. Tertia ſpecies eſt quum loquens ſub ſpecie viri apparet, uti eidem Abrahamo Gen. 18. Quarta tandem quum is, cui fit, videt Angelum ſecum loquentem, eumque agnoſcit eſſe Angelum. Hebraei, ut diximus, inter Prophetas non referunt, ſed inter Agiographos, quibus quatuor his ſpeciebus Deus ſe communicat. Qui certe niſi de vocabulo concertent, perridiculi ſunt: ſubſtantia enim doni prophetici poſita eſt in manifeſtatione divinorum conſiliorum: modi, quibus illa manifeſtatio fit, nihil de ſubſtantia immutant.

§. XIV.

§. XIV. Explicandi nunc ſuperſunt duo alii modi divinae revelationis, qui frequentiſſimi fuere inter Hebraeos, alter quidem antiquiſſimus per *Urim*, & *Thummim*, alter, qui dicitur *Bathol*, filia vocis, qui ultimo Reipublicae Hebraicae tempore viguit. De primo pluribus agit ex Proteſtantibus Spencerus de legibus Hebraeorum ritualibus, inter noſtros Calmetus. Sunt qui putant auctoritate Rabbinorum Maimonidis, Beccai, Arbabanelis, aliorumque per Urim, & Thummim intelligi litteras inſculptas in lapillis pectoralis Summi Sacerdotis. Pontifex, inquiunt, Maximus ſtabat ante arcam, & qui veniebat conſulendi divini oraculi cauſa poſt eum erat, ſubmiſſaque voce, quaſi privatas preces funderet, *faciem ne*, inquiebat, *ſic*, *vel ſic*? Tum Pontifex Maximus inſpiciebat litteras, quae inſculptae erant lapillis pectoralis, & conſpirante ſpiritu prophetico, qui in Pontifice erat, cum modo quo litterae inflatae ac illuſtratae apparebant, reſponſum formabat. Quae opinio veriſimilis eſſe non poteſt, quando in pectorali non omnes alphabeti Hebraici litterae inſculptae erant: inſculptae enim eae erant litterae, quibus nomina duodecim Tribuum conſtabant, in quibus deſiderabantur quatuor, *Chet*, *Teth*, *Tzade*, *Coph*. Ineptiſſime vero Rabbini, ut huic difficultati obviam eant, addunt nomina Abraham, Iſaac, Jacob. Docere enim debent, quum duodecim tantum lapides fuerint in pectorali, quo in loco ea ſcripta fuerint. Alii vero cenſuere Urim fuiſſe inſtrumentum ſinuoſum rationali ſummi Sacerdotis affixum, unde Deus conſultus verba fundebat. In eam ſententiam ivit Spencerus, qui duo parva idola duobus lateribus pectoralis abditas voces Dei reddidiſſe ſcribit. Profana eſt ea opinio, nec Hebraici cultus ſimplicitati aptari poteſt. Itaque graviſſimis illam rationibus refellit pocock comment. in Oſeam cap. 3. v. 4. Ego conceſſerim libenter in Humphredi Pridai ſententiam. Is nihil corporati huic rei ſubeſſe vult: Deus cenſet conſultum in difficillimis Reipublicae temporibus a Summo Sacerdote ſolemnibus veſtibus ornato, ex propitiatorio,

Digitized by Google

torio, quod Areae inſiſtebant, ſua reſponſa dediſſe, quo modo reddebat Moſi. Quumque haec reſponſa clare redderentur, dicta ſunt per Urim, & Tummim. Urim enim lumen ſignificat, Thummim perfectionem. Itaqne Septuaginta vertere per Δήλωσιν, καὶ Ἀλήθειαν. *Evidentiam*, & *Veritatem*. Confirmat haec Scriptura, quae haec reſponſa voci Dei tribuit. Res tamen valde intricata, & incerta eſt. Poſtremis tandem Reipublicae hebraicae temporibus quum deſiiſſent Prophetae, Deus aliquando coelitus emiſſa voce alloquebatur eos, quibus ſuam voluntatem pateſacere volebat. Ea vox in ſcriptis Rabbinorum dicta eſt *Cath-Kol*, ideſt *filia vocis*. Infimus eſt is prophetiae gradus.

§. XV. In illud nunc accurate inquirendum eſt, qui ſint characteres, quibus veri a falſis Prophetis, qui plerumque currebant, nec mittebantur, dignoſci poſſenr. Quatuor conſtituo ſigna ex quibus aut omnibus, aut parte, veri a falſis diſcernerentur Prophetae. Primus eventus rerum. Quae enim Propheta nomine Dei praedicebat, ſi conſtantiſſime evenirent, ſcilicet non ſemel, ac velut caſu, ſed ſemper, ea erant indubium argumentum vesi Prophetae. Diſertis verbis haec doctrina tradita eſt Deuteron. 27. 21. Nam cum praecepiſſet falſum Prophetam interficiendum, addit: Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, *quomodo poſſum intelligere verbum*, *quod Dominus non eſt locutus ? Hoc habebis ſignum : quod in nomine Domini Propheta ille praedixerit*, *& non evenerit*, *hoc Dominus non eſt locutus*, *ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Oppones, etiam falſos Prophetas vere quandoque futura praedicere, ut colligit ex 13. Deuteron. 1. 2. Reſpondeo I. non id dici in eo loco, Pſeudoprophetas ſcientiam veram futuri habere, aut conſtanter eorum praedictiones eventu comprobari, ſed hypotheti ce, etiamſi evenerit id quod praedixit. Subintelligendam eſſe eam conditionalem, aperte Textus indicat. II. Reſpondeo ex eodem Textu colligi ſignum alterum quo diſtinguatur Propheta ille falſus, ſcilicet Deorum plurium cultus, ad quem

Pſeu-

Pſeudopropheta adhortatur populum : *Eamus poſt Deos alienos* . III. Reſpondeo in toto illo loco hyperbolem eſſe ſimilem Paulinae illi : *Si Angelus de Coelo evangelizaverit* vobis &c. ſcilicet quemadmodum ἀδύνατον eſt Angelum Dei contraria iis docere , quae Chriſtus docuerat ; ita impoſſibile Deum per Prophetas falſam contra ſui cultum doctrinam tradere ac eventu prophetiarum , & portentis confirmare . Ac propterea, ut ne Angelo quidem credendum eſt ſi contra doctrinam Evangelicam evangelizet : ita non Prophetae , ſi adverſus unius Dei cultum praedicet, dato etiam per impoſſibile , quod Angelus Dei id faciat , aut quod Propheta vera praedicat , & portenta edat .

§. XVI. Alterum veri Prophetae argumentum eſt vis miraculorum . Neque enim vera miracula efficere poteſt niſi Deus , ut ſuperius demonſtratum eſt . Atque hoc ptiſſimum argumento omnes Prophetae Veteris Teſtamenti , & Jeſus Chriſtus Servator noſter , ac Apoſtoli miſſionem ſuam confirmabant . Quinimo Moſes , & quidam alii veteres Prophetae non prius ſe a Deo mitti credidere , quam miraculis id Deus confirmaſſet . Vide Exod. 4. Tertium ſignum eſt veritas doctrinae. Si enim Propheta ea docet , quae contraria ſunt aut doctrinae theoreticae , aut practicae religionis unius Dei , is etiam ſi vera praedicat , & portenta etiam edat , impoſtor eſt. Hoc ſignum colligitur ex loco Deuteron. 13. ſupra poſito . Enim vero pugnat cum Dei immutabilitate , veracitate , ſanctitate per Prophetas ſuos in falſam nos inducere doctrinam . Qui ergo falſam doctrinam docet Pſeudopropheta eſt . Quartum tandem ſignum eſt Sanctitas prophetarum : nam quamquam prophetiae donum non pugnet cum depravati moribus, tamen vix credibile eſt Prophetam a Deo miſſum , vitam agere improbam , ac ſceleſtam , praeſertim ſi prophetiae donum perſeveret . Ut idcirco inter falſos Prophetas eum referemus , qui Curios ſimulat , & Bacchanalia vivit , niſi alia ſint indubia argumenta , quibus conſtet vere a Deo eſſe miſſum .

Prop.

Digitized by Google

Prop. XL. Ex Novo Teſtamento demonſtratur veteris Teſtamenti divinitas.

§. I. In aſſerenda veritate, & divinitate librorum Veteris Teſtamenti, facilitatem nobis faciunt maximam, quae in ſuperioribus propp. de libris Evangelicis demonſtravimus. Sane quoniam libri Evangelici, genuini ſunt, veraces, & divini; & libri veteris foederis pro divinis habentur in his Evangelicis; conſequitur, & libros vereris foederis veraces eſſe, atque divinos. Quod autem vetuſti illi libri veraces & divini habentur in Novo Teſtamento, ex eo eſt perſpicuum, quod in hoc citantur, & commendantur, aut in confirmationem, aut in conteſtationem eorum, quae Chriſtus, & Apoſtoli docent. Citantur quoque ut prophetici, ideſt tanquam a Deo inſpirati. Abſurdum autem eſt divinos Novi Teſtamenti Scriptores libros Veteris Teſtamenti appellare in ſuis pronunciatis, illos habere ut propheticos, niſi illi vere ſint divini. Quum tota hujus argumentationis vis in aſſumptione ſit poſita, accvrate eam demonſtrabimus.

§. II. Moyſis legem, ideſt Pentateuchum, ex uſu Hebraico, paſſim citant Evangeliſtae, & Apoſtoli ut librum genuinum, & propheticum, ſpeciatim Johannes cap. 1. verſ. 45. & cap. 5. 46. Geneſis laudatur Matth. 19. 4. & 6. Et ad Roman. 4. 3. Exodus Matthaei 5. 21. & 22. Johann. 5. 31. ad Roman. 9. 17. Numeri Johan. 19. 39. 1. ad Corinth. 10. Leviticus Matth. 8. 4. & 13. 5. Deuteronomium Matth. 44. & paſſim: Johan. 8. 17. Ad Roman. 11. 13. Liber Pſalmorum Matth. 4. 6. Johann. 22. 17. Iſaias paſſim in omnibus ſcriptis Evangelicis: Jeremias Matth. 5. 17. Johan. 6. 45. & alibi. Ezechiel. ad Roman. 21. Daniel. Matth. 24. 15. Michaeas Matth. 11. 6. Johan. 7. 42. Oſea Matth. 21. 15. ad Rom. 9 25. Malachia, Matth. 25. 4. Johan. 12. 4. Mitto caeteros, ne ſim longior. Libri igitur Veteris Teſtamenti veraces ſunt, & divini, quoniam, ut divini citantur a divinis Novi Teſtamenti Auctoribus. Nec opponant Deiſtae Paulum citaſſe quoque Carmina

Ara-

Arati, & Epimenidis Graecorum Poetarum; non enim ut propheticos citat, ſed ut Graecis oſtendat, quae dicit, non ignota ipſis Graecis fuiſſe.

Prop. XLI. Demonſtratur divinitas librorum veteris Teſtamenti prexophetiis.

§. I. Quum Prophetiae opere completae argumentum ſint perſpicuum Divinitatis, quae per Prophetas loquitur (prop. 39.) ut ex prophetiis demonſtretur, veteris Teſtamenti libros eſſe divinos, id ſupereſt demonſtrandum, eſſe in libris illis prophetias, eaſque opere eſſe completas. Vix ea res demonſtratione indigeret, niſi impudentiſſimi quidam mortalium id pernegare in animo conſtituiſſent. Nullus enim veteris Teſtamenti liber eſt, qui ſi inſpiciatur, non propheticus manifeſto appareat. Veteres quidam Theologi Tertullianus adverſus Marcionem, Cyprianus in libris Teſtimoniorum, Euſeb. Caeſarienſis in demonſtr. Evang. Auguſt. in libris contra Fauſt. Manich. egregie hanc rem pertractaverunt. Acceſſerunt nuper viri plurimi eruditiſſimi Huetius in demonſt. Evang. Prideaux in hiſt. Judaeor. Baldus in defenſ. Prophetiar. aliique. Nos, ne per ſingula eamus, hoc argumento rem conficiemus.

Libri novi Teſtamenti divini ſunt, ex demonſtratis: at in his libris agnoſcitur diſerte, in veteribus illis prophetias eſſe opere completas: ſunt igitur in veteri Teſtamento prophetiae verae. Hujus argumenti minor propoſitio omnibus iis novi Teſtamenti teſtimoniis comprobari poteſt, in quibus veteres prophetiae citantur. Sed inſtar omnium ſit teſtimonium, quod Chriſtus ipſe veteribus Prophetis praeſtat Luc. ult. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti ſunt Prophetae . . . Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis &c.* Magna igitur fuit Epiſcopii impudentia, qui in Matth. cap. 10. ſcripſit: *Prophetias, quae in veteri Teſtamento de Chriſto feruntur, nihil aliud eſſe, quam diſſitas allegorias, quas vi pertrahebant ad Chriſtum Apoſtoli.* Nam ſi id verum eſt non Apoſtoli modo, ſed Chriſtus ipſe, qui

qui prophetias hujuſmodi citavit, ſummus fuit impoſtor, quod horret animus meminiſſe. Sed nec ipſa Epiſcopii doctrina conſentit cum iis, quae idem homo ſuper propheiiis Chriſti diſſeruit adverſus Judaeos in Inſtitutionibus Theologicis.

§. II. Sed objiciunt Deiſtae. Primum non eſſe argumento Scriptorem, qui prophetias enarrat, ipſum fuiſſe virum propheticum. Quum igitur non conſtet prophetias veteris Teſtamenti ab iiſdem auctoribus editas, qui libros ſcripſerunt, non poteſt inde confici, libros illos eſſe divinos. Deinde etiam in libris Ethnicorum praedictiones quaedam opere completae reperiuntur, nec idcirco libri hujuſmodi divini ſunt. Sane vero, ut caeteros omittamus, Titi Livii hiſtoria plena eſt hujuſmodi praedictionibus, quae, ſi Livio ſit adhibenda fides, ita evenerunt, ut dictae fuerunt. Tum Prophetiae, quae in libris veteris Teſtamenti leguntur, ſunt oratoriae comminationes, aut promiſſa generica, quaeque pluribus factis aptari poſſunt.

§. III. Reſpondemus ad primum, quinam ſit Auctor alicujus libri quaeſtionem eſſe facti; ergo una ſupereſt veterum auctoritas, qua definiri queat. Itaque Prophetae illi fuerint, nec ne, Scriptores librorum Hebraicorum, a traditione Eccleſiae Judaicae diſcendum eſt. Tradit autem Eccleſia Judaica maxima conſenſione, canonicos veteris Teſtamenti libros a Prophetis eſſe ſcriptos, ſeu ab iis, qui prophetiarum Auctores extiterunt, ſeu ab aliis, quod perinde eſt, quum unus ſit Prophetarum omnium ſpiritus: ergo procul omni dubio habendum eſt, non tantum prophetias in libris veteris Teſtamentis contineri, ſed Auctores etiam librorum illorum fuiſſe Prophetas ipſos.

§. IV. Quod ſpectat ad alterum argumentum, principio conſtat, Auctores, qui vaticinationes hujuſmodi Ethnicorum continent, non eos fuiſſe qui vaticinia ediderunt, ac proinde nulla eſſe in eo exemplo vim adverſus ſuperius noſtrum argumentum. Sed ne ii quidem, qui ſcripſere, aut ſibi vim propheticam arroga-
runt,

runt, aut ut Prophetae ſunt ullo modo habiti, aut quidquam fecere, unde ſeſe eſſe Prophetas demonſtrarent. Deinde ne vaticiniis quidem Ethnicorum efficitur, verſatum inter eas gentes fuiſſe ſpiritum propheticum, quamquam id conſenſione magna ſibi perſuaſerint Ethnici, quemadmodum obſervat Tullius ſub initium librorum de Divinit. Nam & pleraque Ethnicorum vaticinia confiċta fuerunt poſtquam res eveniſſent, quo non raro ſubindicat Livius, & Tacitus; id quod de prophetiis hebraicis dici nequit, quandoquidem eae deſcriptae extant plura ſaecula, antequam res praediċtae contigiſſent. Et licet fateri velimus Deum munere Providentiae generalis, qua omnia gubernat, immiſiſſe portenta quaedam, ex quibus poſſent populi admoneri impendentium malorum, aut bonorum, quod contendit Elias Benoeſt (a); non inde conficeretur veros Prophetas habuiſſe Ethnicos. Sed & dato etiam ſpiritum propheticum inter Ethnicos verſatum fuiſſe; tantum abeſt, ut id Deiſtarum cauſae faveat, qui conantur hominibus perſuadere nullam eſſe nobis divinam revelationem factam, ut potius omnem hanc Deiſtarum doctrinam funditus convellat. Tota enim cum iis quaeſtio eſt, loquutus ne hominibus ſit Deus.

§. V. Eſſet hic locus de Oraculis, & Carminibus ſybillinis dicendi. Plures viri docti, in primis Antonius Vandalius in diſſert. de Orac. Ethnic., Fontanellius, aliique, in ea fuerunt opinione, omnium Gentilium oracula, meras fuiſſe impoſturas Sacerdotum. Pluribus veterum monumentis demonſtrarunt, in oraculis Jovis Ammonii, Apollinis Delphici, Dianae Epheſinae, aliiſque impoſturas factas fuiſſe. Quid quod erat eadem Democriticorum, Epicureorum, & Ariſtoteleorum veterum ſententia? Oracula omnia deridet Cicero in libris de Divinit. obſervatque omnia fuiſſe *ambigua*, & *flexiloqua*, *ut interpres egeret interprete*. Porphyrius librum refer-

(a) *Obſervat. Crit. in Tolandi Aiſidaemona.*

referſit Gentilium oraculis non anbiguis modo, & ſexiloquis, ſed falſis. Fuerunt autem alli ex veteribus Philoſophis, qui oracula adſcripſerunt Doemonibus, inprimis Platonici, & Stoici, Quumque Doemones facerent animantia aetherea, longaeva quidem, ſed mortalia, inde rationes deſumpſerunt cur oracula ceſſaverint (*a*). Veteres Chriſtiani Patres, etſi intelligerent oracula magna ex parte fuiſſe impoſturas humanas, quam in rem praeclare diſſerit Euſeb. ſub init. lib. v. praepar. Evang., non dubitarunt tamen oraculorum maximam partem doemonibus tribuere. Hanc ſententiam probarunt viri eruditi Radulph. Cudworthus Syſtem. Intell. cap. v. ſect. 1. §. 8. ibique Laurent. Moſshemius not. 1. ad §. 89.

§. VI. Jam vero de Carminibus ſybillinis aeque implicatior eſt quaeſtio. Carmina quaedam ſybillina diu ante natum Chriſtum extitiſſe apud Ethnicos ex tota Ethnica hiſtoria eſt perſpicuum. His alia addita a ſemi-chriſtianis ſub initium ſecundi ſaeculi nemo unus dubitat. Ex utriſque profecta eſt collectio ea Carminum ſybillinorum, quae nunc extat. In hac autem collectione plurima eſſe, quae Chriſti vitam ſpectant, eſt apertum. Illud controvertitur an haec vaticinia de Chriſto in antiquis illis carminibus fuerint ſybillinis, an vero feerint addita a chriſtianis? Negat quidquam de Chriſto in vetuſtis illis extitiſſe David Blondellus in opere Gallico *de Sybillis*. Blondello plures & docti quidem aſſentiuntur. Sed Guillelm. Beveregius (*b*) Humphredus Prideaux (*c*) Radulph. Cudworthus (*d*), quibus accedit Iſaacus Voſſius (*e*), non dubitant quin extiterint veterum ſybillarum carmina prophetica de Chriſto. Et vero in carmine ſybillae Cumanae extitiſſe prophetiam de renovandis pro-
pe-

(a) *Legatur Plutarchus de defectu oraculorum.*
(b) *In cod. Canon. illuſtr. cap.* 14. §. 10.
(c) *In hiſt. Judaeor. to.* 5. *lib.* 9.
(d) *In ſyſtem intell. cap.* 4. §. 16.
(e) *De Sibillinis orac. cap.* 8.

pediem rebus humanis, quem alio deinde flexere Latini, Virgilii locus ex 4. Ecloga extra omnem controverſiam ponit.

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas:
Magnus ab integro ſaeclorum naſcitur ordo:
Jam redit & virgo, redeunt ſaturnia Regna,
Jam nova progenies Coelo delabitur alto.

Si haec extabant in carmine Cumaeae Sybillae, ut extitiſſe indicat Virgilius, non obſcuram ea Chriſti vaticinationem continent. Praeterea in ſecundo de Divinat. teſtificatur Cicero in Sybillinis libris vaticinium extitiſſe de novo inter homines ſtabiliendo imperio, quam quia quidam ad Caeſarem trahebant, vehementiſſime homo republicanus excanduit, & interpretationem execratus eſt. Hoc totum de Chriſti Regno intellectum vult Cudworthus; *Niſi enim*, inquit, *ſedem veluti quamdam, ac fundamentum in ipſa veritate poſitum habuiſſet haec tanta fallacia, eorum ſcilicet, qui caetera carmine Sybillina ad vetuſtiorum ſimilitudinem confinxerint, quemadmodum aut concipi primum, aut deinde longe lateque fluere potuiſſet, temporeque roborari, id vero nullo plane modo intelligitur*. Haec ille. Quae etiam ſi vera ſint, argumentum noſtrum, quo ex Prophetis divinitatem Veteris Teſtamenti conſtabilivimus, non modo non enervant, ſed mirifice confirmant. Non enim pugnat eundem ſpiritum, qui locutus eſt per Prophetas Hebraeos, potuiſſe & apud Ethnicos veritatis Teſtes excitare.

XI. Poſtremum argumentum eos commovere poſſe cenſeo, qui in libris divinis ſunt omnino hoſpites: ſunt enim in iis prophetiae plurimae diſerte ac perſpicue poſitae, nec in concionibus tantum Prophetarum, verum etiam in ipſis libris hiſtoricis. Sed demamus hunc ſcrupulum radicitus, ac ea de re diſſeramus paullo uberius, quo tota illa argumentatio evaneſcat.

AP-

APPENDIX

Ad Superiorem propoſitionem, in qua Argumentum a prophetiis uberius pertractatur.

I. COLLATIS iis omnibus, quae in Superiori Scholio diſputata ſunt, de verorum & falſorum Prophetarum characteribus, facile demonſtrari poteſt, Prophetas omnes Veteris Teſtamenti a Deo fuiſſe miſſos. Demus vetuſtis illis libris non aliam nunc fidem, quam quae ſinceris hiſtoricis tribuitur; neque enim eo impudentiae Deiſtae evadere poſſunt, ut tot libros, tantae inter ſe concordiae, tam mirae ſimplicitatis, inter Romanenſes fabulas amandent: omnem humanum ſenſum oportet prius eos exuere, qui eum in modum aut ineptire, aut furere velint. Quoniam ergo ea fides illis negari nequit, vera erunt & miracula, quibus miſſionem ſuam comprobarunt, & vitae ſanctitas, atque honeſtas, qua illis exemplo erant, quos ad ſimilem adhortabantur. Ac proinde ſecundum, & quartum verorum Prophetarum ſigna in illis inveniuntur. Invenitur & tertium, tota enim eorum doctrina unum Supremum Deum, ejuſque potentiam, ſapientiam, providentiam, bonitatem, juſtitiam praedicat: tota cultum ejus Numinis ſanctiſſimum, & vitae humanae honeſtatem ſpectat. Qua de re is dubitare poteſt, qui libros illos ne fando quidem audivit. Primum ſi acceſſerit ſignum, tum vero amens ſit qui de eorum divinitate dubitat. Itaque hoc demonſtrandum ſupereſt, eorum praedictiones ita contigiſſe, ut dictae erant.

§. II. Quoniam autem tripartita reperiuntur eloquia Prophetarum: *ſiquidem*, verba ſunt Auguſtini (a), *aliqua ſunt ad terrenam Hieruſalem ſpectantia, aliqua ad cae-*

(a) *Lib.* 17. *de Civit. cap.* 3.

caeleſtem, *nonnulla ad utràmque*, *ideſt ad Ancillam proprie*, *& liberam figurate*, ne longiores aequo ſimus, paucas tantum utriuſque generis, & eaſq; per ſumma capita attingemus. Alioquin integro opere opus eſſet, ſi ſingulas comprehendere vellemus. Primum dico ex tota ſerie hiſtoriae Judaicae intelligi ſine ulla haeſitatione, in una hac gente ſpiritum prophetiae ab Abrahamo ad Templum ſecundum perennem fuiſſe in perpetua ſerie prophetarum, ut non ſolum divino ſpiritu percitus, ſed etiam ex fide hiſtorica veriſſime dicere potuerit Pſalmiſta: *Non fecit taliter omni nationi*, *& judicia ſua non manifeſtavit eis*. Qui attente hiſtoriam Judaicam legerit ejuſque ſimplicitatem ab omni impoſturae ſuſpicione abhorrentem obſervaverit, ac veteres prophetias cum recentioribus factis, etiam ab hiſtoria profana enarratis, contulerit, is quod dico quantumvis refractarius nullo negotio ſibi perſuadebit. Luculenter id quoque nuper oſtenderunt & Boſſuet (*a*), & Pridaux (*b*).

§. III. Deinde eventus ipſi id comprobant. Clariores ſeligam, ne quid mutiant profani: Geneſ. 9. 27. Noemus prophetici ſpiritus plenus, *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem*: *ſit Chanaan ſervus ejus*. Id dictum octingentos ſupra annos, quam evenerit, quum nihil dum extaret, ex quo tot nationum conditio praeſciri poſſet. Contingit autem ut dictum erat: nam Chananaei, qui in loco indigitantur, a Chanaan oriundi, a Semitis ſubjugati ſunt. Sed & opere illud aliud completum quod ſequitur verſ. 27. *Dilatet Deus Japhet*, *& habitet in tabernaculis Sem*, *ſitque Chanaan ſervus ejus*. Pars Aſiae Septentrionalis primum quae Japheto orginem debet, ut Bochartus copioſe demonſtrat in Phalegio; deinceps Europaei quoque in Semi tabernaculis habitavere, & Chananaeos ſubjugarunt. Ita qui loca, & hiſtorias veteres probe didicit, narrari videt velut facta, quae tot poſt ſaeculis evenere.

(a) *In Hiſt. univerſ. p. II.*, *& III.*
(b) *In Hiſt. Judaeor.*

§. IV. Geneſeos 12. 2. 3. *Faciam te in Gentem magnam , & benedicam tibi , & magnificato nomen tuum, eriſque benedictus : benedicam benedicentibus tibi , & maledicam maledicentibus tibi , atque in te benedicentur univerſa cognationes terrae .* Illuſtris in primis & nulli exceptioni obnoxia prophetia , cujus ut eventum intelligamus , obſervandum eſt duo in illa contineri promiſſa , quorum alterum terrenam Civitatem , alterum divinum Chriſti Regnum ſpectet . *Advertendum eſt* , ſunt verba Auguſtini (*a*) , *duas res promiſſas Abrahae , unam ſcilicet , quod terram Chanaan poſſeſſurum fuerat ſemen ejus . . . . . . aliam vero longe praeſtantiorem , non de carnali, ſed de ſpirituali ſemine , per quod Pater eſt , non unius Gentis Iſraeliticae , ſed omnium Gentium , quae fidei ejus veſtigia conſequuntur.* Utraque autem promiſſio plene impleta eſt . Nam & Abrahamidae poſt 430. annos Chananitidem pleno jure poſſedere , & ex ſemine Abrahami natus eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter , *in quo omnes Gentes benedicuntur* , per quem ſcilicet unum vita , non haec temporaria , ſed aeterna altera , & feliciſſima inducta eſt . Nam quod Hebraei quidam hoc ita intelligunt , quaſi omnes nationes hebraico imperio ſubmittendae eſſent , nemo non videt quam id perabſurdum ſit . Quae enim iſthaec eſt nationum benedictio , qua illis non bona promittuntur , ſed ſervitus ? praeſertim quum Scriptura cui benedicit imperium promittit , cui maledicit ſervitutem minatur, uti ex infinitis locis colligi poteſt . Sed eſt quod adverſus primam promiſſionem opponunt , non ſemini tantum Abrahae , ſed Abrahae ipſi promiſſam Chananitidem , quam tamen Abraham non poſſederit . Reſpondeo recte dici parentibus dari quod liberis , & poſteris eorum datur parentum ergo . Is praeterea eſt ſtilus Scripturae , ut parentibus dicat datum , quod non poſſedere niſi filii in gratia parentum , ut quum dicitur eadem Cananitidis data Jacobo , Iſaaco ,

(a) *Lib.* 26, *de Civit. cap.* 16.

co, Abrahamo, quae data erat nepotibus in gratiam parentum illorum. Quo modo poſteritas David vocatur David, Jerem. 33. 17. Accedit quod Arahamo primum datum ſit jus in Chananitidem, cujus juris vi poſteri Chananitidem petierunt. Itaque & quod dici *dabo tibi*, praeſens jus ſpectat, nec promiſſio eſt, ſed datio: quod addit; *ſemini tuo*, poſſeſſionem ſignificat, eaque promiſſio eſt, eaque impleri caepta ſub Moſe.

§. V. Accedunt duae aliae promiſſiones eidem Abrahamo factae, quarum altera terrenam tantum Civitatem, altera terrenam & caeleſtem ſpectat. Geneſ. 15. quum dixiſſet Abraham Deo in viſione prophetica, *Ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris domus meae iſte Damaſcus Eliezer erit haeres meus*: ſtatim Deus, *non erit hic haeres tuus, ſed qui egreditur de utero tuo, ipſum habebis haeredem*. Quod & in provectiſſima Abrahami, & Sarae ſenecta, quo tempore omnes naturae rationes prohibebant liberos expectare, factum eſt. Sed & illud Deus addidit. *Aſpice Coelum, & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum*. Id ad utramque Divinitatem pertinet. Nam ex Abrahamo non gens modo Judaica, quae populatiſſima fuit, ſed per Iſmaelem Agareni, ſeu Saraceni provenere. Quumque duodecim Iſmael habuiſſet liberos, Geneſ. 16., a quibus totidem Tribus Arabum exortae, inde infinita illa multitudo pullulavit, quae a mari Rubro uſque ad Babylonem, & ſinum Perſicum vaſtas ſolitudines, & arenoſa deſerta, non tam occupavit, quam implevit. Praeterea populatior alter credentium populus, quorum ille eo foedere conſtitutus fuit pater, in Abrahae lumbis continebatur: *mihi*, inquit, Auguſtinus, *magis videtur promiſſa poſteritas caeleſti felicitate ſublimis* (a). Dum Abrahamo diſtinctius explicat, quae futura eſſet liberorum, & nepotum ſuorum conditio, ac quando demum poſſeſſuri Chananitidem, *Scito*, inquit, (b) *praenoſcens quod pe-*

(a) *De Civit. lib.* 16. 23.
(b) *Ibid.* 10. 13.

regrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua , & affligent quadrigentis annis : verumtamen gentem cui ſervituri ſunt ego judicabo , & poſt haec egredientur cum magna ſubſtantia . Quae ita , ut praedicta erant , eveniſſe ex conſequenti hiſtoria diſcimus .

§. VI. Eandem familiaritatem cum Deo, & participationem divinorum conſiliorum habuit Iſaac Abrahae filius, & utriuſque foederis terreni , & coeleſtis haeres : *Eroque tecum*, inquit Deus Gen. 26. 3. *& benedicam tibi.* Confirmatae eaedem promiſſiones : *tibi enim & ſemini tuo dabo univerſas regiones has . . . . & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Coeli . . . . benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terrae .* Spiritu quoque prophetico Jacobo benedictionem largitur : *De rore Coeli , & de pinguedine terrae , eſto , inquit , Dominus fratrum tuorum , & incurventur ante te filii , Matris tuae .* Gen. 27. 28. 29. Quod ex conſequenti hiſtoria eveniſſe, perſpicuum eſt ; nam praeter abundantiam bonorum Telluris , in qua fuere Iſraelitae in Chanaan , imperium quoque extenderunt in bonam partem ſtirpis Eſaù . Nam Idumaei , quae gens a mari Rubro ad Mediterraneum , & ſinum Perſicum , late protendebatur , ab Eſau quoque originem trahit , magna ex parte ſub Davide per Joabum ſubacti ſunt , deletis omnibus maſculis 3. Reg. 11. 15.

§. VII. Idem porro ſpiritus propheticus perpetuatus in Jacob , ejuſque filio Joſepho . Et Jacobus quidem non modo revelationes propheticas frequentiſſimas habuit in tota vita , verum morti proximus fata ſingulorum filiorum diſtincte enumeravit Gen. 49. *Vocavit Jacob filios ſuos , & ait illis : congregamini , ut annunciem , quae ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis .* Noviſſima , ideſt diſtantiſſima tempora ſpectat , ne qua ſuſpicio oriatur conjicere eum futura ex praeſentibus . Ne per ſingula divager , unam Judae factam indicabo . *Judas te laudabunt fratres tui , manus tua in cervicibus inimicorum tuorum . Catulus Leonis Juda . Ad praedam fili mi aſcendiſti . . . . non auferetur ſceptrum de Juda , & dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus eſt , &*

ipſe

ipſe erit expectatio gentium, ideſt, *erit in quo benedicentur omnes gentes*, quod Abrahae, & Iſaaco divino foedere promiſſum. Duo in his verbis Tribu Judae promittuntur, Imperium in totam Jacobi progeniem, & Siloh, ſeu is, in quo gentes omnes eſſent benedicendae. Poſterius promiſſum duo quoque continet, Meſſiam ex ea ſtirpe naſciturum, & lineam Judae numquam defuturam ad Meſſiam uſque, quod diſertis deinde verbis Davidi promiſit, ut poſtea videbimus. Ea omnia pleniſſime impleta cernimus. I. ſub Davide, Salomone, & eorum poſteris imperium in Chananitidem Tribus Judae obtinuit. II. Numquam ſtirps Judae, ac Davidis defecit ad Meſſiam uſque. III. Ex ea ſtirpe natus eſt Jeſus Chriſtus, expectatio gentium, ſeu in quo gentes omnes benedicuntur. De ſpiritu Joſephi prophetico, vide Geneſ. 41.

§. VIII. Continuatus, atque uberius, & praeſtantiori modo, ſpiritus propheticus in Moſe Reipublicae Hebraicae primo ductore. Id conſtat ex perpetua hiſtoria quatuor reliquorum Pentateuchi librorum. Quinimmo gradus propheticus Moſaicus maximus fuit omnium eorum, qui in veteri Teſtamento obtinuerunt, uti patet ex iis, quae ſupra diximus, traditurque diſertis verbis Deuteron. 34. 10. Tot porro ac tantis miraculis miſſionem ſuam confirmavit Moſes, ut de ea, ne refractarii quidem & contumaces homines ſubdubitare poſſint. Sed operae pretium erit hoc loco de Moſis miraculis paulo copioſius diſſerere. Quum enim revelatio Moſi facta ſit velut fundamentum totius Religionis noſtrae, accurate illa eſt adverſus impios defendenda. Nec id melius, mea ſaltem ſententia, fieri poteſt, quam aſſerta Moſaicorum miraculorum divinitate.

§. IX. Deuteronomii 34. 10. 11. 12. hoc Moſi teſtimonium redditur: *& non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis, quae miſit per eum, ut faceret in terra AEgypti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, univerſaeque terrae illius, & cunctam manum*

robuſtam, magnaque mirabilia, quae fecit Moyſes coram univerſo Jſrael. Hic locus & miracula deſignat generatim, & eas miraculorum circumſtantias, ex quibus intelligitur revera ea miracula facta fuiſſe; appellatur enim teſtis miraculorum Moſaicorum tota AEgyptus, totaque Hebraeorum Reſpublica, coram quibus edita ſunt, ut qui ea inficiari velit, is omnem hiſtoriae fidem deneget neceſſe eſt. Accedit, quod ea miracula ſaepe quoque aut memorantur in poſterioribus Hebraeorum libris, aut ad ea certe alluditur, quod hiſtoriae veritatem extra omne dubium ponit. Siquidem eam hiſtoriam, quae eodem modo narratur a coaevis Scriptoribus, ac deinceps ab iis, qui conſequuti ſunt, conſtat inter omnes eſſe veram. Praeterea, quae ratio afferri poteſt, cur non ſit credendum miracula illa revera facta eſſe? De hiſtoriae enim cujuſque fide dubitare ſine ulla ratione non eſt dubitare, ut alias diximus, ſed dubitare velle: ſcilicet id non intellectus eſt, ſed voluntatis. Ad haec, teſtimoniis quoque exoticorum conſtat Moſem miracula patraſſe. Luculentum eſt illud Numenii apud Euſeb. lib. 9. praepar. Evang. cap. 8. *Deinceps vero* (verba ſunt Numenii) *Johannes, & Jambres, ſcribae rerum ſacrarum AEgypti, quo tempore AEgypti finibus ejecti Judaei ſunt, claruere, viri omnium judicio rerum magicarum ſcientia nemini concedentes: quippe ambo quidem communi AEgyptiorum conſenſu delecti ſunt, qui Muſaeo Duci Judaeorum, cujus apud Deum potentiſſimae preces erant, ſeſe opponerent, adeoque graviſſimas quaſque calamitates a Muſaeo in AEgyptum invectas omnium in oculis diſſolvere potuerunt*. Quibus ex Numenio relatis recte ſubjicit Euſebius: *quibus ſane verbis Numenius quum editorum a Moſe miraculorum, tum divini erga ipſum amoris conſignatam fidem ac teſtatam reliquit*. Plinius qnoque dum (*a*) Moſem inter Magos Judaeos refert id profecto ex hiſtoria mi-

(a) *Lib. 30. hiſt. natural. cap. 1.*

miraculorum Moſaicorum facit. Scitum enim eſt Gentiles inter magos eos adnumeraſſe, qui miracula ederent. Plurima alia congeſſit Huetius (a), & Heduardus Stillingfletus in originibus ſacris (b), quo in loco miraculorum Moſaicorum veritatem adſerit. Tandem ut alia deſint omnia argumenta, illud αποδικτικον eſt, quod ex ipſa Judaeorum in Patris inſtitutis retinendis conſtantia depromitur. Nam ſi quaeratur quae ſit cauſa quamobrem Iudaica Religio in Hebraeorum omnium animis tantas egerit radices, ut evelli nequeat, nulla poterit talia afferri, aut fingi, quam quod qui nunc ſunt a ſuis parentibus, & illi rurſum a ſuis, atque ita porro, donec ad eos veniatur, qui Moyſis aetate vixerunt, certa, ac conſtanti traditione acceperint ea miracula, quae tum alias, tum maxime in ipſo AEgypti exitu, atque itinere, & Chananaeae ingreſſu contigerunt.

§. X. Videamus nunc quae & qualia fuerint Moſis miracula. Non dubitamus, miracula Moſis & quoad modum, & quoad ſubſtantiam, & quoad numerum inferiora eſſe miraculis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui enim utraque contulerit, & facillime quantum inter utraque diſtet intelliget, & ſtolidiſſime Rabbinos illa ſupra miracula Chriſti afferre. Sed fuere tamen talia, ex quibus comprehenditur facta fuiſſe ejus vi, qui imperium in Naturam habet ſummum. Rerum enim naturas, & formas commutare, ſtatus, & perennes Naturae leges mechanicas cohibere, aut immutare, qualitates corporum naturales annihilare, aliaſque inducere, idque in inſtante, ejus certe eſt, cui rerum Natura ad nutum pareat, ideſt Dei. Praeterea huius modi miracula confidentiſſime & eo tempore edere, quo ſunt promiſſa, idque conſtanter ſine ulla haeſitatione, nemo poteſt, niſi aut ſummum habeat in rerum Naturam imperium, quamque moderetur ſola ſua voluntate. Talia

 autem

(a) *Demonſtr. Evang. prop.* 4.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 3.

autem fuere Moſis miracula. Ad ejus imperium aquae in ſanguinem convertuntur, enaſcuntur e pulvere ſciniphes, ex lacubus immenſa ranarum copia, emoriuntur primogeniti, tenebrae fiunt in tota AEgypto palpabiles, mare ſcinditur &c. promittit, exequitur, nec quidquam praeparat: voluntate igitur & ut divina efficit.

§. XI. Sed conſideremus unum, aut alterum accuratius. Tribus diebus tenebrae factae ſunt in tota A Egypto, ita palpabiles, ut juxta ſe poſiti homines ſeſe non conſpicerent: interim in terra Heſſen, quo in loco Hebraei commorabantur, lux erat pura. Si dicamus activitatem lucis ſolaris impeditam fuiſſe quominus A Egyptum illuſtraret: uno miraculo plura continentur. I. Cohibiti radii contra eorum naturam. II. In ſola AE. gypto. III. Illuſtrata interim terra Geſſen. Id is poteſt, cui motus radiorum Solis, ac conſequenter Natura pareat ad nutum. Si vero aſſeramus id factum craſſiori nebula, habebimus alia. I. nulla naturalis nebula in eam craſſitiem naturae vi coaleſcere poteſt: vetat enim id vis aeris, qua ſuſtinetur, ut tirones in phyſicis norunt. II. Fieri naturaliter non potuit, ut undique tam craſſa circumſiſteret, nec regionem terrae Geſſen pervaderet. III. Ea ad hominis nutum nec coaleſcere ſtatim, nec ſtatim ceſſare potuit. Si dicatur fuiſſe ſummum ſubtiliorem & denſum, conſtituendum ſimul eſt, unde emanaverit. Deinde cum gravitatione aeris aut diſſipetur, aut elevetur, producenda eſt cauſa qua fuerit cohibitus. Tum iterum, danda alia cauſa, cur ſola terra Geſſen non fuerit eo fumo adumbrata. Niſi igitur dicatur *divino digito* id factum, nugae proferantur oportet.

§. XII. Apertius idipſum demonſtrat ſciſſio maris Rubri. Nugas agit Joſephus, qui reciprocatione aeſtus marini id factum contendit: tota refragatur hiſtoria Moſaica; ait enim: *& ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus a dexra eorum, & laeva* Exod. 14. 22. Hoc demonſtrat non per littora ab aquis deſerta tranſiſſe Hebraeos,

ſed

ſed per medium aquarum. Id autem ut fieret neceſſarium fuit leges omnes hydroſtaticas cohiberi. I. ut dividerentur aquae. II. ut ſubſiſterent inſtar murorum. III. ut ſubſtratae (neque enim per arenoſum & udum fundum tranſire potuerunt Iſraelitae) ſuſtinerent ſuperpoſita corpora. Tam autem portentoſum fuit hoc miraculum, ut ejus memoria diu apud AEgyptios duraverit. Veterum enim AEgyptiorum traditionem, quam retulit Diodorus Siculus, quondam mare Rubrum penitus fuiſſe exſiccatum, ad Moſis miraculum iſtud pertinere, praeclare obſervatum habet Rollinus in hiſtoria AEgyptiaca. Artapani ejuſdem rei narrationem (a) legeſis apud Euſebium.

§. XII. Proſequamur modo prophetias. Idem ſpiritus propheticus fuit in Joſue Moſis ſucceſſore. Deum enim cum eo fuiſſe, quod Deuteron. 31. 23. illi promiſerat, miracula, quae edidit, demonſtrant, veluti tranſitus Jordanis, excidium Urbis Jericho, Epocha Solis, &c. Primum miraculum hunc in modum deſcribitur. Joſ. cap. 3. 15. *Ingreſſiſque eis Jordanum, & pedibus eorum in parte aquae tinctis (Jordanis autem ripas alvei ſui tempore Meſſis impleverat) ſteterunt aquae deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab Urbe, quae vocatur Adom, uſque ad locum Sarthan: quae autem inferiores erant in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt, uſquequo omnino deficerent . . . omniſque populus per arentem alveum tranſibat.* Qui gravitatem aquae aeris gravitate ſpecifice majorem noverit, qui ejus fluiditatem animo reputaverit, qui fluidorum preſſionem undequaque obſervaverit, is complicata in hoc uno miracula nullo negotio intelliget, agnoſcetque hoc miraculum ejus vi factum, cui Natura rerum pareat. Ignoro autem quo conſilio Joſephus lib. 5. antiq. Judaic. cap. 1. miraculum hoc extenuet, quaſi imminutis aquis, per alveum tran-

(a) *Praeparat. Evang. lib. 9. cap. 27.*

Digitized by Google

tranſierint Iſraelitae: id enim narrationi ſcriptoris divini contrarium eſt. Nec ſine peculiari Dei cura divinum Scriptorem addidiſſe cenſeo, Jordanem id temporis ripas praetervectum, ne ſcilicet quemquam alterum frigida illa Joſephi ſuſpicio inceſſeret. Similia obſervare licet in expugnatione Jerichuntis.

§. XIII. Sed miracula omnia excedit Solis Εποχή. Hoc enim miraculum fieri non potuiſſe, niſi a Deo, qui totum ſyſtema mundanum voluntate ſua moderatur, vel tironibus Aſtronomiae perſpicuum eſt. Nec nunc diſputo, Sol ne ſteterit, an Tellus: ei controverſiae hìc non eſt locus. Id aſſero, ſeu Sol, quod veteres putant, ſeu Tellus, ut recentes Aſtronomi contendunt, ſtetit, idem *ſubſtantia* eſſe miraculum. Miraculum autem praeſtantiſſimum. Motus Solis cum motibus aliorum ſyſtematis planetarii planetis harmoniam facit, ut non poſſit Sol conſiſtere, quin caeterorum conſiſtat; alioquin incredibilis totius ſyſtematis perturbatio oritur. Itaque primum miraculum fuit cohibere planetarum omnium hujus ſyſtematis motum. Conſtat hic motus temperatione virium centripetarum, & centrifugarum, ut patet: utrumque ergo cohibere neceſſe fuit, ac corpora omnia hujus ſyſtematis ad primam ſui originem revocare. Deinde quum ſuapte natura nullum corpus a motu ad quietem tranſire poſſit, eadem vi, qua primum mundana corpora ad motum impulſa ſunt, iterum impelli oportuit, eademque ſapientia utraſque vires temperari, ut harmonice conſpirarent. Ita hoc factum mihi par creationi mundanae videtur.

§. XIX. Non ſum ignarus, quot ſunt commenti homines profani ad hoc miraculum diluendum. Grotius ad hunc locum ſcribit, fieri potuiſſe, ut poſt Solis occaſum ſpecies ejus in nube ſupra horizontem extante per repercurſum oſtenderetur, ideſt fuiſſe *parhelium*, ut Phyſici vocant. In eadem ſententia verſatur fabulator Praeadamita Peyrera (*a*). In eandem inclinavit & Cle-

(a) *Par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5.

Clericus (ad Joſue cap. 12. 13.). Sed primum Hiſtoriae Sacrae apertum bellum faciunt Auctores iſti: ſcriptor divinus habet: *Stetit Sol in medio Coeli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*. Joſu. 10. Idemque repetitur Eccleſ. 46. 5. *An non in iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Parhelii autem, & quidem interdiu, vix quatuor horarum ſpatio perdurant, uti conſtat ex obſervationibus Hevelii, Hugenii, Caſſini, aliorumque Philoſophorum: occidente autem Sole brevius durent neceſſe eſt: generantur enim in atmoſphaera aerea non procul a Tellure, ut inde conſtat manifeſto, quod vix in duobus locis, quamvis parum diſſitis, ſimul non conſpiciuntur. Nam Parhelii, inquit Muſchembroechius(a), qui Harlemii, anno 1734. Februarii 12. viſi ſunt, nequaquam apparuerunt Ultrajecti, ut & Paraſelenae conſpectae Leydae inconſpicuae fuere Ultrajecti. Itaque vicini Telluri pinguntur parhelii, ac proinde ſtatim poſt occaſum ſolis diluantur neceſſe eſt: tantum abeſt, ut ullo modo per integrum diem durare poſſint. Deinde Parhelii, & Paraſelenae locis, ac temporibus frigidis conſpiciuntur, quum ſcilicet nubes denſiores ſunt, & aptae reflectendae ſolis imagini: at nec locus, qualis eſt Palaeſtina, nec tempus, quod erat meſſis, ideſt aeſtas, hic congruunt. Nec dicatur praeceſſiſſe grandinem, qua ad internecionem uſque quinque Regum exercitus deletus eſt: fuit enim grando miraculoſa, quod exinde conſtat, quod nulla in parte exercitum Joſuae laeſit, qui poſtremum hoſtium agmen inſequebatur. Tum Parhelii, & Paraſelenae eodem tempore naturaliter contingere nequeunt, potiſſimum interdiu: Lunae enim radii imbecilliores ſunt quam ut interdiu ita e nubibus reflecti poſſint, ut Paraſelenem faciant, quum Luna ipſa vix radiis directis alto Sole conſpiciatur. At ex narratione Joſuae conſtat, Lunam aeque ac Solem con-

(a) *Elem. phyſ.* §. 1297.

conſtitiſſe. Plura alia obſervari poſſent, quae brevitatis gratia omitto. Intelligitur hinc naturalium rerum ſcientiae imperitiſſimos ſe prodere, qui ad Parhelios, & Paraſelenas confugiunt.

§. XV. Sub judicibus a Joſue ad Samuelem idem in Iſraelitas perſtitit Dei favor, eadem peculiaris cura. Fuere & viri Theopneuſti, & miracula ingentia patrantes, quod in hiſtoria Judicum accurate deſcriptum eſt. In Samuele vero uberior ſe ſpiritus propheticus manifeſtavit. Principium ejus revelationum minae fuere in Heli, ac domum ejus 1. Reg. 3. 11. & ſeqq. (, quae ita omnes completae ſunt, (ibid. cap. 4.), ut tum de hac, tum de omnibus Samuelis prophetiis ſcribatur, *& non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. Ibid. cap. 3. 19. Claritas ſpiritus prophetici Samuelis eſt inſignis: futura contingentia praedicit, tamquam qui facta, aut praeſentia narrat. Minutiſſimas circumſtantias attingit, & quas vix quum contingunt oculi cernant. Legatur cap. 10. libri ejuſdem 1. Reg. a verſ. 1. ad 7. Jam ſub Davide nobiliſſimi celebrantur Prophetae, qui in Regum libris memorantur, & ex quorum ſcriptis ut ſupra diximus, libri Regum collecti videntur. David ipſe omnium celeberrimus extitit Propheta. Ejus prophetiae de Meſſia plures ſunt, & memorabiles. Totus Pſalmus ſecundus propheticus eſt, quod Apoſtoli agnoſcunt Act. 4. ad Hebr. 1. & 5. Nam & perſecutionem Principum adverſus Chriſtum, ejuſque doctrinam graphice deſcribit: *Aſtiterunt Reges terrae, & Principes convenerunt in unum; adverſus Chriſtum ejus*: & aeternam Meſſiae generationem: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te*: & Regnum ejus in omnes gentes: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes in haereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terrae*. Nugas autem agunt, qui Davidi ipſi haec omnia aptare conantur; eſt enim cothurnos Herculis, ut dicitur aptare infanti. Sunt ejuſdem generis alii plures, ut CIX., in quo Jeſu Chriſti Regnum & Sacerdotium deſcribuntur, uti conſtat ex teſtificatione Novi Teſtamenti

Matth.

Digitized by Google

Matth. 22. Act. 2. ad Corinth. 1. cap. 15. Ad Hebr. 1. 5. 7. 10. & Pſalm. LVIII. in quo Chriſti paſſio praedicitur, ac quaſi narratur facta, cujus verſiculos aliquot citantur in novo Teſtamento Johann. v. 15, 17, 25, 29. Act. 1. 2. 20.

§. XVI. Sed & ſub Davide, & Salomone praeclari plures fuere prophetae, quorum ſcripta perierunt, uti Nathan, & alii. Ipſe Salomon inter prophetas, adnumerari jure poteſt, ſi Prophetae ut dixi, nomine accipiamus eos omnes, ad quos verbum Dei factum eſt. Nam Salomoni ſub initium Regni *apparuit Dominus per ſomnium nocte* 3. Reg. 3. 5. Quo eodem loco dicitur *datum Salomoni cor ſapiens, & intelligens, in tantum ut nullus ante eum ſimilis fuerit ei, nec poſt eum ſurrecturus eſſet*. Idipſum probant ejus libri, qui inter divinos ab Hebraeis ſemper ſunt habiti. Ejus Canticum totum eſt propheticum, quod Patres accuratiſſime demonſtrarunt. Res eſſet operis prope infiniti huc omnia conferre. Unum addo, Ethnicis ipſis Scriptoribus celebratiſſimam fuiſſe Salomonis Sapientiam. Joſephus (*a*) contra Apionem locum inſignem profert Dii hiſtorici Phoenicii, ex quo conſtat enigmata ſublimis Sapientiae inter Salomonem, & Hiromum miſſitata, victore Salomone. Memorat eamdem utriuſque Regis contentionem Menander Epheſius, qui res tum Barbarorum, tum Graecorum Regum perſcripſit, cujuſque illuſtrem locum idem profert Joſephus, at contractius Theophilus Antiochenus (*b*): eiuſdem rei plures alios hiſtoricos memorant Tertullianus (*c*) & Clemens Alexandrinus (*d*): ut, quum Auctores iſti eo ſcripſerint tempore, quo nondum tot veteres codices perierant, de re nullo modo dubitare poſſint profani homines.

§. XVII.

(a) *Lib.* 1.
(b) *Lib. ad Autolic.* 3.
(c) *In Apologet. cap.* 29.
(d) *In* 1. *ſtrom.*

Digitized by Google

§. XVI. A Salomone ad captivitatem Babylonicam ſolutam tota illa prophetarum copia, quorum ſcripta recenſuimus, ac habemus in Judaeorum & Chriſtianorum Canone, floruere. Eorum vero prophetiae, quum quae ſpectant terrenam Civitatem, tum praeſertim quae Coeleſtem, inſignes ſunt, & illuſtres, ac tales, ut ex ipſa prophana hiſtoria earum eventus comprobentur, quod in ſua Judaeorum, vicinarumque nationum hiſtoria copioſe agit, quem ſaepius citavimus, Humfredus Pridaux. Affirmare confidenter poſſumus nunquam alias ſpiritum propheticum in Gente Hebraea tantum fuiſſe familiarem, quam toto hoc temporis intervallo. Prophetiarum paucas exempli loco proferam. Captivitatem Babylonicam omnes ferme praedixere, ac excidium utriuſque Regni Samariae, & Judae, alibi quidem generatim, alibi vero diſtincte, minutiſſimas quoque circumſtantias deſignantes, ut qui totam hanc Hebraica hiſtoriae periodum penſiculate examinaverit, ac cum Egyptiorum, Syrorum, Aſſyriorum, Babiloniorum, Medorum Hiſtoriae id temporis fragmentis, quae ex Ethnicis ſuperſunt, contulerit, non poſſit non manifeſte intelligere, quod in divinis libris ſcriptum eſt, & *nullam nationem habuiſſe Deos, tam appropinquantes ſibi*, quam verus Deus Hebraeis, & Deum *nulli alteri nationi feciſſe ſimilitee, ac judicia ſua eis manifeſtaſſe*. Haec tantum hiſtoriae Judaicae periodus refractarios & contumaces omnes, ſi ſerio animum advertant, plene convincere poteſt.

§. XVIII. Memoremus autem quaedam diſtinctius. Quum Jeroboam Rex Iſrael ſacrificaret in Altare, quod erexerat in Bethel: *Ecce vir Dei* (ideſt Propheta) *venit de Juda, & exclamavit contra Altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, haec dicit Dominus: Ecce filius naſcetur Domui David, Joſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes Excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet*. 3. Reg. 13. 1. & ſeqq. quod trecentis poſt annis completum eſt, quum Joſia Rex ſapientiſſimus Judaeam a veteris ſuper-

ſuperſtitionis monumentis repurgavit 4. Reg. 23. Quum duo Reges Damaſci Reſin, & Samariae Phare conjuraſſent adverſus Achaz Regem Judae, Iſaias propheta „ ad Achazum mittitur, qui ei diceret, noli timere, & „ cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumi„ gantium iſtorum . . . Haec dicit Dominus Deus, non „ ſtabit, & non erit iſtud, ſed caput Syriae Damaſcus, & caput Damaſci Reſin, & adhuc ſeaaginta & quinque anni & deſinet Ephraim eſſe populus. Iſa. 7. quod exacte contingit vigeſimo ſecundo anno Regni Manaſſis Regis Judae ſub Aſſaradone Aſſyriae & Babyloniae Rege. Pluribus haec deducit Pridaux (*a*) ad annum 677. ante Chriſtum Everſionem Ninivis, quae caput erat imperii Aſſyrii, tres Prophetae Jonas cap. 3. Nahum cap. 2. & 3. Sophonia cap. 2. 13. diſerte praedixerant. Quadraginta dies everſioni conſtituerat Jonas: ſed eſt dilata ob poenitentiam Aſſyriorum. Nahum ruinas Ninives ſigillatim indigitat, deinde concludit v. 7. *& erit omnis qui viderit te, reſiliet a te, & dicet, vaſtata eſt Ninive*. Id contigit vigeſimonono anno Joſiae Regis Judae, & vigeſimo tertio Ciaxaris Regis Medorum. Conjunctis enim armis Aſtyages filius Ciaxaris, & Nabopolaſſar Rex Babyloniorum captam Ninivem ſolo aequarunt, ac Saracum interfecerunt (*b*). Strabo (*c*). Alexander Polyhiſt. apud Sincell. (*d*). Euſebius (*e*). Prophetavit autem Nahum ſub Manaſſe, quod conſtat ex perpetua Hebraeorum traditione, ac proinde quinquaginta circiter annis ante Ninives everſionem praedixit, quo tempore nihil tale ſuſpicari homines poſſent a Babyloniis, quum utrumque Regnum, Babylonis, & Ninivis ſub eodem imperio eſſet.

§. XIX.

(a) 1. *p. lib.* 1.
(b) *Lib.* 1.
(c) *Lib.* 16.
(d) *Pag.* 210.
(e) *In Chron. pag.* 124.

§. XIX. Sub Joachim Joſiae filio perditiſſimo Principe, Jeremia, Oria, Habacuc, Sophonia everſionem Regni Judeae imminentem praedicare coeperunt. Habacuc, & Jeremia addunt Chaldaeos futuros irae divinae adminiſtros (Habacuc 1. 6. Jeremia pluries). Sed & eam addit Jeremia circumſtantiam: ſeptuaginta annis Judaeorum captivitatem duraturam (Jeremia 25.) Proferamus Dei verba: *Pro eo quod non audiſtis verba mea, ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus., & Naduchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum, & adducam eum ſuper terram iſtam & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes nationes, quae in circuitu illius ſunt . . . . & erit univerſa terra haec in ſolitudinem, & in ſtuporem, & ſervient omnes gentes iſtae Regi Babylonis ſeptuaginta annis. Quumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldaeorum, & ponam illas in ſolitudines ſempiternas*. Quae ſuo omnia tempore plene evenerunt. Haud enim multo poſt Nabuchodonoſor Jeroſolymam occupavit, & Regem quidem tributarium reliquit, ſed nobiles plurimos cum magno gentis numero Babylonem captivos duxit. Quum vero Joakim ſceleſtior in diem evaderet, tantum abeſt ut reſipiſceret, Prophetaſque Jeremiam, & Baruc, quod non deſiſterent imminentes ruinas praedicere, ad internecionem quaereret, tandem Babyloniorum armis Jeroſolymis obſeſſus anno Regni ſui undecimo interfectus eſt. Jechonias ejus filius quum adhuc Jeroſolymorum obſidio ferveret, creatus Rex, ſed paternorum ſcelerum imitator, catenis onuſtus Babylonem captivus ductus eſt cum magna populi parte. Reliquus populus Sedeciam Regem conſtituit filium Joſiae. Non is meliore ingenio fuit: itaque undecimo ejus Regni anno tandem Jeroſolyma, & templum incenſa fuere, quum minutiſſima quaeque, quae evenerunt, diſtinctiſſime praedixiſſet Jeremia. Tunc elapſis ſeptuaginta annis ſub Cyro reliquae duae prophetiae partes impletae ſunt: Judaei

nempe

nempe ad patrios lares redierunt, & Regnum Babyloniorum everſum eſt, omnia ſubigente Cyro. Qui attente totam hanc hiſtoriam cum prophetiis Jeremiae confert, is nequit non videre, quam clare omnia divino ſpiritui pateant, quam ille res diſtincte per Prophetas ſuos praedixerit, ac non totam hanc Prophetarum ſeriem venerari. Dicam quod ſentio: numquam haec ſine ſacro quodam horrore lego: toto inde commoveor animo, dum tempora omnia, temporumque minutiſſimas quaſque res aperta & nuda Deo recolo: nullumque habeo praeſentiae divinae inter Hebraeos Prophetas argumentum illuſtrius idem, & ineluctabilius.

§. XX. Jam eadem obſervari poſſunt in Danielis prophetia. Ejus praedictiones id peculiaris quoque habent, quod tempora diſtinctius, quam caeteri Prophetae, deſignent. Series Monarchiarum, earumque praecipua facta eo ordine in Danielis prophetia praedicuntur, quo diſtinctiore Hiſtorici coaevi, & qui ſecuti ſunt, numquam narrarunt. Id Porphyrius ipſe infenſiſſimus Chriſtianis agnovit, uti B. Hieronymus *praef. in Danielem* adnotavit. Is enim perſuadere ſibi non potuit praedictiones illas eſſe, ac non hiſtorias geſtarum rerum. Quod utcumque abſurdum, quoniam Hebraei *capſarii* noſtri, ut Tertullianus vocat, a Babylonica captivitate Danielis librum circumgeſtant; tamen hoc demonſtrat, quanta cum claritate, & diſtinctione futura Prophetae huic innotuerint. Elementorum anguſtiae prohibent me eſſe longiorem: ac vereor ne paucis his exemplis faſtidium longitudinis delicatioribus creaverim. Sat igitur ſit ad fontem digitum intendiſſe. Omitto praeterea prophetias quae coeleſtem tantum Civitatem ſpectant, & quod infinito pene ſunt numero, & quod ordine digeſtae ab Huetio, & a nobis in V. tandem Elementorum Chriſtianae Theologiae libro, ſi ea ſtudia, a quibus odia theologica me dudum abalienaverunt, repetere iterum inceſſat cupido, proferentur. Patet vero hinc, niſi toto coelo aberro, ſpiritum propheticum perenniter verſatum eſſe inter Hebraeos; ac proinde, aut eſſe ſtu-

pidos, qui divinitatem librorum veteris Teſtamenti negant, aut refractarios, & contumaces.

Prop. XLII. In qua eorum argumentis reſpondetur, qui veteris Teſtamenti divinitatem oppugnant.

§. I. Quae adverſus vetus Teſtamentum oppoſuerunt quum veteris Chriſtiani nominis hoſtes, Celſus, Porphyrius, Fauſtus, Julianus, tum recentes Deiſtae, ad duas claſſes referri poſſunt. Prima continet argumenta, quae ex eo ducuntur, quod Auctores veteris Teſtamenti, quaedam narrent, quae cum perfectionibus Dei pugnant; ex quo deducunt, eos ſpiritu Dei plenos non fuiſſe quum haec ſcriberent. Id autem ſic probare conantur.

I. Moſes Deum inducit ſex dierum ſpatio Mundum fabricatum eſſe, & die ſeptimo requieviſſe, quod eſt Deo indignum, qui pro ſua omnipotentia, opera ſua in inſtanti perficit, quippe qui voluntate operatur, non ullis phyſicis inſtrumentis; quae vero voluntate fiunt omnipotente, in inſtanti fiunt, ut ne fieri quidem poſſint ſucceſſive.

II. Scribit Deum poenituiſſe, quod hominem feciſſet, *tactum dolore cordis intrinſecus*; quod Dei praeſcientiae juxta & immutabilitati adverſatur.

III. Scribit, Angelos cum foeminis concubuiſſe, & genuiſſe gigantes, quod pugnat cum ſpirituum natura, qui nec generari, nec generare poſſunt.

IV. Deum gaudere ſacrificiis animantium, & odorari odorem ſuaviſſimum holocauſtorum, quod repugnat Dei incorporalitati.

V. Deum deſcendiſſe de Coelo, quod ejus immenſitati contrarium eſt.

VI. Deum iraſci, & placari, quae iterum evertunt ejus immutabilitatem.

VII. Facit Deum omnibus membris humanis, & affectibus praeditum.

VIII. In toto Pentateucho nulla fit mentio neque immortalitatis animorum, neque alterius vitae, quod agnoſcit Auguſtinus.

IX.

Digitized by Google

IX. Sententiae, & cogitata, quae leguntur in Pentateucho non tantum nihil ſapiunt mentis divinae, ideſt ſapientiſſimae, ſed humiles ſunt, & vulgares, quaeque ſpiritum humanum Auctoris arguunt.

Ex his ita concludunt. Quum Pentateuchus non ſit divinus, ne divini quidem erunt alii libri veteris Teſtamenti, qui omnes in Pentateucho, velut in communi fundamento, inaedificati ſunt. Atque haec ſunt prima veteris Teſtamenti adverſariorum argumenta. Talia nempe, quae aut a pravitate mentis oriuntur, aut ab ignoratione divinarum ſcripturarum, ita ut iis, qui mediocriter in ſanctis ſcripturis verſati ſunt, retuliſſe, ſit confutaſſe.

§. II. Ut autem iis omnibus reſpondeamus, omnium primum obſervandum eſt, ſtilum eſse Scripturarum ſacrarum perpetuum, res divinas humanarum rerum ideis, vocabulis, phraſibus explicare, loqui de Deo ejuſque operibus ἀνθρωποπαθῶς ideſt humanum in morem, & humana lingua. Ejus ſtili ea eſt ratio, quod omnis ſcriptura ad hominis inſtitutionem data eſt, ut docet Paulus ad Romanos 15. Ergo ea debet eſse talis, ut ab hominibus facile intelligatur; quod non fit ſi Deus ex aeternis ſuis ideis, non ex humanis, & lingua divina, non lingua filiorum hominum, inquit eleganter Maimonides, homines alloquatur. Agit igitur Deus cum hominibus, quemadmodum ſapientes homines cum infantibus, & idiotis, a quibus ut intelligantur linguam idiotarum loquuntur. Quod ſi Rhetores monent, ut Oratores, qui intelligi poſſint, ſimilitudinibus utantur ex iis artibus, profeſſione, vita, quibus utuntur ii, apud quos loquuntur, par eſt ut idipſum cum hominibus efficiat Deus, ſi quidem ab illis intelligi vult, quod profecto vult. Itaque praeclare pronunciat Auguſtinus (a), *Sanctae Scripturae non temerarios, & ſuperbos accuſatores, ſed diligentes, & pios lectores deſi-*

(a) *In lib. contra Adimantum Manichaeum.*

derant. Non igitur impia tantum, ſed tota ineptiſſima eſt Auctoris libri *Examen Religionis*, qui ſuperioribus annis apud Anglos prodiit gallice, argumentatio, qua ex Scripturarum ſtilo earum divinitatem impetit.

§. III. Quibus poſitis facile hiſce objectionibus reſpondetur, quas praeſertim Fauſtus Manichaeus apud Auguſtinum evomuit. Ad primam: Deum omnia quidem ſimul facere potuiſſe, ſi voluiſſet, quod clariſſimis argumentis oſtendit: nam ut dixit: *Fiat lux*, *&* *facta eſt lux*, Geneſ.1. ita potuit dicere *fiant univerſa*, & repente univerſa extitiſſent: rationes autem cur noluit, & plures eſſe potuerunt, & noſtra non intereſt curioſius inveſtigare. Quid ſi dicamus libertatem ſuam in creatione rerum & creandi modo oſtendere voluiſſe? Sed, inquiunt; quae ſola voluntate fiunt nullis externis inſtrumentis adhibitis, ut in inſtante fiant, neceſſe eſt. Verum id quidem, dum res per puram creationem fiunt: itaque mundana materia in inſtanti a Deo creata eſt, quemadmodum Theologi omnes conſentiunt: contra vero quum res ex creata materia mechanicis legibus educuntur; ſcilicet tunc nihil vetat ſucceſſione quadam educi, ſi id auctori placeat.

§. IV Quod ſpectat ad ſecundam objectionem, eo in loco loquitur Moſes humanum in morem. Verbis ergo illis, *poenitet me feciſſe &c.* mutatio rerum ſignificatur, immutabili praeſcientia divina manente. Vide Auguſtinum (*a*). Egregia quoque ſunt, & lectu perneceſſaria, quae idem Pater ea de re alibi ſcribit (*b*). Ponam ejus verba quae ſunt elegantiſſima, & pulcherrima. *Divinae*, inquit, *ſcripturae a terreno & humano ſenſu ad divinum, & coeleſtem nos erigentes uſque ad ea verba deſcenderunt, quibus inter ſe ſtultiſſimorum etiam utitur conſuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noſter*

(a) *De Civit.*17. 17.
(b) *Lib.*83. *qq.* *q.*52.

noſter patitur, quaſque longiſſime a Deo eſſe ſejunctas jam qui melius ſapit intelliget, non dubitaverunt illi viri, per quos locutus eſt Spiritus Sanctus, opportuniſſime in libris ponere: uti v. g. quoniam difficillimum eſt, ut aliquid homo vindicet ſine ira, vindictam Dei, quae omnino ſine illa perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt. Item quia conjugis caſtitatem caelando viri cuſtodire conſueverunt, illam Dei providentiam, per quam praecipitur, atque agitur, ne anima corrumpatur, & Deos alios, atque alios ſequens quodammodo meretricetur, zelum Dei appellaverunt: ſic & manum Dei vim, qua operatur: & pedes Dei vim, in qua in omnia cuſtodienda, & gubernanda pertendit: & aures Dei, vel oculos Dei vim, qua omnia percipit, atque intelligit: & faciem Dei vim qua ſe manifeſtat, atque dignoſcitur: & caetera in hunc modum: Propterea ſcilicet, quia ad quos ſermo fit, & manibus ſolemus operari, & pedibus incedere, & quo fert animus pervenire, & auribus atque oculis caeteriſque ſenſibus corporis corporalia percipere, & facie innoteſcere, & ſi quid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam mutare coeptum aliquod, & in aliud transferre non facile ſolemus niſi poenitendo, quamquam divina providentia ſerena mente intuentibus appareat, cuncta certiſſimo ordine adminiſtrare, accommodatiſſime tamen ad humilem humanam intelligentiam, quae incipiunt eſſe, neque perſeverant, quantum perſeveratura ſperata ſunt, quaſi per poenitentiam dicuntur ablata? O praeclara!

§. V. Quae ſequuntur objectiones uſque ad nonam imperitiem eorum ſatis demonſtrant, qui Scripturas ſacras criminantur. Nam tertia nata eſt ex errore Amanuenſium, aut librariorum illapſo in quibuſdam codicibus verſionis τῶν ſeptuaginta: in iis enim pro υἱοὶ τοῦ θεοῦ Filii Dei, irrepſit Ἄγγελοι τοῦ θεοῦ Angeli Dei. Inde quidam vetuſti Patres decepti fabulam illam vulgaverunt de connubio Angelorum, & foeminarum. Caeterum filii Dei in eo Moſis loco ii ſunt, qui de ſtirpe erant Seth, ideſt pii homines, quum filii hominum dicerentur Caini-

 tae,

Digitized by Google

tae. Vide S.Auguſtinum (*a*), & Calmet in eum Geneſis locum. Itaque S. Johannes Chryſoſtomus homil. 20. in Geneſim priorem illam opinionem fabulam inconſiderate loquentium & abſurdam, & blaſphemam vocat. S.Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Geneſim, *quo pacto*, inquit, *non ſtultitiae proximum ſit dicere, ſpiritus carne ſuperiores, ab eaque ſemotos carnalium amore tangi?* Prolata deinde eorum conjectura, qui cenſent doemones ope alieni ſeminis gignere poſſe, concludit *abſurdam, ac ignorantiae plenam eſſe eorum ſententiam*. Theodoretus interrog. 47. in Geneſ. *Quidam*, inquit, *nimis ſtupidi, & ſtolidi exiſtimaverunt eos Angelos eſſe, putantes ſuae forſan intemperantiae patrocinium ſe habituros, ſi Angelos ejuſdem criminis reos tenerent*. Tandem Philaſtrius, ut eſt ille paulo ſeverior (*b*), inter haereſes eam opinionem recenſet. Ac certe mirum eſt eam potuiſſe inter recentiores Theologos patrocinium reperire. Inter alios enim Franciſcus Valdeſius in eo libro, quem perſcripſit *de ſacra philoſophia* (*c*), Filios illos Dei doemones malos habet, eoſque generaſſe applicando, ut Scholae ajunt, *activa paſſivis* conjicit. Qui nec Scripturae ſe valde peritum oſtendit, nec in phyſicis verſatum. Nam ut Scripturam omittam, cujus apertiſſima eſt ſententia, ſi conſequentia cum antecedentibus conferantur, notum eſt gigni homines non poſſe naturaliter, niſi humano ſemine. Fabulae enim ſunt ſemine aliorum animantium aliquando foeminas concepiſſe. Quo magis fabulae erunt vi doemonum, qui aut nullum corpus habent, quod cenſeo, aut non tale habent, quod ſemen facere poſſint animale, concipere eos poſſe? Minus quoque veriſimile eſt alienum ſemen tranſplantatum ſatis habere efficaciae ad gignendum. Sed nolo haec nimium ad vivum reſecare, quae neſcio quid intemperantiae habent.

§. VI.

(a) *De Civit.* 15. 23.
(b) *De haereſib. cap.* 59.
(c) *Cap* 8.

§. VI. Quarta jam, quinta, ſexta, & ſeptima objectiones ſtilo ſcripturarum humano inaedificantur, adeoque ex iis, quae dicta ſunt in §. 2. facillime refelluntur. Ex ſuperioribus refellitur & 11. 9. in qua potiſſimum recentes Deiſtae triumphare ſibi videntur. Et vero omnium mortalium imperitiſſimus in ea objectione mihi videtur Spinoza. Divinae ſcripturae finis eſt hominem ad vitam aeternam inſtituere, uti ex Apoſtolo paſſim eſt adnotatum. Inſtituere autem aliquem eſt ei eam doctrinam, & ſapientiam communicare, cujus eſt ille capax. Itaque praeclare ac ſapienter cum Diſcipulis agunt Magiſtri, dum aetati, indoli, capacitati eorum ſeſe aptent; dum ea, quae ignorant, eorum, quae ſciunt, notionibus explicant, dum ſimilitudinibus iis utuntur, quae magis ſunt auditoribus familiares, veluti e mari deſumptis cum nautis, ex agris cum paganis hominibus. Geometrae facile quidpiam, quod ille ignorat, exemplo geometrico indideris: Juriſperito exemplo Juris prudentiae. Quoniam ergo Deus intelligi volebat ab hominibus, quos alloquebatur, alioquin nulla fuiſset cauſa, quamobrem loqueretur, aptare ſe voluit hominum capacitati, indoli, moribus, notionibus. Quinimmo quum agreſtes eſsent Judaei, & rudes, tanto ille magis ſe dimiſit, & ad ſenſum humanum deſcendit. Fac illum linguam aeternam locutum eſse, perinde fuiſset, ac ſi nunquam eſset locutus. Huc ſpectat Pauli Apoſtoli admonitio; *oportet fieri omnia omnibus*. Et quemadmodum, inquit paſſim & praeclare Chryſoſtomus, non omnes piſces eodem hamo, aut rete capiuntur, ita non iiſdem omnes homines probationibus, & ſententiis. Debuiſſet igitur profanus hic homo Divinae Providentiae oeconomiam admirari potius, & commendare, quam ſtultiſſime calumniari. In octava autem objectione confutanda non multum opere ponemus. Nam Moſes dum illa tacet, non ea profecto negat: quocirca non video quid ex ejus ſilentio adverſus Pentateuchi divinitatem concludi poſſit. Quid autem cauſae fuit, quod tacuerit, ad nos inveſtigare non ſpectat. Id ſcimus, Deum non omnia ſimul

Digitized by Google

hominibus revelaſſe, ſed ſucceſſione quadam ſecundum aeternae providentiae, & ſapientiae ſuae arcana; ſed dictum ea de re in II. parte.

Quaereretur autem hoc in loco, quid cauſſae fuerit cur ſpiritus divinus, qui loquebatur per prophetas, ad humilia quandoque, nec majeſtate divina digna, nec ad mores & Dei cultum pertinentia ſeſe demiſerit. Id videntur indignari Deiſtarum quidam; nec tamen animadvertunt, ſe oeconomiae Gentis Judaicae plane oſtendere imperitos. Eſt omnibus velut congenitum futuri deſiderium: inde factum ut tot id inter veteres nationes excitaverit falſos vates, qui eo lubentius audiebantur, quod non de Religione modo praedicabant, ſed de vitae quoque negotiis reſpondebant. Inter eas, & quidem ſuperſtitioſiſſimas, diu verſati erant & innutriti Judaei. Itaque difficile erat cultum illis religioſum dare, qui nihil divinationis haberent: aſpernati continuo fuiſſent velut minime divinum, ac quod ob leviores alias cauſas faciebant ſaepe & ſtultiſſime, tranſiſsent in vicinarum Gentium Religiones. Quare ut in obſequium continerentur non ſermones tantum de moribus & religione divinos, ſed de vitae quoque rebus Prophetis ſpiritus ille Dei dictabat. Quocirca reperies & de Aſinabus Saulis reſpondiſſe Samuelem, & de rebus aliis exigui momenti Prophetas alios. Eſt hoc Origenis praeclare obſervatum in 1. contra Celſum cap. 9. pag. 28. q. 1. edit. Spenlei.

Secunda argumentorum claſſis.

§. VII. Tranſeamus nunc ad ſecundam objectionum claſſem, quae continet argumenta deſumpta ex inveriſimilibus, ut inquiunt, narrationibus. I. Verum eſſe non poteſt, inquiunt, conditum a Deo Paradiſum, ex quo quatuor illa flumina exirent, Phiſon, Gehon, Tigris, & Euphrates. Nam haec flumina ex nullo communi fonte naſcuntur, ut iis notum eſt, qui Geographiam primoribus labris deguſtarunt.

II. Mi-

II. Minus quoque foeminam factam de coſta Adae.

III. Serpentem collocutum cum Eva, & quidem ſublimes ſermones de bonis, ac malis, ſimile vero eſſe nequit.

IV. Homines ad mille annos vixiſſe: quod conſtitutioni corporis humani, & experimentis repugnat.

V. Uno navilio Noetico omnia animantium genera, & animantium eorum cibos ác potum per annum collecta, quod veriſimile non videtur.

VI. Diluvium fuiſſe per totam terram, altiſſimoſque montes cooperuiſſe, quod praeterquamquod eſt incredibile, quum non ſufficiant globi noſtri aquae ad tantum ſpatium implendum; pugnat quoque cum AEgyptiorum, Chaldaeorum, atque Sinenſium Chronologiis.

VII. Omnes homines natos ex Adamo, quod eſſe non poteſt: nam Adam albus ne fuit, an niger? Si albus, unde proveniunt nigrae nationes? Si niger, unde albae?

VIII. Hebraeos poſt infinita prodigia, quibus Deus ſuam potentiam, & divinitatem oſtenderat, altero menſe ab exitu ex AEgypto a Deo deſciviſſe, & vitulum adoraſſe, quód eſt inveriſimile, niſi Hebraeos lateribus crudis ſtupidiores facere velimus. Ex quibus item concludere ſibi videntur Pentateuchum non eſſe librum divinum, nec idcirco reliquos, quorum ille fundamentum eſt. In quibus item argumentis aut imperitiam Scripturarum, & antiquae hiſtoriae produnt, aut malitiam puram, putamque; quod ſequentibus reſponſionibus oſtendemus.

§. 8. Ac priori quidem argumento ita reſpondet eruditiſſimus Jeſuita Benedictus Pererius, *commentar. in Geneſ.* Fontem illum Paradiſi, ſecuto diluvio corruptum fuiſſe, locum quoque omnem ita foedatum, ut nulla, aut admodum tenuia ejus appareant veſtigia, ut idcirco mirum non ſit, ſi quas Moſes deſcribit Paradiſi illius qualitates, nuſquam in Chaldaea, quem locum divinus Scriptor videtur indigitare, ita ut deſcribit reparíantur. Sed illud incommodi habet haec ſententia, quod

Moſes

Moſes non modo locum, qui extabat tempore ſuo indicat, ſed flumina quoque duo, *Euphratem*, & *Tigrim*, ut erant id temporis, ſuntque hodie. Eorum praeterea diſcurſus deſcribit, terraſque, quas alluunt: quod profecto non feciſſet, ſi vetuſtum tantum, nec amplius extantem locum, voluiſſet deſcribere. Itaque ego quidem cum Pererio cenſeo, communem illum fontem abruptum, & diſciſſum, fines motos, arbores Paradiſi diluvio eradicatas, aut abſorptas: Telluris enim confractio, ſaltem ſuperficiei, in diluvio contingere debuit: ſed interim non dubito Moſem Meſopotamiae, aut Armeniae locum deſignaſſe aliquem, in quo conſitus erat hortus hic, ac ejus veſtigia indicaſſe quatuor illa flumina, qualia tempore ſuo erant. Sed eam rem paullo pluribus explicare operae pretium eſt.

§. X. Recentium eruditorum de ſitu Paradiſi tres praecipuae ſunt opiniones, quas magni nominis auctores tuentur. Sunt qui eum ortum conſtitutum in Siria fuiſſe cenſent prope Damaſcum, ac fontes Jordanis. Ita Heidegerus in hiſt. Patriarch. Clericus in Geneſ. cap. 2. v. 8. Petrus Abraham in Pharo Vet. Teſtam. lib. 2. num. 16. & Harduinus ad Plin. Sed ei nullae loci illius, quem deſcribit Moſes, aptari poſſunt qualitates. Ac ut omnia taceam, longius is locus a ſitu quatuor fluminum, aut horum fontium diſtat, quam ut quadrare ad Moſaicam narrationem poſſit. Alii ejus Paradiſi ſitum locant in Armenia inter fontes Euphratis, Tigridis, Araxis, & Phaſis, ut ita Phaſis ſit Phiſon Moſaicus; Araxes vero Gehon. Eſt haec ſententia Sanſoni, & Relandi, adoptavitque illam Calmetus in *Diction. Bibl. & commentariis in Geneſ.* Sed in eo ii decipiuntur, quod veteribus Geographis crediderint ſuper fonte Phaſis. Is enim fluvius a trium reliquorum fluviorum fontibus minime ortum habet, ut conſtat ex itinerariis Thevenotii, & Chardini. Tertia opinio eſt Bocharti, & Huetii, qui eo in loco Paradiſum conſtituunt, ubi Euphrates, & Tigris jungunt Alveos; ac reliquos duos fluvios eſſe contendunt duo

brachia,

brachia, in quae iterum Euphrates, & Tigris dividuntur, ſinum Perſicum verſus, ut Phiſon ſit brachium occidentale, Gehon orientale. Omnia in hunc locum quadrare, quae de Paradiſo narrat Moſes, accurate oſtendere conatur Huetius. Negotium faceſſere videtur locutio Moſaica, *Fluvius egrediebatur e Paradiſo*, quaſi non eum locum alluant tantum memorata flumina, aut per eum diſcurrant, ut interpretatur Huetius, ſed in eo fontes habeant. Sed copioſe oſtenderunt viri eruditi, locutionem Moſaicam utrumque ſignificare poſſe, ut ſcilicet eo in loco communis ſit fons, & ea tranſeat tantum.

§. X. Haec opinio inde quoque confirmatur, quod hic locus veterem adhuc ubertatem retineat, ut conſtat ex itenerariis viatorum. Eandem habebat decem ſeptem ſaeculis ante. Curtius (*a*), *inter Tigrim*, inquit, *& Euphratem jacentia tam uberi & pingui ſolo ſunt, ut a paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex utroque amne manat, toto fere ſolo per venas aquarum redundante*. Ubertatem ejuſdem ſoli & Plinius praedicat (*b*) *Babylone bis ſecant: tertio depaſcunt, alioquin folia tantum fierent; ſic quoque cum quinquageſimo foenore meſſes reddit exilitas ſoli; verum diligentioribus cum centeſimo*. B. Hieronymus notavit in Meſopotamia oves bis parere. Inde toti illi tractui nomen Eden, quaſi ἡδονῆς voluptatis. Sed Herodoti tempore fertilitas quoque major videtur fuiſſe. Is enim lib. 1. narrat eam tellurem cum ducenteſimo, & trecenteſimo etiam foenore fruges reddidiſſe, quod & Strabo in 17. refert, additque Herodotus, quo tempore Perſae Aſiae imperium habebant, ex ſola Babylonica Provincia tantum reddituum accepiſſe, quantum ex reliquis aliis omnibus. Ut haec ad

---

(a) *Lib.* 5. *de geſtis Alexand.*
(b) *Lib.* 5. *cap.* 26. *& lib.* 18. *cap.* 17.

Digitized by Google

ad miraculum aucta dicamus , at illud ſupereſt veri , uberrimum eum locum fuiſſe.

§. XI. In ſecundo , & tertio argumentis refellendis quae olim Julianus objecit Chriſtianis (*a*) , quidam Theologi ad allegoriam confugerunt. Non Origenis modo apud veteres , verum quorundam aliorum quoque opinio fuit, ex illo loco incipere hiſtoricam Moſis narrationem , a quo narratur, dimiſſos de Paradiſo Adamum, & Evam conveniſſe , atque genuiſſe, ut nos S. Auguſtinus docet (*b*) . Inter Scholae Theologos vir ſummi ingenii Thomas Cajetanus veterum illa commenta revocare aggreſſus eſt , quem integra diſſertatione ejuſdem florentiſſimae familiae alumnus Natalis Alexander refellit (*c*) . Enim vero ea opinio & Critices regulis , & Patrum omnium conſenſioni maxime adverſatur. Principio Moſes narrationem creationis Mundi ſtatim exorditur ac connectit cum hiſtoria Patriarcharum , ut intelligamus hiſtorico, ideſt ſimplici, non figurato ſtilo uti . Vim igitur & Criticorum regulis , quae vetant hiſtoriam allegorice interpretari , & textui inferunt , qui ad allegoriam confugiunt. *Narratio*, inquit perſpecte Auguſtinus (*d*), *Moſis in libro Geneſeos non eſt genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum , ſed expoſitio rerum omnino geſtarum , ſicut in Regnorum libris*. Tum nemo Patrum dubitavit, totam illam Moſaicam narrationem hiſtoriam eſſe . Itaque B. Hieronymus (*e*) creationem Evae ex coſta Adami inter ea dogmata enumerat, quae ſalva in Deum fide negari non poſſunt.

§. XII. Quare hos miſſos faciamus: neque enim ea reſponſione indigemus . Scilicet quid eſt in ea Moſis nar-

---

(a) *Vide Cyrill. Alex. lib. 3. contra Julianum* .
(b) *Lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap.* 1.
(c) *In hiſtor. Ecslef. veter. Teſtam. ætate* 1. *diſſert.* 3. *art.* 27.
(d) *Lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap.* 1.
(e) *In Comment. Epiſt. ad Philemonem* .

Digitized by Google

narratione quod fabulam ſapiat? An impoſſibilia narrat divinus Auctor? An quae Deum dedeceant? An aliis teſtimoniis conſtet id verum non eſſe? Niſi enim horum trium ſit aliquod, qui fabuloſam eam narrationem eſſe clamant, garriunt ſine ratione: ſcilicet qui hiſtoriam aliquam velut fabellam traducit, is rationes opinionis ſuae proferre debet aliquas; alioquin eum ipſum jure, ac merito inſignem fabulatorem habebunt ſani judicii omnes. Nunc vero impoſſibile id non eſt, non magis quam ſi ex creta ut maſculum, ita Evam formaſſet, materia enim quaecumque ſic divinae arti & potentiae paret, ut intra corporum formas quodcumque poſſit ex quacumque efficere. Ita aut nihil ei impoſſibile, aut omnia dicere debent: omnia dicere eſt Dei potentiam ignorare: nihil ergo. Jam quandoquidem in Evae illa creatione, & ſummum imperium in materiam omnem oſtendere perrexit, & ea primum arctiſſimum nuptiarum vinculum, ac conjugum amorem, deinde Chriſtianam quoque Eccleſiam indicare in anteceſſum voluit, ea narratio tantum abeſt ut decori leges laedat, ut potius oſtendat, (inquit Cyrillus Alexandrinus Juliano reſpondens) *ſapienter, & ſolerter, quod ad Dei voluntatem attinet, eſſe foeminam procreatam. Tametſi enim eam quoque creare de integro poſſet, & ſumpto quidem de terra luto ad eundem, quo & ipſe factus erat Adamus, modum effingere, id neutiquam fecit: ſed quum vellet ingenerare viro erga illam effectum, viri particulam aliquam ſubduxit, abjectiſque reliquis humanae naturae, numeris abſolutam protulit &c.* Nimirum inter memorialia ſigna, quibus homo officii ſui ſaepius commoneatur, ea aptiora ſunt, quae & corporea ſunt, & diuturniora. Tandem veteris hiſtoriae veſtigiis firmatur potius, quam in ſuſpicionem fabulae adducitur ea narratio, quale illud eſt, quod AEgyptiis coſtas in ſomniis ad uxores referebant, ut adnotatum eſt Grotio (*a*).

§. XIV.

(*a*) *A cap.71. Geneſ.* v.71.

§. XIV. Tertia objectio divinarum Scripturarum imperitiam praeſefert. Quicumque enim Scripturas ſacras attentius fuerit perſcrutatus, is inveniet, Diabolum in ſerpente, velut in energumenis ſolet, ea omnia feciſſe: ſcilicet in ejus ore, quaſi in organo, aere moto, colliſo, modulato, vocem humanam effinxit, non vitali actione, ſed artificiali, aut arte nobis ignota ex ſerpentis ore voces eduxit. Verum enim ſerpentem in hac re interveniſſe Moſis narratio nos dubitare non ſinit: nam & ſerpentem cum caeteris animantibus item veris confert, *ſerpens*, inquit, *erat callidior*, *aut*, ut ſeptuaginta vertunt, *prudentior cunctis animantibus* (Geneſ.3. 1.) & Deus vero Serpenti maledicit (ibid. v.14.) Fuiſſe porro & Diaboli organum ſerpentem, inde diſcimus, quod Diabolus *ſerpens ille antiquus* vocetur cum manifeſta alluſione ad narrationem Moſaicam Apocalyp. 12. 9. & 20. 2. Item cum eadem alluſione Diabolus dicitur *homicida a principio* Johan. 8. 43. & ſapient. 2. 24. Quia ſcilicet primos parentes in mortem induxit ſuis fallaciis. Vide S. Auguſtinum *(a)*. Quae quum ſint, nihil eſt in ea narratione inveriſimilis: ea omnia procul dubio daemon efficere potuit. Non ſum interim neſcius aliter huic Juliani objectioni reſpondiſſe B. Cyrillum Alexandr. *(b)*, ſpeciem ſcilicet & ſimulacrum ſerpentis induiſſe daemonem, non verum ſerpentem agitaſſe, quo falleret Evam. Sed neceſſe non eſt vim inferre Moſaicae narrationi, quando utrumque aeque fuit Diabolo facile, & de vero, & de ficto ſerpente loqui. Eandem ob rem ne Cajetani quidem ſingularis opinio neceſſaria eſt. Putavit ille voces articulatas in hoc negotio minime adhibitas a Diabolo, ſed ne ullum quidem externum ſpectrum: tentationem Evae interna tantum ſuggeſtione peractam: Diabolum ſerpentis nomine metaphoricws a Moſe appellatum. Quae doctrina

(a) *Lib. 14. de Civit. cap. 11.*
(b) *Lib. 3, contra Julian.*

ctrina nec neceſſaria eſt, ut dixi, & cum Moſaica hiſtoria, ac Patrum omnium conſenſione pugnat. Illud praetereundum non eſt, hujus hiſtoriae memoriam apud Ethnicos quoque diu conſervatam. In antiquiſſimis Graecorum Myſteriis acclamatum *Evam*, ſimulque monſtratum Serpentem, meminere Heſychius, Clemens in Protreptico, Plutarchus in Alexandro. Vide & Maimonidem (*a*).

XV. Quod ſpectat ad quartum, vetus haec querela eſt adverſus Moſaicam hiſtoriam, quam memorant Lactantius (*b*) & Auguſtinus (*c*). Ethnici ſcilicet, quum hanc Patriarcharum longaevitatem intelligere non poſſent, aut ridebant, aut putabant annos illos menſtruos fuiſſe. Sed quum annus diluvii dierum fuerit 365. a 17. nempe ſecundi menſis ad 25. ejuſdem menſis vertentis anni, menſium vero dies fuerint triginta; aperte Moſaicae narrationi repugnant, qui annos Patriarcharum pro menſibus accipiunt. Praeterquam quod veteres illi Patriarchae aetatem vixiſſent noſtra breviorem, quippe qui non pertingiſſent ad octoginta annos. Demum quum reperiantur quidam generaſſe filios ſexaginta, vel ſeptuaginta aetatis ſuae annorum, generaſſent quum eſſent quinque, aut ſex annorum noſtratium. Ad haec tota ſeries hiſtoriae Moſaicae, qua conſtat paulatim a primaeva illa longaevitate intra unum ſeculum decidiſſe hominum vitam, id totum mirifice confirmat. Idem enim ſcriptor, qui memorat Adamum, Mathuſalam, Noemum ſupra nongentos annos vixiſſe, idem inquam deinceps memorat, Salem vixiſſe, 433. Heberum 464. Phalegh 239. Sarug 230. Thare 120. ut nulla ſubſit ratio de ejus hiſtoriae veritate dubitandi. Tandem idipſum Ethnici quoque Scriptores confirmant, Beroſus in Chaldaicis, Manetho in AEgyptiacis, Hyromus in Phaeniciis,

(a) *Duct. dub. p.* 3. *cap.* 29.
(b) *Lib.* 2. 20.
(c) *Lib.* 15. *de Civit. Dei.*

Digitized by Google

ciis, Heſtiaeus, Hecataecus, Hellanicus in Graecis: Quos omnes Scriptores ſuo adhuc tempore manentibus libris, teſtes citat Joſephus (*a*), ac praeter hos Acuſilaum, Ephorum, Nicolaum Damaſcenum. Primos hi homines ad mille ferme annos vixiſſe tradidere ex veteri ac conſtantiſſima traditione. Non igitur dubitandum eſt de longitudine vitae Patriarcharum. Porro ea longaevitas repetenda eſt partim ex aequabili Coeli, ac primaevae Telluris temperie, (*b*) partim ex victu ſimpliciori, partim ex corporis compage robuſtiore, partim etiam ex peculiari Dei providentia. Caeterum recentiori aetate quoſdam ad ducentos, & trecentos annos vixiſſe confidentiſſime ſcribunt Jonſtonus (*c*), & Petrus Daniel, Huetius in Alnetanis (*d*). Sed hujuſmodi hiſtoriae quum ex ſecunda Europae barbarie deprompta ſint, certae non ſunt, nec pro certis affirmatas a viris doctis vellem.

§. XVI. Ad quintum. Capacitatem Arcae Noeticae ſic deſcribit Moſes: *cubitorum trecentorum erit longitudo Arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*. Quum Celſus velut fabellam, hiſtoriam hanc traduceret, Origenes homil. 2. in Geneſ. reſpondit, Noemum a Deo doctum cubitos geometricos adhibuiſſe, qui ſex noſtris aequales ſint. Ita cenſuit fieri capacitatem Arcae Noeticae ſufficientiſſimam ad ea continenda, quae in ea fuiſſe impoſita narrat Moyſes. Sed mera eſt ea Origenis hypotheſis. Cappellus (in hiſt. Sacra pag. 30.) cubitos triplicis generis diſtinguit, minorem, qui ſit quadrante longior pede; medium, qui ſit ſeſquipedalis, & majorem, qui tres pedes contineat. Arcae cubitos majores fuiſſe cenſet. In hac hypotheſi dimenſio Arcae fuerit juxta longitudinem pedum

(a) *Antiq. hiſt. lib.* 1. *cap.* 4.
(b) *Vide Vodwardum in Geographia phyſica*.
(c) *De Nat. conſtit. prop.* 5. *art.* 1.
(d) *Lib.* 2. *cap.* 12. §. 4.

Digitized by Google

dum nongentorum, juxta altitudinem pedum nonaginta, juxta vero latitudinem pedum centum quinquaginta. Ita capaciſſima fuiſſet tot corporibus continendis. At Johannes Temporarius Buteo, pluresque alii Mathematici, geometrice demonſtrarunt, Navem Noeticam tot corporum capacem fuiſſe etiam ſi cubiti vulgares intelligerentur. Conſtitutioni autem Navium id minime repugnare demonſtrat ſagax Batavorum experimentum memoratum Georgio Hornio (*a*), cujus totum locum deſcribam, ut pateat quam temere & imperite hanc hiſtoriam velut minus veriſimilem accuſent Profani. *Primum in Hollandia Petrus Janſen Memnoniſta unam atque alteram anno* 1604. *ſecundum Arcae Noe proportionem navium per ſocerum Petri Reineri ſtruendam curavit. Unam longitudem* 120. *pedum, latitudine viginti, profunditate duodecim. Initio hunc navium ſtruendarum modum riſu & ſannis tanquam plane abſurdum & ineptum a nautis exceptum: ut idem imitatoribus, quod etiam Noacho contigiſſe volunt, acciderit. Poſtea compertum tales Arcas Noachicas pacis tempore omnium aptiſſimas, & utiliſſimas eſſe ad ea commercia exercenda; tum quod tertia parte plus onerari poſſunt, quam vulgares, neque tamen plures, a quibus reguntur, manus deſiderant; tum quia velociori a ventis in mari, quam quaecumque aliarum gentium naves, curſu aguntur. Sed nullum admittunt tormentorum bellicorum, & id genus armorum uſum, idque ad inſtar arcae Noe, quae pacis, non belli fuit inſigne, & in qua omnem totius mundi ſalutem, & pacem ipſe Deus pacis, tum quidem excluſis rebellibus, concluſerat. Hujuſmodi navium uſus durantibus induciis paſſim apud Batavos invaluit*. Haec ille.

§. XVII. Fuere autem in Arca ſpiracula ut reſpirare animantia poſſent novum aerem, ſine quo animantium vita nequit eſſe vitalis: ſed ea ita fabrefacta, ut aut reflecterent aquam, aut vix aliquam excipe-

(a) *In hiſt. univerſ. pag.* 26.

Digitized by Google

rent, qua facile navis purgari potuit. Ea ſpiracula aperte memorat Moſes, *feneſtram*, inquit, *in Arca facies* Geneſ. 6. 16. Vocabulum Hebraeum *Sohar* feneſtram, aut quamvis aperturam ſignificat: ejus enim chaldaica radix *lucere*, aut *lumen* tranſmittere ſignificat. Sunt qui putant pelle translucida circumveſtitam eam aperturam, ut ita lumen daret, repelleretque aquam, ſimulque ictibus aquarum, & ventorum reſiſteret. Sed qui ita cenſent tum de admittendo aere cogitare debent; neque enim aer vitae alendae aptus per pellem tranſit. Ego praetulerim telas e pilis camelorum contextas: eae enim, & aquas mirifice refellunt, & lumen juxta atque aerem tranſmittunt. Hujuſmodi telae Orientalibus populis poſt diluvium familiares fuerunt. Omnia haec factu facillima fuere.

§. XVIII. Quod ſpectat ad ſextum, qui paulor in vetuſta hiſtoria Gentium verſati ſunt ſciunt diluvii Noetici memoriam apud omnes ferme nationes ſervatam fuiſſe. Obſervat Grotius omnes Ethnicas hiſtorias in diluvium deſinere, nec ultra progredi (*a*). Diluvii hujus ſane mentionem apertam habebant Beroſus Chaldaicarum rerum ſcriptor, Abydenus AEgyptiorum hiſtoricus, Nicolaus Damaſcenus, aliique. Habent ex hiſtoricis qui ſuperſunt Plutarchus, & Lucianus, quorum loca protulit Grotius. Joſephus contra Apionem *primo* teſtatur, Beroſum eadem, quae Moſes, narrare de magno diluvio, ac de Arca, in qua Noachus generis noſtri Auctor ſervatus eſt, inſignemque Beroſi locum recitat. Abydeni Aſſiriorum hiſtorici locum itidem inſignem ſervaverunt Euſebius (*b*), & Cyrillus (*c*). Eo in loco Noemus vocatus Siſithrus. Aves memorat emiſſas ex navi cum iiſdem propemodum, quibus Moſes, circumſtantiis. Concludit navigium in Armeniam perve-

(a) *De Verit. Relig. Chriſt. lib.* 1. §. 16.
(b) *Lib.* 9. *Praeparat. cap.* 12.
(c) *Lib.* 1. *adverſus Julian.*

Digitized by Google

veniſſe. Clarius quoque eadem narrat Alexander Polyhiſtor (*a*), ubi & Noe item Siſithrus dicitur, & ſub eo fuiſſe magnum diluvium, & fabricatam ab eo Arcam praenunciante Saturno, & in ipſa una cum volucribus, ac jumentis ſervatum. Apertiſſima quoque ſunt loca Plutarchi in libro *terreſtria, an aquatilia animantia plus habeant ſolertiae*, & Luciani *de Dea Syria* quae deſcripſit citatus Grotius. Vere igitur Lactantius (*b*) ſcripſit, *factum eſſe diluvium ad perdendam, tollendamque ex orbe malitiam, conſtat inter omnes;* id enim, & Philoſophi, Poetae, Scriptoreſque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum Prophetarum ſermone conſentiunt. Jam caeterae quoque Nationes diſtinctiſſime memoriam diluvii adhuc ſervant. Jaus Sinenſium reparator humani generis poſt cladem illam, quam Coeli ruina adumbrant, is Noachus eſt. Americani ſciunt, & narrant, extincta olim fuiſſe animalia omnia, unico homine generis humani inſtauratore in Arca, cum familia, multiſque animalibus ſervato, uti pluribus narrant Joſephus a Coſta, & Antonius Herrera (*c*). Idem perenni traditione tradunt Huttentotti Incolae capitis bonae ſpei, quemadmodum retulit Andreas Kolbi in deſcriptione capitis Bonae ſpei.

§. XIX. Unde vero aquae emerſerint, parum intereſt ſcire. Neque vero etiam ſi ignoramus unde tanta aquarum vis nata ſit, idcirco factum negare poſſumus, quum infinitae ſuppetant Deo rationes, quibus id efficere potuerit. Opponuntur antiquitates quarumdam Nationum. Facile eſt eas aut vanitatis, aut falſitatis convincere, quando conſtat, nec contemporaneis hiſtoriis fulciri, & antiquas omnes nationes ſumma contentione laboraſſe, ut antiquiſſimae omnium viderentur,

(a) *Apud B. Cyrillum loco cit.*
(b) *Lib.* 2. *cap.* 10.
(c) *Decad.* 1. *lib.* 9. *cap.* 4. *Vide & deſcript. Ludovicianae Voyages au Nort tom.* 5.

Digitized by Google

quod controverſiae AEgyptiorum , & Scytharum memoratae Diodoro Siculo , & Juſtino Trogi ſatis docent.

§. XX. Illud paulo difficilius explicatu videtur, quum animantium non aquaticorum genera uno Noetico navilio contenta fuerint, nec ullum ejus generis animal diluvium evaſerit; unde Inſulae, & quidem a mare diſſitae, atque in primis ipſa America haec animantia habere potuerunt? Id ut evaderent viri quidam eruditi cenſuere aquas diluvii intra Aſiam tantum conſtitiſſe in iis ſcilicet Regionibus, quae inter quatuor ſunt maria, Perſicum, Caſpium, Euxinum, & Syriacum. Ea fuit opinio Eduardi Stillingfleeti (a). Sed è diametro cum Moſaica narratione pugnat. I. Deus diſerte jubet ex omni carne, & omni animante paria in Arcam intromittere ad ſpeciem conſervandam. (Geneſ. 6. 19.) quod & Noachus fecit. Quem vero in finem? Nam ex aliis Regionibus, ſi diluvium futurum fuiſſet particulare, haberi poterant animantium ſpecies. II. (Geneſ 7. 21.) omnia in univerſo terrarum orbe animantia periiſſe diſerte itidem perhibet Moſes. III. Quod eſt peremptorium, altiſſimos montes texit diluvii aqua, etiam Armeniae, qui totius Aſiae ſunt eminentiſſimi, & in quibus Arca conſedit; quod ſtare non poteſt cum ſuperiori hypotheſi, niſi miraculum Diluvio majus Deum feciſſe dicamus, cohibendo undequaque aquas ne illaberentur in ſubjectas Regiones. De commento Burnetiano nihil in hoc loco dicimus, de quo vide diſſertationem noſtram *de origine rerum corporearum* ad calcem tom. I. horum elementorum.

§. XXI. Dubitandum ergo non eſt, & diluvium omne undequaque Tellurem occupaſſe, & nullum vivens niſi in Noetica Arca evaſiſſe. Unde vero, inquis, animantia minime aquatica in Inſulas prorepſere? Plures

(a) *In Originib. ſacris lib. 3. cap. 4. §. 3.*

res eſſe cauſae potuerunt. Prima, ut navigatione populari hominibus diſſitae Inſulae, ita animantibus brutis navi tranſvectis, potuerunt. II. Plures Inſulae poſt diluvium illud univerſale, aut peculiaribus aliis diluviis, aut terrae motibus a Continente diſterminatae ſunt. Siciliam ab Italia abſciſſam praeter alios memorat Juſtinus (*a*). Britanniam Galliae continentem fuiſſe inter Dabrim, & Caletum, Riccardus Verſtegen *de Gentium origine* multis probat. Diluvio Atlantico Americam ab Africa avulſam, ex Platone dudum collegere viri docti. Diluvio Cimbrico multos in ſinu Condano Inſulas emerſas Ariſtotelis aevo ex III. Eudemiorum (*b*) colligimus facile. Sed quod ſpectat ad Americam non dubito navigatione populatam. Plures antiquitus Phaenices, & Carthaginenſes Africam, littora legentes, circumiiſſe, atque ſuperato Capite Bonae ſpei per fretum Gaditanum ad Oſtia Nili appuliſſe, diſcimus ex Herodoto, & Diodoro Siculo. Ignota veteribus fuit pixis nautica: itaque facile fuit vento in Americam deferri, unde redire neſcierint. Sed & veſtigia quaedam aut vetuſtiſſimi cum Americanis commercii, aut cognitionis ſaltem qualiſcumque ejus Gentis, in Theopompi Chii fragmento, quod ſervavit AElianus (*c*) reperiuntur, fabulis licet infuſcata. Quem locum ubi docti penſiculatius legerint, idem opinor, judicium ferent. Vixit autem Theopompus iſte temporibus Philippi Macedonis. Vide Voſſium de Hiſtoricis Graecis.

Confirmant haec mirifice quae de Ludoviciana relata ſunt ab iis, qui ejus nationis mores & traditiones diligenter perſcrutati ſunt (*d*). Nam praeterquam quod plurima populi illi memorant eodem prorſus modo quo in hiſtoria Moſaica leguntur, mores quoque aliquos habent judaicis ſimillimos.

§. XXII.

(a) *Lib.* 5.
(b) *Cap.* 1.
(c) *De varia hiſt. lib.* 3. *cap.* 18.
(d) *Deſcription de la Luiſiene*.

Digitized by Google

§. XXII. Octavum argumentum hoc unum probat, Hebraeorum vulgus homines fuiſſe bardos, ingratos, & duris cervicibus, quod iis paſſim exprobrant Prophetae: ſed non video qui poſſit miracula Moſaica labefactare.

§. XXIII. Pluribus modis ſeptimo argumento reſponderunt viri docti. Quidam opinati ſunt primos Africae incolas paulatim nigreſcere coepiſſe ob calorem climatis, atque ſic progeniem deinde ſemper nigriorem dediſſe. Ita Hiſtorici Angli in Coſmogonia pag. 318. editionis Neapol. Sed cum ſub eodem climate, ideſt ſub linea aequinoctiali, vel circa, nationes ſint ſubalbo colore, non videtur haec reſponſio omnem auferre difficultatem. Alii ſuſpicantur ex corrupta phantaſia primae alicujus foeminae Africanae natos primos Africae mortales nigros, non ſecus atque oves Jacobi, quae fuſcae ex imaginibus naſcebantur. Nec abhorret a veroſimili haec opinio. Sed id videtur explicatu difficillimum, qui fieri potuit in tanta generis humani multitudine, ut apud Afros tantum haec phantaſiae immutatio provenerit. Veteres quidam ad miraculum confugiebant, volebantque AEthiopes natos ex Cham, cujus filius Chanaan fuit a Deo maledictus: ex hac maledictione nigrum profluiſſe colorem cenſebant. Sed eam habet difficultatem haec opinio, quod Chananaei ipſi ex Cham fuerunt oriundi, nec tamen nigri. Quae cum ſint fatebimur ingenue, nos ignorare unde Africanorum niger color primum manaverit: ſed non videmus quid ea ex re pro cauſa ſua deducere poſſint Deiſtae. Infinitae in natura eſſe potuerunt cauſae, ex quibus color iſte primum ſit natus. Qui hiſtoriam naturalem ſcribunt, obſervant, ante ducentos annos unam in Europa floris Tulipae ſpeciem extitiſſe; quum nunc pluſquam 50. evaſerint colore, ac figura a ſe diſcrepantes. Climatum diverſitas effecit ut animantia unius ſpeciei in plures diſpeſcerentur. Itaque ut naturalibus cauſis fit, ut Sinenſes Simi ſint, Groelandi, & Lapones gracilibus cruribus, & ventrico-

ſi,

ſi, coloris vero cinericii; ita fieri potuit naturalibus cauſis, ut paullatim nigri homines provenerint. Quocirca tota mihi haec argumentatio ineptiſſima videtur.

Prop. XLIII. Religio Chriſtiana vera eſt & divina.

D. Religio Chriſtiana libris continetur veteris & novi Teſtamenti: ſunt autem ii libri veri & divini (ex ſup.); Eſt ergo Religio Chriſtiana vera, & divina.

Coroll. Maxima praeſtantia Religionis Chriſtianae ſupra vulgares Gentium ſuperſtitiones in hoc praecipue eſt poſita, quod eſt religio ſpiritualis, cultumque omnem externum non ut apud Ethnicos per ſe ac ſui ipſius, ſed interioris ergo praecipiat. Paucis id verbis Chriſtus ſervator noſter docuit apud Johannem: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant illum, oportet in ſpiritu, & veritate adorare:* id quod ratio quoque ipſa Naturae praeſcribit. Itaque huic veritati Philoſophi etiam quidam teſtimonium perhibuerunt. Cicero (*a*) hanc ſtatuit Religionis legem: *ad divos adeunto caſte; pietatem adhibento*. Ovidius quoque (*b*)

Non bove mactato coeleſtia numina gaudent,
Sed quae praeſtanda eſt, & ſine teſte, fide.

Perſius item (*c*)

Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalae lippa propago,
Compoſitum jus, fasque animo, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?

Plu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(a) *In Lib.* II. *de Legib.*
(b) *Epiſt.* XVIII.
(c) *Satyr.* II. *verſ.* 81.

Digitized by Google

Plurimis quoque idipſum docet Seneca (*a*) . Ibi inter alia ſcribit : *Vis Deos propitiare ? bonus eſto : ſatis illos coluit , qui imitatus eſt* . Et (*b*) ; *nec in victimis quidem , licet optimae ſint , auroque perfulgeant , Deorum eſt honor , ſed in pia , ac recta voluntate venerantium* .

FINIS TOMI TERTII.

(a) *Epiſt*. 95.
(b) *In* 1. *Lib. de Benef. cap*. VI.

Digitized by Google

PANDIMIGLIO
21 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA

Google